EXPOSITIO RUBRICARUM

BREVIARII,

MISSALIS ET RITUALIS ROMANI.

II.

EXPOSITIO
RUBRICARUM
BREVIARII,
MISSALIS ET RITUALIS ROMANI,

CUM

ADNOTATIONIBUS DE ORIGINE, RATIONE AC SENSU MYSTICO RUBRICARUM, CAEREMONIARUM ET FESTORUM,

CURA

G. F. J. BOUVRY,
S. T. L. et SS. Rituum Prof. in Semin. Tornac.,
in IV partes distributa.

TOMUS II,

COMPLECTENS III^am ET IV^am PARTEM.

PARS III. DE MISSALI ROMANO.
PARS IV. DE RITUALI ROMANO.

Ad calcem ponuntur tres appendices sequentes:

1. *Memoriale Rituum .... Bened. XIII.*
2. *Versio latina Inst. Clem. de Orat. XL horar.*
3. *Series chronologica Decretorum, quae ad hunc tomum spectant.*

WEISSENBURGI
SUMTIBUS CAROLI FRIDERICI MEYER.
1860.
Ratisbonae apud G. J. Manz.

PRAENOTANDA.

Cum, in praefatione Tomi I, declaretur quis sit hujus opusculi scopus, quod objectum, quae divisio, et qua utamur methodo, sequentia tantum veniunt hic praenotanda.

1. Quae, Tomo I, *pag. 56 seq.*, traduntur de autoritate Rubricistarum, ea ante occulos habenda sunt praesertim quando leguntur Commentarii de Ritu celebrandi Missam; nam in hujusmodi Commentariis frequentius occurrunt interpretationes et monita, de quorum vi judicandum est juxta regulas traditas *l. c.*

2. Quandoque in ipso textu Rubricarum, praecipue *sect. III de Ritu celebrandi Missam*, breves interpretationes, et litterae N. B. interponuntur intra parenthesim, typis *italicis*. Quod fit duplici de causa, ut videlicet, Lectori uno contextu *a)* exhibeatur doctrina completa, et *b)* indigitentur defectus, qui facilius committuntur. Nam 1° etsi in Rubricis *de Ritu celebrandi Missam* (si excipiatur Missa solemnis), solent singillatim et ordinatim tradi omnia quae occurrunt agenda, nihilominus quaedam passim omittuntur, ac proinde vel deducenda sunt ex regulis generalibus alibi traditis (cf. *p. 227, 2, 236, 5, 239, 1, et 256, 3*), vel supplenda ex aliis fontibus Rubricarum *(p. 238 sq.,* et *tom. I, p. 14)*; praeterea occurrunt verba, quorum sensus aliqua indiget declaratione: porro in commodum Lectoris, hujusmodi interpretationes vel additamenta paucis verbis interdum apponuntur in ipso textu Rubricarum, a quo tamen distinguuntur ut supra. 2° Aliqui sunt defectus qui facilius et frequentius committuntur in celebratione

Missae, quique apud nonnullos AA. exhibentur in unum collecti. Cf. Mohren, *p. 9 sq.* Nos autem magis opportunum duximus Celebrantis et Ministrorum attentionem per litteras N. B. excitare ad ipsas Rubricas, quibus opponuntur hujusmodi defectus: sic enim non solum defectus, sed et regula indigitatur. Cf. ***p. 237, 247, 250.*** Nonnulli tamen defectus etiam expresse recensentur cum S. Ligorio *p.* ***422.***

3. Priori Tomo in lucem edito, Romae prodiit opusculum liturgicum, cui titulus: *S. Alphonsi Mariae de Ligori liber de Caeremoniis Missae ex italico idiomate latine reddidit et adjectis notis ac recentioribus S. R. C. decretis illustravit Michael Haringer Cong. SS. Redempt. Presbyter.* S. Doctor, cum lingua vernacula suum conscripserit Librum, eadem usus est methodo ac Romsée, uno scilicet contextu exhibendo Rubricas et commentarium. Nonnulla ex hoc Libro deprompsimus.

4. Quaedam S. R. C. decreta recens edita exscribuntur *appendice III,* suo ordine. Duo potissimum sunt attendenda, videlicet 16 Apr. 1853, n. 5047, 21 et 22; et ad eorum normam corrigendae veniunt duae Cavalerii, etc. opiniones quas amplexi sumus ***p. 92 et 95.*** Cf. dec. 12 Aug. 1854, n. 5072, 11.

5. Janssens et Romsée aliquando citantur per solas litteras initiale, J. R. Cf. *pag.* ***295*** *sq.*

6. Quae sit hujus Tomi materia, et quomodo dividatur, exhibet sequens index.

INDEX TOMI II.

PARS III.

RUBRICAE MISSALIS ROMANI.

SECTIO I.

INTRODUCTIO: BULLAE ET QUAESTIONES PRAEAMBULAE.

SCECTIO II.

RUBRICAE GENERALES MISSALIS.

SECTIO III.

SECTIO IV.

SECTIO V.

DE DEFECTIBUS IN CELEBRATIONE MISSARUM OCCURRENT.

SECTIO VI.

PROPRIUM DE TEMPORE; PROPR. ET COMMUNE SANCT.

pag.

PARS IV.
DE RITUALI ROMANO.

SECTIO I.
DE SACRAMENTIS.

SECTIO II.
DE BENEDICTIONIBUS.

SECTIO III.
DE PROCESSIONIBUS.

APPENDICES AD TOM. II.

PARS III.

RUBRICAE MISSALIS ROMANI.

1. *Prooemium.* In hac tertia parte exponuntur Rubricae Missalis et alia quae ad illud pertinent, quemadmodum factum est pro Breviario in secunda parte. Vid. *tom. I, pag. VI sqq.* Cum vero Missale respondeat Breviario, ideo utrumque eadem fere ratione distribuitur. De partitione Breviarii videri potest *part. II, pag.* **58**, **143** *et* **376**.

2. Initio Missalis reperiuntur Bullae Summorum Pontificum S. Pii V, Clementis VIII et Urbani VIII, atque Decreta S. R. C.; brevis expositio anni et ejus partium; tabula Paschalis antiqua et nova reformata; calendarium Romanum; Rubricae generales; Ritus celebrandi Missam; regulae de defectibus in celebratione Missarum occurrentibus; praeparatio ad Missam, pro opportunitate celebrantis facienda, atque orationes dicendae cum Sacerdos induitur paramentis sacris, aut Episcopus in Pontificalibus celebraturus, ac gratiarum actio. Post haec, ponitur Proprium Missarum de Tempore, a 1ª Dominica Adventus ad Sabbatum Sanctum inclusive, post quod interponitur [1] Ordo Missae; quo expleto, reassumitur Proprium de Tempore a Dominica Resurrectionis, et terminatur cum ultima Dominica post Pentecosten [2]. Sequitur Proprium Missarum de Sanctis, et Commune Sanctorum, Commune Dedicationis Ecclesiae, Missae votivae, Orationes diversae, Missae et Orationes diversae pro Defunctis, Ordo faciendi aquam benedictam, et variae benedictiones. Denique ad calcem Missalis apponi solent Missae propriae Dioecesis, Ordinis aut Ecclesiae, necnon Missae quae conceduntur post editum Missale.

1) Centrum Missalis occupat *Ordo Missae*, quia ibi est commodioris usus.

2) Cum tamen Missae Dominicarum 3ae, 4ae, 5ae aut 6ae post Epiphaniam quandoque dicendae sint post Dom. 23am post Pentec. *(part. II, tit. IV, 4)* ideo in Missali praefatae Missae etiam ponuntur post ultim. Dom. post Pentecosten.

3. Ex hac Missalis distributione sponte fluit hujus III partis divisio. *In prima sectione*, per modum introductionis, quaedam exscribuntur fragmenta Bullarum Pontificiarum et deinde nonnullae tractantur quaestiones praeambulae, quae non sunt communes Breviario et Missali; *in secunda* exponuntur Rubricae generales Missalis, etc. uti habetur in Indice.

SECTIO I.

INTRODUCTIO.

BULLAE ET QUAESTIONES PRAEAMBULAE.

---

§. I. DE BULLIS S. PII V, CLEMENTIS VIII ET URBANI VIII.

1. Missale respondet Breviario. — 2. Omnis innovatio in Missali inhibita est a S. Pio V, huicque inhibitioni constanter inhaeret S. Sedes. — 3. Consimiles Bullas dederunt Clemens VIII et Urbanus VIII. — 4 et 5. Harum Bullarum fragmenta. — Mentio decretorum S. R. C. quae initio Missalis reperiuntur.

1. Cum Officium divinum, sanctissimumque Missae Sacrificium pertineant ad eumdem cultum, uni Deo ab eadem Ecclesia exhibitum, palam est, ut observat S. Pius V in sua Bulla, *Quo primum,* maxime decere unum esse in Ecclesia Dei psallendi modum, unum Missae celebrandae ritum, ac proinde congruum et conveniens, ut Missale Breviario correspondeat. Quod et praestitit Sancta Mater Ecclesia. Nam Summi Pontifices S. Pius V, Clemens VIII et Urbanus VIII, qui pro edendo et reformando Breviario omne studium adhibuerunt, eamdem curam contulerunt pro edendo et reformando Missali ad normam Breviarii.

2. Bulla S. Pii V, *Quo primum,* exscripta reperitur *part. I, pag. 41 sqq.* Ut a sacrosancta Romana Ecclesia, caeterarum Ecclesiarum matre et magistra, tradita ubique amplectantur omnes et observent, prohibet sanctus Pontifex ne in posterum perpetuis futuris temporibus, in omnibus christiani Orbis Ecclesiis vel Sacellis ritus Romani (seclusa exceptione ibi facta), Missa aliter quam juxta Missalis a se editi formulam decantetur aut recitetur; decernitque, sub indignationis suae poena, praedicto Missali *nihil*

unquam addendum [1], *detrahendum aut immutandum esse.* Deinde, quasi obligationem dicti Missalis satis non valeret inculcare, omnibus et singulis praefatarum Ecclesiarum Patriarchis, Administratoribus aliisque personis, quacumque Ecclesiastica dignitate fulgentibus, *expressis mandat verbis ac districte in virtute sanctae obedientiae praecipit,* „ut, caeteris omnibus rationibus et ritibus ex aliis Missalibus quantumvis vetustis hactenus observari consuetis, in posterum penitus omissis, ac plane rejectis, Missam juxta ritum, modum ac normam, quae per Missale hoc .... traditur, decantent, ac legant: neque in Missae celebratione alias caeremonias vel preces, quam quae hoc Missali continentur, addere, vel recitare praesumant." Vide *tom. I,* cautelas a Pontifice adhibitas, ne in posterum suum opus depravetur. Cf. pt. S. R. C. decreta, *tom. I, pag. 111 sqq.* relata, de vigore hujus et sequentium Constitutionum non obstante quacumque consuetudine, et de modo supplendi approbationem omissam.

3. Bullae Clementis VIII (7 Jul. 1604) et Urbani VIII (2 Sept. 1634) de Missali editae omnino etiam concordant cum illis quas iidem Pontifices de Breviario ediderant; imo cautelae et poenae quibus praecavetur, ne Breviarium et Missale iterum depraventur, iisdem fere verbis in singulis Bullis exprimuntur. Unde superfluum est hic integras exscribere praefatas Bullas (quae caeteroquin leguntur initio Missalis), aut eas commentariis exornare. Opportu-

1) Ecclesia tantum curat nullam fieri in Breviario et Missali innovationem, ut si peculiares preces permittat infra divinum Officium aut sacrosanctum Missae sacrificium dicendas, non sinat eas apponi in corpore Breviarii aut Missalis. „Inhaerens, inquit SS. DD. Pius IX, Constitutionibus Apostolicis prohibentibus, ne in corpore Missalis et Breviarii Romani ullo pacto adjiciantur quae, ex singulari privilegio, alicui tantum dioecesi, provinciae vel regno pertinent, ut id, quoad superius indultas preces, stricte ab omnibus servetur in Gallia, jussit preces ipsas, una cum praesenti decreto, nonnisi in appendice Missalis et Breviarii Romani ad usum diversorum locorum destinata, vel in supplemento Missarum atque Officiorum uniuscujusque dioecesis proprio, apponi debere." Haec leguntur in Indulto 10 Sept. 1857, per quod Sanctitas Sua Pius PP. IX concessit quasdam in officio divino et in Missa addi preces pro Imperatore Galliarum. Hoc decretum legitur in Diario *L'Univers,* 25 Nov. 1857 (edit. semiquotid.).

num tamen videtur initium utriusque Bullae huc afferre. Inde enim Lector magis magisque perspectum habebit quantum Ecclesia adlaboraverit, ut Sacerdotes quam maxima erga augustissimum ac tremendum Missae sacrificium imbuantur reverentia, et sub oculis habebit in quibus et qua ratione emendatum aut reformatum fuerit Missale sub Clemente VIII et Urbano VIII.

Quod vero attinet commentarium in Bullas horum Pontificum et S. Pii V, satis provisum est in *parte I*, ubi explicantur similes Bullae ab iisdem Pontificibus de Breviario promulgatae. Explicationes enim ibi traditae facile et solo mutato nomine ad Bullas de Missali datas accommodari possunt. Cf. etiam decreta ibi relata: promiscue agunt de Breviario et Missali.

4. *Fragmentum Bullae Clementis VIII*, CUM SANCTISSIMUM, *diei 7 Jul. 1604.*

„Cum sanctissimum Eucharistiae Sacramentum, quo nos Christus Dominus sacri sui Corporis participes effecit, atque apud nos usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, maximum sit omium Sacramentorum, illudque in sacra Missa conficiatur, ac pro peccatis totius populi Deo Patri offeratur: sane omnino conveniens est, ut qui omnes unum sumus in uno corpore, quod est Ecclesia, et de uno Corpore Christi participamus, una et eadem celebrandi ratione, uniusque officii et ritus observatione in hoc ineffabili et tremendo Sacrificio utamur. Quod cum Romani Pontifices praedecessores nostri semper optarint, atque in hoc diu multumque desudarint, tum inprimis fel. rec. Pius Papa V Missale Romanum ex decreto sacri Concilii Tridentini ad veterem et emendatiorem normam restitui Romaeque imprimi curavit. Qui etsi multis propositis poenis severissime caverit, ne quid illi vel adderetur, vel ulla ratione demeretur; tamen progressu temporis, sive Typographorum, sive aliorum temeritas et audacia effecit, ut multi in ea quae his proximis annis excusa sunt missalia, errores irrepserint, quibus vetustissima illa sacrorum Bibliorum versio, quae etiam ante S. Hieronymi tempora celebris habita est in Ecclesia, et ex qua omnes fere Missarum Introitus et quae dicuntur Gradualia, et Offertoria accepta sunt, omnino sublata est: Epistolarum et Evange-

liorum textus, qui hucusque in Missae solemniis praelectus est, multis in locis perturbatus; ipsis Evangeliis diversa, ac prorsus insolita praefixa initia: plurima denique passim pro arbitrio immutata sint: cujus rei praetextus fuisse videtur, ut omnia ad praescriptum sacrorum Bibliorum Vulgatae editionis revocarentur, quasi id alicui propria auctoritate, atque Apostolica Sede inconsulta facere licitum sit. Quod nos animadvertentes, pro nostra Pastorali sollicitudine, qua omnibus in rebus, ac praecipue in sacris Ecclesiae ritibus, optimam, eamque veterem, normam studemus tueri et conservare, primum praedicta Missalia impressa sic depravata prohiberi et abrogari, eorumque usum in celebratione Missarum interdici jussimus, nisi ad praescriptum exemplaris sub ipso Pio V editi integre in omnibus emendarentur: deinde mandavimus nonnullis venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus in sacris Litteris versatis, et Ecclesiasticae antiquitatis peritis, ut curam Missale in pristinam et quam maxime emendatam formam restituendi susciperent. Qui pro sua erga nos fide, et in Romanam Ecclesiam pietate et studio adhibitis etiam aliis rerum Ecclesiasticarum peritis et eruditis viris, et veteribus Missalibus, aliisque praeterea libris qui ad eam rem opportuni videbantur, accurate perquisitis, et diligenter inspectis, Missale Romanum suae integritati restituere, ac ipsius Pii V et eorum qui ab eo delecti fuerant, laborem et diligentiam confirmare et comprobare curarunt. Verum in eo munere peragendo factum est, ut nonnulla ex diligenti librorum antiquorum collatione in meliorem formam redacta, et in regulis et rubricis aliqua uberius et clarius expressa sint, quae tamen ex illorum principiis et fundamentis quasi deducta, illorum sensum imitari potius, et supplere, quam aliquid novi afferre videantur. Missale itaque quod idem Pius V ediderat, sic recognitum, in nostra Typographia Vaticana quam emendatissime imprimi et ad communem utilitatem publicari jussimus ..."

5. *Fragmentum Bullae Urbani VIII,* SI QUID EST, *diei 2 Sept. 1634.*

„Si quid est in rebus humanis plane divinum quod nobis Superni cives (si in eos invidia caderet) invidere

possent, id certe est Sacrosanctum Missae Sacrificium; cujus beneficio fit, ut homines quadam anticipatione possideant in terris Coelum, dum ante oculos habent, et manibus contrectant ipsum Coeli terraeque Conditorem. Quo magis est mortalibus laborandum, ut hoc tantum privilegium cultu atque honore debito tueantur, caveantque Angelos negligentiae osores, qui sunt aemuli venerationis. Hinc factum est, ut hujus sacri Mysterii celebrandi rationem, ac preces, quas Summi Pontifices praedecessores nostri Pius V et Clemens VIII diligentissime recognosci atque instaurari curaverunt, Nos quoque eorum vestigiis inhaerentes iterum examinari, et si quid forte in iis assiduus (quod plerumque contingit) temporis cursus corruperit, restitui jusserimus. Quamobrem sicuti nuper ad divini Officii nitorem reformari Breviarium, ita demum hujus exemplo ad divini Sacrificii ornamentum corrigi Missale mandavimus. Et quoniam hasce quasi alas, quas Sacerdos, instar Cherubim prisci mystici Tabernaculi, quotidie pandit ad verum mundi Propitiatorium, decet esse plane geminas atque uniformes, hujus rei curam commisimus viris eruditis, ac piis, quorum diligentia ita opus perfectum est, ut nihil desiderari amplius possit. Nam rubricae quae sensim ab usu rituque vetere degeneraverant, in pristinum restitutae; quae vero non ita captui legentium accommodatae videbantur, clarius explicatae: praeterea collata omnia cum codice Sacrae Scripturae Vulgatae editionis, quae diversa irrepserant, ad ejus unius exemplum normamque correcta sunt..."

Post has Bullas, in Missali habetur decretum, ab Urbano VIII approbatum, de quibusdam Missis votivis, de Pileolo in celebratione Missae non adhibendo, de usu Rochetti, de paramentorum assumptione ab Altari, et de consuetudine Rubricis Missalis Rom. contraria. Deinde decretum gen. seu quaedam relatio nonnullorum dec. a S. C. facta, approbante Clem. XI, 29 Sept. **1714**, n. **3723**. Vid. haec dec. *ad calcem hujus tomi.*

§. II. QUAESTIONES PRAEAMBULAE.

I. *Etymologia.* 1. Vox *Missa* probabilius derivatur a latino *Missio.* — II. *Divisio.* 2. Missa quadruplici sub respectu distinguitur, ratione scilicet *a)* conformitatis cum Officio, *b)* ritus,

c) publicitatis seu assistentium et *d)* consecrationis. — *Missa conformis Officio.* — 3. *Missa cantata.* — 4. *Missa solemnis* nec apud omnes, nec ubique in Rubricis eodem accipitur sensu. — Status controversiae. — Regula pro praxi. — 5. An celebrari possit, Diacono subdiaconi Officio fungente. — An aliquae caeremoniae omitti possint. — 6. *Missa privata* ratione assistentium aut ritus *(Bassa, Secreta).* — 7. *Conventualis.* — *Realis et praesanctificatorum.*

Punctum II. — I. *Divisio* caeremoniarum. — 8. Vox *Reverentia* est nomen genericum, quod genuflexiones et inclinationes complectitur. — Duplex methodus in dividendis inclinationibus. — Quid in praxi. — 9. Methodus, quae magis fundata videtur, teneturque cum Romsée. — Ejusdem regulae. — 10. Quomodo et quando utroque vel uno tantum genu flectendum est. — II. *Sensus mysticus.* 11. In multis quidem, sed non in omnibus caeremoniis ille sensus ab Ecclesia intenditur. — Aestimandus non est judicio mundano. — 12. Sensus mysticus luminis, thuris et crucesignationum. — 13. III. Quanta cum cura servandae sunt caeremoniae in celebratione tremendi Sacrificii: citantur Tridentinum, Spiridio Talu, Mohren, Bened. XIV et S. Alphonsus de Ligorio. — Quid de sacerdote qui non valet genuflectere. — 14. IV. De tempore impendendo in celebratione Missae. — Devotio privata. — Regula de terminis extremis. — 15. Regula a Janssens data de Missis ordinariis. — Defectus nunquam satis deflendi. — Causae. — Remedia. — 16. V. Methodus addiscendi ritus et caeremonias.

Dicta, *part. II,* de Anno et Calendario, applicanda sunt etiam Missali: hoc siquidem respondet Breviario. Quare satis erit hic solas examinare quaestiones quae speciatim Missale respiciunt, et quarum solutio congrue praemittitur expositioni Rubricarum. Hujusmodi quaestiones sunt de etymologia vocis *Missa*, de divisione Missarum, de caeremoniis et ritibus. Huc etiam pertinent monita pro rite addiscendis ritibus et praxi celebrandi Missam.

PUNCTUM I.

Etymologia vocis MISSA, et divisio Missarum.

I. 1. *Missae etymologia.* De etymologia *Missalis* non quaeritur, quia patet hanc vocem derivari a *Missa,* Missaleque appellari librum qui Missas continet. Unde autem derivetur vox *Missa,* non omnes consentiunt; opinio tamen communior eam deducit a verbo *missio.* „Ex hebraica lingua, ait Benedictus XIV, *sect. 1, de Sacrif. Missae, n. 68,* nonnulli Missae Etymologiam trahunt. Deuteronomii *cap. XVI*

mentio fit de ultronea quadam oblatione, quam Hebraei Deo faciebant in gratiarum actionem pro fructibus terrae, eamque in ipso comedebant Templo, in memoriam veteris qua pressi fuerant servitutis, et libertatis in quam fuerant vindicati. Ea oblatio *Missach* appellabatur; e qua voce quidam putant ductam esse Missam, quod est novae legis Sacrificium. Haec Baronii sententia est ad annum Chr. 34, num. 59, quam sequitur Pontas *Dictionar. Casuum Conscient.* verbo *Missa.* Albaspinae Aurelianensis Episcopi singularis opinio est, in Tractatu Veteris Politiae Ecclesiae circa administrationem Eucharistiae, et circumstantias Missae, qui *lib. 2, cap. 3.* Missam ex voce *Mes* derivatam esse ait, quae vox apud Septentrionales Gentes etiam nunc Conventum, Festivitatem, Sacrificium significat. Sed eruditorum vulgus putat, idque probabilius est, e Latino Missam derivatam, quae vox idem valet ac missio, seu abeundi venia. Locus est Ciceronis in Philippica 5, *cap. ult. Legiones bello confecto missas fieri;* et Suetonius in Cajo, *cap. 25. Brevi* (Lolliam Paulinam uxorem) *missam fecit.* Quia vero in nostra Sacrificii Liturgia binae dimissiones erant, quarum altera Diaconus Catechumenos et Infideles post Evangelium et Concionem, altera caeteros omnes, Missa peracta, dimittebat illis verbis: *Ite missa est,* quae secunda dimissio etiamnum remanet; inde Sacrificio nostro Missae nomen inditum, qua in re consentiunt viri docti, Bona, *Rerum Liturgicar. lib. 1, cap. 1.* Bellarminus..." Multi citantur scriptores, inter quos Bossuetus in explicatione quarumdam difficultatum de Missae sacrificio *cap. 2,* ubi monet vocem *Missa* eamden esse ac *Missio* levi facta inflexione, quemadmodum Remissa pro Remissio, Oblata pro Oblatio, Ascensa pro Ascensio Veteres dixerunt. „Cum autem in hoc Sacrificio non una tantum, sed binae fiebant dimissiones, propterea non modo *Missa*, sed etiam *Missae* appellatum est nostrum sacrificium; unde frequenter in libris occurrit: *Missas facere, Missarum solemnia.* Ben. XIV, *ibid.* Cs. Romsée, Fornici, *cap. 1,* alii.

II. 2. *Missarum divisio.* Missa, quod ad rem nostram attinet, praecipue dividitur sub quadruplici respectu, scilicet *a)* in *conformem* et *non conformem Officio, b)* in *solemnem, cantatam* seu mediam et *privatam, c)* in *conventualem* et *non conventualem, d)* denique in *realem* et *praesanctificatorum.* Cf. Fornici, *part. 1, cap. 18 de variis Missarum*

denominationibus. De variis nonnullarum Ecclesiarum ritibus quaedam adnotata fuerunt, *part. II*, *p. 80 sqq.*, cum eodem Fornici.

a) Missa dicitur et est *conformis Officio* sub duplici respectu, quoad *Missale* et *Missae qualitatem:* quatenus scilicet celebratur de eodem ac ipsum Officium et sub eodem ritu, cum Missali correspondente. Conformitas autem haec duplici etiam sub respectu considerari potest, nimirum relate ad Officium tam Ecclesiae quam celebrantis, sive idem sive diversum sit. Sed quando idem est, tunc nulla existit difficultas circa qualitatem Missae, et Missa celebranda est conformis Officio, nisi dicatur *votiva* aut *de Requiem* in casibus a Rubricis permissis, uti ordinatur *tit. I*, 4. 5 etc. Cf. infra *sect. II*, quid agendum sit Sacerdoti extero, in casu Officii diversi saltem in colore.

3. *b)* Missa solemnis, Missa cantata et Missa privata simul et sub eodem distinctionis membro recensentur, quia haec Missarum triplex distinctio fit sub eodem respectu, ratione scilicet rituum qui in eis sunt servandi.

Missa cantata hic nuncupatur ea quae sine ministris sacris cantatur; quandoque vocatur etiam media, quia medium tenet inter solemnem et privatam, utpote plus solemnitatis habens quam privata et minus quam solemnis. De ea agit *tit. VI, 8, rit. celeb. Miss.*

4. *Missa* vero *solemnis* [1] non eodem sensu apud omnes

1) „Ab initio sacrificium principaliter institutum fuisse, ut publice, ac solemniter fieret, clero et populo adstante, offerente, ac communicante, orationes, ipsa Canonis verba in plurium nomine prolata, invitationes ad orationem, salutationes sacerdotis, responsiones populi, totius denique tenor Missae, et veteris Ecclesiae praxis evidentissime evincunt. Hanc consuetudinem primorum fidelium suo adhuc tempore Romae viguisse testatur Hieronymus adversus Jovinianum. Sed pristino populi fervore refrigescente, retenta prius communione Cleri, redacta postmodum ad communionem diaconi et subdiaconi, quod etiam nunc in aliquibus Ecclesiis servatur, de hac publicâ seu solemni liturgiâ, pro temporum seu regionum varietate, varii quoque mores fuerunt. Hodie haec publica et solemnis Missa dicitur illa, quae cum cantu et solemni caeremoniarum apparatu, ministris, et Clero assistentibus, suorumque ordinum munia excercentibus celebratur, appellata etiam *major, praecipua, capitularis, conventualis, pontificalis.*"

„Ab hac distinguitur *cantata,* quia illam musico concentu alternant cantores cum sacerdote celebrante sine sacris ministris."

accipitur. Cum vero dissensio inde praesertim oriatur quod aliis Missa solemnis est ea quae aliquam, etsi non omnem habet rationem solemnitatis; aliis autem ea dumtaxat quae omnem solemnitatis rationem habet, ideo dissensio ista aliquatenus componi posse videtur, si accurate distinguantur ea quae solemnitatem tum extrinsecam, tum intrinsecam constituunt. Solemnitas extrinseca consistit in apparatu (*part. II, pag. 132*); intrinseca vero in cantu, assistentia ministrorum et in caeremoniis quae a Rubricis traduntur pro hujusmodi Missis. Praeterea cum de facto (an de jure examinatur infra) aliquando non omnes sed quaedam tantummodo caeremoniae Missae solemnis adhibeantur, ideo Missa solemnis potest, ratione ritus, dividi in solemnem perfectam seu stricte dictam et in imperfectam seu late dictam; haec enim, utpote aliquid saltem habens solemnitatis, dici potest solemnis, quamvis non sit simpliciter talis. Quibus positis, sequentia affirmanda videntur.

1° Apud omnes solemnis habetur Missa in qua omnes praedictae caeremoniae servantur.

2° Solemnis etiam, seu solemniter celebrata, habenda est Missa quae cantatur cum solo Diacono, vel sine ministris sacris sed cum apparatu externo v. g. in Ecclesia parochiali a solo Parocho. Patet enim hujusmodi Missam esse extrinsece solemnem, quamvis non sit Missa solemnis qualis intelligitur in ritu celebrandi Missam. Unde in quibusdam, iisdem gaudet privilegiis ac solemnis stricte dicta. Cf. *tit. de orationibus* et *tit. XV de hora celebrandi Missam.*

3° Loquendo de intrinseca solemnitate, *imperfecte solemnis* erit Missa quae cum solo Diacono, vel etiam cum Diacono et Subdiacono cantatur, si in hoc ultimo casu aliquae omittantur caeremoniae Missae solemnis; *perfecte* autem seu *stricte solemnis* erit ea quae cum ministris sacris celebratur, omnibus servatis caeremoniis, ut dicitur *ad 1.* Haec dicta sint, ut intelligatur natura et vis controversiae quam hac de re agitant Rubricistae.[1] Pro praxi sit sequens regula.

„Missae publicae, solemni, cantatae opponitur *privata,* quae peculiariter sine cantu, uno duntaxat ministro inserviente, a quolibet agitur sacerdote....“ Fornici, *cap. 18.*

1) Missa dividitur „1. In Missam *solemnem et non solemnem.* Illa est, in qua nihil omittitur, quod ad solemnitatem spectat,

4° Ad praxim autem parum refert istiusmodi controversia. Ubi enim agitur de aliqua rubrica Missae solemni exclusive seu per oppositionem ad Missam privatam applicanda, si ex terminis non pateat quo sensu Missa dicatur solemnis (vid. *tit. V, 3*), aut privata (vid. *tit. IX, tit. XV, 13, tit. XVII*), hoc ex circumstantiis colligendum est.

5. Quaeritur an sit contra Rubricas 1° cantare Missam cum solo Diacono qui omnia agat munia Subdiaconi, vel 2° omittere thurificationem nonnullasque caeremonias in Missa cum Diacono et Subdiacono cantata?

R. Ad 1. Affirmative. Rubricae enim non agnoscunt istiusmodi Missam. Unde caeremonias non ordinant pro tali Missa, sed tantum pro sequentibus: pro Missa solemni stricte dicta, pro Missa a solo celebrante cantata et pro Missa privata seu lecta. Confirmatur ex S. R. C. dec. 24 Jul. 1856 *in Cameracen.* Hoc responsum legitur apud *Revue théologique, Nov. 1856, pag. 648,* extractum e mandato RR. DD. Archiep. diei 5 Nov. 1856. Attamen pro praxi, vide monitum hic ad sequens responsum appositum.

An et quando clericus, in minoribus constitutus, possit vices Subdiaconi gerere, dicitur infra *tit. 19 fin. verb. Pro conclusione.*

R. Ad 2. Pariter affirmandum videtur, cum Deherdt, *part. 2, n. 36.* „Aliquando quidem, ait, cantatur Missa cum ministris sacris sed absque incensatione, sine pace,

atque adeo Ministri Sacri, incensatio, Pacis osculum adhibentur. Ista est, in qua omnia ista aut pleraque certe omittuntur. Gav. *tit. 2, n. 5.* Verum haec definitio nonnullis stricta nimis videtur, quia ex ea sequeretur in plurimis Ecclesiis, ubi toto anno nulli Ministri parati, aut osculum Pacis adhibetur, nunquam Missam solemnem cantatum iri: quare putant, Missam solemnem eam dicendam, quae ordinarie cantatur in Ecclesiis; non solemnem vero, quae legitur tantum; et hanc opinionem colligunt ex eo, quod, teste Michaele Bauldrio, *part. 3, c. 12,* olim nullo modo licuerit Sacerdotibus Missas privatas ante Tertiam Horam celebrare, ne Populus a Missa solemni distraheretur, cum tamen non sit credibile, Missam hanc solemnem, quae quotidie tunc celebrabatur, semper cum Diaconis et incensationibus peractam esse, sed solummodo cantatam, sicuti de facto in Multis Ecclesiis fieri solet, et ad distinctionem Missarum non solemnium seu privatarum solemne Officium ..... vocatur. Prior tamen sententia magis fere apud Authores, utpote qui Gavantum sequuntur, recepta est." Lohner, *part. 1, tit. 1. 9. 2.*

Subdiacono portante Calicem ad Altare, non tenente patenam etc. ut appareat differentia inter dies solemnes et minus solemnes: in rigore tamen loquendo dici debet, haec fieri contra Rubricas, ita ut potius tolerentur quam approbentur. Rubricae enim nullam distinctionem faciunt quoad dies magis vel minus solemnes, et omnia aequaliter praescribunt pro quacumque Missa solemni: ita ut sola distinctio admittenda et approbanda sit, quae consistit in majori vel minori apparatu Altaris et ministrorum, in plurium cereorum accensione, et similibus, quae arbitrio rectorum remittuntur: non vero in ritibus praescriptis in actu celebrationis. Gav. *p. 2, tit. 2, rub. 5.* — Vinitior, *p. 4, tit. 10, n. 2.* — Quarti, *p. 2, tit. 4, sect. 1, dub. 4.*" Cavalieri tamen, *tom. 3, dec. 88, n. 12,* minus rigorose loquitur, usumque praedictum non damnat [1]. Cf. dict. *part. I de consuetudine in liturgia*, et advertatur hic agi de usu qui, juxta Cavalieri, *l. c.*, esset quasi ad mentem Rubricarum.

De thurificatione in Missa a solo celebrante cantata, agitur proprio loco.

6. *Missa privata.* Missa dicitur privata in duplici acceptione [2], ratione scilicet assistentiae populi vel communitatis, et ratione ritus, seu quatenus opponitur publicae et solemni vel cantatae. In priori acceptione, quae est propria vocis, Missa dicitur privata per oppositionem ad

1) "In usum nonnullae habent Ecclesiae, in quibus cum sacris Ministris Missa cantatur, in profestis, seu diebus minus solemnibus, ad distinctionem solemnium, incensationem omittere, et quaeritur, an rite? Equidem refragari videntur Rubricae, quae indiscriminatim attribuunt thurificationem Missis solemnibus quales sunt omnes, quae cum sacris Ministris decantantur; sed propterea damnanda non est communis Ecclesiarum praxis, quae Auctorum suffragio munita, non omnia, quae Missis solemnibus rubricae concedunt, praedictis adhibet Missis. Uti ergo, etsi Rubricae super Altare collocent Missale apertum, et calicem, aliaque necessaria praecedenter praeparent super credentiam, et Diaconum, et Subdiaconum manibus junctis ante pectus procedere faciant, adhuc praxis praedicta licitum reddidit in praefatis Missis subdiaconum portare Calicem et Diaconum Missale de sacristia ad Altare, ita et licitum erit in iisdem thurificationem omittere, ut iisdem Ecclesiis discrimen aliquod habeatur inter Missam dierum solemnium, nec profesta cum solemnitatibus confundantur." Cav. *l. c.*

2) Cf. not. ad Missam solemnem.

publicam seu conventualem [1], non quidem quia haec Missa non foret opus publicum, sed quia potest privatim dici, et non ordinatur, ut ei assistat populus aut communitas. Ex hac acceptione alia orta est, juxta quam per Missam privatam intelligitur Missa lecta quae non est conventualis. Quae acceptio inde originem habuit quod Missa conventualis solet cantari et quidem, ubi fieri potest, cum ministris sacris. Haec Missa privata dicitur etiam *Bassa* et *Secreta*. A Merati, *p. 1, observ. praelim. n. 46,* ita describitur: „Missa privata, prout distinguitur a Missa solemni, est illa quae privatim et peculiariter sine cantu, uno dumtaxat clerico ministrante, sive in Ecclesia, sive in Oratorio privato, celebratur.“ Addit: „Missa vero privata, prout distinguitur a publica, est illa in qua solus Sacerdos sacramentaliter communicat... Usus invaluit, ut quae fiunt absque publico conventu, privatae, seu peculiares dicantur... vel quae celebrantur solo Sacerdote sacramentaliter communicante.“ Pro praxi recolendum est quod dicitur de Missa solemni 4°.

7. *c) Missa conventualis* est quae quotidie in Ecclesiis cathedralibus, collegiatis, et conventualibus celebratur secundum ordinem Officii. De obligatione Missae conventualis, vid. Cavalieri, *tom. 3, dec. 50,* et dicenda infra *tit. I.*

d) Missa realis dicitur in qua habetur consecratio et communio; *Missa* vero *praesanctificatorum* ea nuncupatur in qua communio tantum et non consecratio habetur. Talis celebratur in sola feria VI Parasceves.

PUNCTUM II.

De caeremoniis et ritibus Missae. — Divisio. — Sensus mysticus. Studium in eis servandis. — Tempus impendendum in celebratione Missae. — Methodus.

Tomo I, pag. 2, n. 6, observatum est caeremoniam hic non distingui a ritu, et, *pag. 4 sqq.,* expositum est quis sit scopus, quae excellentia ss. rituum et caeremoniarum. Lectorem non pigeat recolere ibi exposita, ut hic silentio praetermitti possint. Quare satis hic erit exscribere verba Tridentini speciatim de SS. Missae sacrificio prolata. „Cum-

1) „Dividitur *in conventualem seu publicam, et privatam.* Illa est, quae immediate post Horas diurnas in summo Altari dicitur: Ista quae alio quocumque tempore a Personis privatis pro arbitrio legitur. Bauldrius, *part. 3, c. 1, n. 5.*“ Lohner l. c.

que, ait, *sess. 22, cap. 5 de Sacrificio Missae*, natura hominum ea sit, ut non facile queat sine adminiculis exterioribus ad rerum divinarum meditationem sustolli; propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quaedam summissa voce, alia vero elatiore, in Missa pronuntiarentur, instituit. Caeremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina, et traditione, quo et majestas tanti Sacrificii commendaretur, et mentes fidelium per haec visibilia religionis et pietatis signa, ad rerum altissimarum, quae in hoc Sacrificio latent, contemplationem excitarentur.“ Notare praeterea juvat canonem IX ejusdem sess. qui sic sonat: „Si quis dixerit, Ecclesiae Romanae ritum, quo submissa voce pars Canonis, et verba Consecrationis proferuntur, damnandum esse; aut lingua tantum vulgari Missam celebrari debere; aut aquam non miscendam esse vino in calice offerendo, eo quod sit contra Christi institutionem; anathema sit.“ Cf. dicta *tom. I, de obligatione rubricarum*, et dicenda infra *n. 12 sq.*

I. 8. *Divisio.* Ad caeremonias et ritus pertinent reverentiae, id est genuflexiones et inclinationes, manuum extensio et junctio, crucesignationes, varietas in voce, usus luminis et thuris. De singulis sint sequentia.

Reverentia, uti cum Cavalieri observatum est, *tom. I, p. 358,* est nomen genericum, quod genuflexiones et inclinationes comprehendit, atque ex circumstantiis colligendum est an de genuflexione vel inclinatione accipiendum sit hoc nomen. Genuflexio duplex est: alia fit uno eoque dextro genu, alia fit utroque. Inclinationes etiam subdividuntur, sed non eodem modo ab omnibus.

Alii tres species inclinationum agnoscunt, nimirum: *profundam, infimam* et *mediam.* „Sciendum est, ait Merati, *p. 2, tit. 2, n. 2,* inclinationes ab Auctoribus peritioribus ad tres reduci classes, quae dicuntur Profunda, Media et Infima. Inclinatio profunda fit capitis atque humerorum profunda incurvatione, et bene describitur in Caeremoniali PP. Discalceatorum B. M. V. de Monte Carmelo, *part. I, §. 3,* ubi dicitur quod profunda inclinatio, seu integra, est cum stando, ita deorsum flectitur caput et corpus, ut, in modum Crucis manus ambae dispositae, utrumque genu facile contingant.“ Juxta eumdem media dicitur quae fit capitis et modica humerorum inclinatione; infima, quae fit

sola capitis inclinatione. Ita fere Baldeschi. „Inclinationes, inquit *tom. 1, art. 2, n. 16, not. a,* triplicis sunt speciei, profundae, mediocres et infimae; primae fiunt caput inclinando corpusque profunde inflectendo; secundae inflectendo caput et mediocriter humeros; ultimae, caput pariter inflectendo, et insensibiliter humeros: ita docent Rubricistae." Cs. Quarti, *part. 1, tit. 17, d. 5.* De infima sequentia subjungit Merati, *l. c.* „Haec, inquit, inclinatio infima, nempe solius capitis, subdividitur ab aliquibus in tres alias classes, quarum prima vocatur Minimarum maxima, secunda Minimarum media, tertia Minimarum minima."

Alii inclinationes dividunt in duas species, quas etiam subdividunt, ut refert Merati. Quoad praxim, duae sententiae parum inter se differunt. Nam inclinationes profunda et media, juxta priorem sententiam, correspondent, fere saltem, inclinationibus corporis profundae et mediocri. Equidem inclinatio quae dicitur mediocris Corporis aliquanto major est quam quae dicitur media in priori sententia; sed cum hujusmodi differentia non sit notabilis, utraque sententia dici potest in hoc tantum discrepare quod prior non subdividit inclinationem infimam, dum posterior sententia eamdem inclinationem tripliciter seu in tres gradus subdividit. Quo facilius intelligantur Rubricae et Auctores, in sequenti tabella exhibentur variae divisiones et subdivisiones.

Reverentia
- Genuflexio { Unius vel utriusque } genu.
- Inclinatio juxta
  - unam sententiam est { Profunda, Media, Infima.
  - alteram sent. est
    - corporis { Profunda, Mediocris,
    - capitis { Profunda, Media seu Mediocris, Infima; seu
      - Maxima, Media, Minima } Minimarum.

9. Q. I. Utra distinctio videatur magis fundata?

R. Posterior distinctio, quoad nomen, videtur magis consona Rubricis. Hae namque expresse loquuntur de inclinatione capitis, et consequenter eam expresse distinguunt a corporis inclinatione, hancque implicite commemorant. Praeterea duplicem corporis inclinationem implicite et non obscure nominant, dicendo: *profunde, mediocriter inclinatus*. Ubi enim quis simpliciter dicitur inclinatus, nulla expressa parte quae est inclinanda, hoc intelligendum est de corporis inclinatione; hincque Rubricae dum exigunt solius capitis inclinationem, hoc expresse declarant. Propterea inclinatio media, qualis describitur a Patronis prioris sententiae non videtur adaequate respondere huic Rubricae locutioni: *mediocriter inclinatus*, scilicet corpore.

Quod vero attinet ad subdivisionem inclinationum capitis, nec exprimitur nec insinuatur in Rubricis. Fundamentum tamen habet in ipsa rei natura, id est in diverso gradu cultus, scilicet *Latriae, Hyperduliae* et *Duliae*. Cum enim sacra Liturgia sit quaedam externa fidei professio, omnino congruit, ut inclinationes sint plus minusve profundae, prout ad Deum, B. Virginem, aut ad alios Sanctos vel ad Papam referuntur.

Caeterum quidquid judicetur de utraque sententia, non notabilis, uti jam observatum est, exurget disparitas in caeremoniis, exinde quod uni potius quam alteri adhaereatur. Non tamen parum interest scire quibus verbis singula inclinatio exprimitur apud AA. et in Rubricis, quomodo et quando unaquaeque generatim sit facienda. Nos in decursu hujus expositionis, Romsée, Deherdt aliosque secuti, genuflexiones et inclinationes enuntiabimus juxta distinctiones posterioris sententiae, et regulas sequentes, quas describit Romsée, *tom. 1, part. 1, art. 6, n. 1 sq.*

„*Inclinatio*, alia corporis, alia capitis: prima subdividitur in profundam et mediocrem. Profunda censetur quando corpus est ita incurvatum, ut brachiis cancellatis, cum extremitate digitorum tangi possit utrumque genu: porro haec fieri debet, quoties rubrica habet: *profunde se inclinat*, vel *profunde inclinatus dicit*. Haec autem ut decenter fiat in altari, Celebrans, sese profunde inclinaturus, debet medio circiter passu pedes ab antipendio removere, et se ita constituere, ut frons fere tangat partem superiorem antipendii.“

Haec tamen verba, *ut frons fere tangat etc.*, non sunt absolute, nec nimis rigorose intelligenda. *Non absolute*, sed juxta regulam antea datam, et relative ad altaris altitudinem celebrantisque staturam; quasi diceretur: in inclinatione profunda corporis, ad Altare facta juxta praefatam regulam, communiter loquendo, frons Celebrantis *fere* tanget partem superiorem antipendii. — *Neque nimis rigorose*, quia nec procurandum est, *ut frons fere tangat* antipendium, nec decens est, ut ei nimis appropinquet.

„Mediocris est profunda paulo minor, seu media inter profundam corporis et inclinationem capitis, de qua mox: haec est formanda, dum rubrica habet: *aliquantulum* vel *mediocriter inclinatus Celebrans dicit.* Pariter ut haec inclinatio debite formetur in Altari, paululum pedes sunt ab antipendio removendi." *n. 1.*

„Inclinatio capitis, alia profunda, alia media, alia tandem parva seu minima. Profunda fit magna capitis depressione, quae secum trahat modicam humerorum incurvationem: haec est formanda, quando inclinatio capitis habet rationem cultus latriae; proindeque dum dirigitur ad SS. Sacramentum, vel ad Crucem, aut fit ad prolationem Nominis *Jesu.*" In caerem. Ep. *n. 3, cit. tom. I, p. 358*, ita exprimitur: „Profunde Altari caput, humerosque inclinant."

„Media fit magna solius capitis demissione; et haec est formanda quoties inclinatio capitis habet rationem cultus Hyperduliae: unde cum hic debeatur Genitrici Dei, ad prolationem Nominis *Mariae*, inclinatio media locum sibi vindicat."

„Parva tandem est levis humiliatio solius capitis, et fit dum inclinatio habet rationem cultus Duliae; proindeque ad prolationem Nominis Sancti, cujus Missa celebratur, vel fit specialis commemoratio; necnon Pontificis." *n. 2.* Hic apponitur sequens nota: „Haec inclinationum capitis varietas statuitur in caerem. Episc."

10. Q. II. 1° Quomodo, et 2° quando facienda est genuflexio utroque vel uno genu?

R. Ad 1. Genuflexio utriusque genu adnexam habet profundam capitis (non corporis) inclinationem, quando fit coram SS. Sacramento. Genuflexio autem unius tantum genu fit absque capitis aut corporis inclinatione, demittendo genu dextrum usque ad terram, idque juxta talum pedis,

nisi fiat in gradu altaris. Celebrans, sed non ministri, quando ad altare genuflectit, manus super illud deponit, praeterquam ad elevationem hostiae et calicis. In hoc enim duplici casu, non manibus, sed carpis altare tangit Celebrans. Quando alibi genuflectit, manus junctas tenet ante pectus, nisi sint impeditae.

R. Ad 2. Auctores non consentiunt in assignanda regula generali, qua discernatur quandonam uno, quandonam utroque genu sit flectendum. Videtur distinguendum an genuflexio fiat propter SS. Sacramentum aut propter verba prolata, etc. Si 1um, certum est genuflexionem faciendam esse vel unico vel utroque genu, prout SS. est in tabernaculo reconditum, aut patenter, etsi in Pyxide (dec. 7 Mai. 1746, n. 4032, 9) expositum: si tamen excipias Celebrantem et ministros ad Altare. Patenter autem expositum reputatur SS. Sacramentum, quando elevatur post consecrationem, vel fidelibus ministratur s. communio. Notandum tamen est Sacerdotem tunc transeuntem, celebraturum Missam, posse a genuflexione assurgere antequam terminetur communio. Dec. 5 Jul. 1698, n. 3328, 19. Cf. Cav. *tom. 4, dec. 174, n. 4* [1] et *dec. seqq.* An vero idem ac de distributione s. communionis dicendum sit de tempore Missae, a consecratione ad communionem utriusque speciei, non conveniunt AA. Videtur negandum. Et ratio est, „quia, ait Merati, *part. 2, tit. 2, n. 7,* cum Sacramentum sit absconditum ob Sacerdotem celebrantem, est in illo Altari, quasi esset in tabernaculo, et sic communiter Romae fit.“ Si 2um, tunc admittenda videtur distinctio quae a pluribus traditur, videlicet: utroque vel unico genu flectendum erit, prout fit cum vel sine mora. Caeterum locis propriis unaquaeque species indicatur, attentis verbis quibus indicitur, et circumstantiis, in quibus est facienda, *sect. II, tit. XVII.*

1) „Sub hac distinctione est definiendum: ita ut si Sacramentum in Tabernaculo lateat inclusum, sufficiat genuflexio cum unico genu, requiratur vero cum duplici si habeatur patenter expositum, aut elevetur in Missa, vel media communione administretur fidelibus. In oppositum quidem sentiunt Bauldrius, *part. 3, tit. 2, n. 1, in notis n. 3,* et Bissus, *tom. 1, lit. g, n. 24, §. 2,* qui genuflexionis faciendae hanc generalem dant regulam, ut utroque genu illa fieri debeat, si facienda est aliqua pausa; cum unico tantum, si nulla debet haberi... Sed eorum opinio manifeste contradicit apertis Congregationis Decretis...“ Cav. *l. c. n. 4 cit.*

et *sect. III, tit. II.* De capite aperiendo vel non, in genuflectendo, agitur *sect. III, tit. II.* De genuflexione facienda Reliquiae S. Crucis, ipsi Cruci, Papae aut Praelato, non dubitatur quin facienda sit uno genu. De modo elevandi aut jungendi manus, variandi vocem, faciendi signa Crucis, dicitur propriis titulis.

II. 11. *Sensus mysticus.* Quaenam sint generales seu ultimae causae propter quas S. Mater Ecclesia Rubricas, Ritus et Caeremonias instituerit, expositum est *tom. I.* Hic nonnulla veniunt addenda de causis proximis ac praesertim de sensu mystico caeremoniarum. Causa proxima caeremoniarum, juxta Gavantum cit. *tom. I, pag. V,* est historica vel mystica. Ad causas historicas referendae sunt causae convenientiae exurgentis vel ex communi hominum aestimatione, vel ex ipsa rei natura. Quae convenientiae vocari etiam possent partim civiles, partim naturales. Sic v. g. osculum est signum civile amicitiae et reverentiae, et ad naturalem convenientiam spectat, ut una manus non teneatur elevata, dum altera aliquid operatur. Itaque causa mystica non est quaerenda in omni ritu; sed cavendum pariter est, ne omnes caeremoniae et ritus attribuantur solis causis historicis et naturalibus, exemplo Claudii de Vert. Vid. *tom. I, p. 394 not.* Et pro certo tenendum est aliquibus, etsi non omnibus ritibus, ab Ecclesia attribui significationes mysticas, quaecumque fuerit causa originis hujusmodi rituum: ex caeremoniis scilicet aliae servantur in vestigium antiquitatis, aliae fiunt causa reverentiae erga res et personas, aliaeque habent sensum mysticum. Audiatur sapientissimus Pontifex Benedictus XIV, *n. 123 de Festis D. N. J. C.* „Tractat hoc argumentum Tournely Doctor Sorbonicus in Praelectionibus Theologicis *de Sacram. in genere, pag. 539 et seq. edit. Parisiens. anni 1726*, ubi sententiam vehementer improbat tum eorum, qui institutas caeremonias putant ad solas causas seu naturales seu fortuitas esse referendas, rationesque symbolicas mera esse credunt noni saeculi commenta: tum etiam eorum, qui caeremonias omnes ad rationem symbolicam revocant, nihilque earum contendunt e naturalibus causis esse profectum. Atque eo rem omnem confert, ut, si qui etiam ritus vel caeremoniae ex aliqua naturali causa suam originem traxerint, eas nonnisi symbolica quadam ratione convestitas Ecclesia arripuerit. Idem docet etiam Boucat sacrae Theo-

logiae Doctor Parisiensis, *tom. 5 de Sacram. in genere, dissert. 1, de Sacris Caeremoniis.* Hanc opinionem mirifice juvat usus sacri thymiamatis, cujus conficiendi modum ad cultum solius Tabernaculi praescripsit Deus *Exod. cap. XXX.* Illud in sanctissimo Missae sacrificio a primis usque temporibus Ecclesia adhibuit ut apparet in Canone tertio ex iis, qui sub Apostolorum nomine circumferuntur. *Ne liceat aliquid aliud ad Altare offerre, quam oleum ad luminare, et incensum tempore sacrae oblationis.* Ait Vertus thymiamatis usum eo fuisse introductum, ut e locis subterraneis, ubi celebrabatur Missa, quod tetri esset odoris, arceretur. Verum D. Thomas, *part. 3, qu. 83, art. 5, ad secundum* docet non caeremoniali quidem praecepto, sed ecclesiastica lege nos jussos thymiamate uti: *Thurificatione non utimur quasi caeremoniali praecepto legis, sed sicuti Ecclesiae statuto.* Quod si in honorem Sanctissimi Sacramenti quandoque illud incendimus, quo sedetur diffleturque si quae odoris foeditas sit, eo etiam utimur, ut effectum gratiae significemus. *Primo quidem ad reverentiam hujus Sacramenti, ut scilicet per bonum odorem depellatur, si quid corporaliter pravi odoris in loco fuerit, quod possit provocare horrorem; secundo ad repraesentandum effectum gratiae etc.*" Et *n. seq.* probat usum luminum non ad depellendas tantum tenebras institutum, sed candelas etiam interdiu accensas fuisse. Cf. Romsée, *tom. 4, praef.* „Constat tamen, ait, contra sensus pure mystici auctores, multas caeremonias primario et principaliter in ratione naturali esse fundatas: quare enim celebrans altare osculaturus vel genuflexurus, manus ad altare deportat, nisi commoditatis gratia?.... Constat deinde contra patronos sensus litteralis, seu naturalis, plures caeremonias sensum habere tantum spiritualem: nam ad quid cruces formantur supra species jam consecratas?.." Cf. dicenda de paramentis sacris, *tit. XVIII sq.* Pontificale Rom. *in ordinibus conferendis,* et Trid. *sess. 22, cap. 5, de Sacrif. Missae supra cit. n. 7 fin.*

In aestimando sensu mystico, ratio habenda est circumstantiarum temporis, et praeterea res non est consideranda humano sensu, sed oculis fidei. Hac enim ratione plura reperientur solidae instructionis referta pietatisque plena, quae humano judicio futilia haberentur.

12. Sensus mysticus praecipuarum caeremoniarum explicatur suo loco, quantum videtur opportunum. Interim

tamen sequentia hic generatim notantur de lumine, de thure et de crucesignationibus ad functiones sacras.

1° *De lumine.* „Sub Sacrificio et divinis Officiis cerei accenduntur, tum ad laetitiam et devotionem in fidelibus excitandam: unde in solemnitatibus major cereorum numerus ardere solet; tum in signum et typum Christi, qui lux est illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum; tum in honorem sacrorum mysteriorum." Romsée, *tom. 4, art. 4, n. 4.*

2° *De thure.* Thus adhibetur ad honorem, et propter sequentes rationes mysticas. „*a)* Thuris crematione significatur, quomodo in servitio Dei corda Fidelium igne charitatis consumi debeant. — *b)* Repraesentatur in thure Christi bonus odor, de quo scriptum est: *in odorem unguentorum tuorum currimus, adolescentulae dilexerunt te nimis.* Sicut ergo incensum per totam Ecclesiam fumum spargit, et bonum odorem; ita Christus in Fideles gratias suas spargit, quibus mens eorum intus recreatur, ut olfactus bono thuris odore; ita S. *Dionysius.* — *c)* Cum thus sit Symbolum Orationis juxta illud *Davidis: dirigatur, Domine, oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo*, quae verba ponuntur in ore Sacerdotis sub Missa crucem incensantis, inde innuitur, quod, uti thus in fumum non abit odoriferum, nisi igne cremetur, ita preces nostrae ad Deum in odorem suavitatis ascendere nequeant, nisi igne charitatis et devotionis coquantur. — *d)* Tandem thus figurat orationes Sanctorum, prout expresse refertur *Apocalyp. V, 8*..., et *VIII, 3* et *4*... In hoc autem supposito, dum incensamus Sanctos, ipsis supplicamus, ut nobiscum et pro nobis Deum exorent, votaque nostra in conspectu ejus offerant; dum vero SS. Sacramentum, Crucem, aut Altare, Christum figurans, petimus, ut hic magni consilii Angelus pro nobis ad Patrem interpellet, nostrasque preces illi offerat, et sua potenti mediatione gratas et efficaces efficiat." *Ibid. art. 5.*

3° *De crucesignationibus.* Cum crux praecipuum fuerit instrumentum Passionis Domini, quae pro nobis extitit fons omnium gratiarum, crucesignationes optime commemorant et passiones et merita Christi. Fiunt in Missa super oblata, ante consecrationem ad ea sanctificanda per merita Crucis, et post consecrationem, *solum* (ait S. Thom.) *ad commemorandum virtutem Crucis et modum Passionis Christi.* Haec S. Doctoris verba refert Benedictus XIV, *sect. 1, n. 277*, et

quibusdam subjectis [1] ita concludit: „Crucis igitur signa, quae post consecrationem ducuntur super Hostiam et Calicem, non sunt Benedictiones, sed commemorationes virtutis et efficaciae Sacramenti Eucharistiae, quae virtus profluit e Sacrificio Crucis, quod in Missae Sacrificio repraesentatur et continuatur, ut haerens S. Thomae doctrinae ostendit Suarez.“

Mysticus etiam est numerus quo fiunt signa Crucis: „*semel* quidem propter essentiae unitatem, *ter* propter Trinitatem Personarum, et *quinquies* propter quinque vulnera Christi Domini, et expressam repraesentationem Passionis ejus.“ Bened. XIV, *l. c.* cum Micrologo.

13. *Quanta cum cura servandae sunt caeremoniae in celebrando S. Missae Sacrificio.* Ex generatim dictis *tom. I, de scopo, excellentia,* et *obligatione Rubricarum,* et *ex Bullis hic citatis* §. *1,* facile colligitur quanta cum cura servandae sint caeremoniae in celebrando Sacrosancto Missae Sacrificio: nullum siquidem aliud opus est adeo sanctum, atque divinum. Attamen cum pravo naturae corruptae impulsu [2],

1) „Nihil Ecclesia praetermittit, quo in animis imprimat Sacerdotum et adstantium, idem esse Sacrificium Altaris cum Sacrificio Crucis. Et sane cuperet, ut praesertim Sacerdotes sibi ipsi post Consecrationem Christum Jesum objicerent animo immolatum in Cruce, ut ait Apostolus ad Galatas, qui post ejus praedicationem Christum Crucifixum ob oculos semper habebant. *Ante quorum oculos Jesus Christus praescriptus est in vobis crucifixus.* Atque ut ejusmodi oriatur effectus, vult Ecclesia omne verbum, quod exprimit Corpus et Sanguinem Domini, cum signo Crucis proferri, quo declaratur Hostiam, et quod continetur in Calice idem esse Corpus, quod Cruci fuit affixum, et ipsum Sanguinem, qui in Cruce effusus est.“ Ben. XIV, *l. c.*

2) „Quam Deo cordi fuerit in Veteri Lege sacrarum caeremoniarum in Ecclesia cultus, et nitor, ex eo perspicitur, quod voluerit minusculas quasque (si ita nuncupare fas sit quae divinum honorem spectant) sacras actiones Moysi interpreti suo, nedum ore tradendas, sed etiam scriptis consignandas praescribere, quo illarum apud posteros memoria nunquam interiret. Quod si tanti fiebant a Deo antiqui illi ritus, qui nonnisi typi, et adumbrationes futurorum erant, inque adventu Messiae penitus abolendi; quanti fiant a Fidelibus necesse sit in Lege gratiae ecclesiasticae illae sacraeque caeremoniae in antiquis illis dumtaxat praesignatae, quas aeternum duraturas ignorat nemo, quibus ejus honor ad finem usque mundi a fidelibus augeri, et instaurari intendit Deus? Attamen ea est nostrorum temporum conditio, ut Christianorum nonnulli hujuscemodi ritus

adjuvante etiam assuefactione, valde propellamur in illam exitiosam incuriam qua ducimur ad tractandum humano prorsus modo hoc tremendum Sacrificium [1], ideo utile erit hic quaedam adnotare quae speciatim ad Rubricas Missae spectant, quibus Sacerdotes praemuniantur contra istam caecam damnabilemque consuetudinem.

„Quanta cura, ait Trid., adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae sacrificium omni religionis cultu, ac veneratione celebretur; quivis facile existimare poterit, qui cogitarit, maledictum in sacris Literis eum vocari qui facit opus Dei negligenter. Quod si necessario fatemur, nullum aliud opus adeo sanctum, ac divinum a Christi fidelibus tractari posse, quam hoc ipsum tremendum mysterium, quo vivifica illa hostia, qua Deo Patri reconciliati sumus, in altari per Sacerdotes quotidie immolatur; satis etiam apparet, omnem operam et diligentiam in eo ponendam esse, ut quanta maxima fieri potest interiori cordis munditia, et puritate, atque exteriori devotionis ac pietatis specie peragatur. Cum igitur multa jam sive temporum vitio, sive hominum incuria, et improbitate irrepsisse videantur, quae a tanti sacrificii dignitate aliena sunt, ut ei debitus honor, et cultus ad Dei gloriam, et fidelis populi aedificationem restituatur; decernit sancta Synodus, ut Ordinarii locorum Episcopi ea omnia prohibere, atque e medio tollere

non ea qua par est diligentia et studio colere satagant; imo, quod deterius est, illos pro suo quique arbitrio permutare, seu potius depravare interdum praesumant: cui incommodo olim ut mederetur Sixtus V, Romanus Pontifex, pro sua tuendae Ecclesiae vigilantia Sacrorum Rituum Congregationem ex quinque Cardinalibus instituit, quibus cura incumberet abusus omnes, si qui irreperent, corrigere et removere, areamque Ecclesiae pestifera hac zyzania penitus repurgare.“ Spiridio Talu *in sua praefatione.*

1) „Quantum ad modum celebrandi exteriorem, hodie, inquit Mohren, plures videre est errores et defectus (quod sanguineis lacrymis deplorandum est) contra Rubricas Missalis; ad quarum tamen scientiam Episcopus in Ordinatione Presbyterorum eos exhortatur his verbis: *Quia res, quam tractaturi estis, satis periculosa est, filii dilectissimi, moneo vos, ut diligenter totius Missae ordinem, atque Hostiae consecrationem, ac fractionem, et communionem, ab aliis jam doctis Sacerdotibus discatis, priusquam ad celebrandum Missam accedatis,* et quas non observare non parvi momenti est.“ Mohren, *Allocut. ad Sacerdotes,* in Oper. cujus titulus refertur *tom. I, p. 493.*

sedulo curent, ac teneantur, quae vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia, quae ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, verae pietatis falsa imitatrix, induxit.... Caveant ne Sacerdotes aliis quam debitis horis celebrent; neve ritus alios aut alias caeremonias et preces in Missarum celebratione adhibeant, praeter eas, quae ab Ecclesia probatae, ac frequenti et laudabili usu receptae fuerint.“ *Sess. 22, Decret. de Observandis in celeb. Missae.* Opus non est monere hoc Decretum non suffragari ad tuendas consuetudines Rubricis contrarias. Cf. *cap. 5 ejusd. sess. cit. ad n. 7*, et statim dicenda de tempore impendendo in celebratione Missae, et de praeparatione Celebrantis, *sect. III, tit. I.* Cf. Bened. XIV, Const. *Annus* 19 Feb. 1749, §. 15 [1], *tom. 3, Bull.* mihi *p. 19,* et S. Lig. *n. seq.*

Quaeritur an qui genuflectere non potest, ob tumorem vel simile impedimentum in genibus, excludendus sit ab altari, vel excusari debeat ratione infirmitatis ab hoc ritu servando, et sic licite celebrare?

R. Quarti, *part. 1, tit. 17, dub. 1,* „secluso scandalo probabile videri posse licite Sacerdotem praedicto modo impeditum Sacrum facere; potest autem facile removeri scandalum, si in privato sacello celebretur Missa.“ Pariter removetur, si celebretur quidem in Ecclesia, sed januis clausis.

IV. 14. *De tempore impendendo in celebrando SS. Missae Sacrificio.* Cum ad rite servandas caeremonias insumendum sit sufficiens temporis spatium, hic videtur opportunus locus inquirendi de praefato spatio. Hanc quaestionem tractat Bened. XIV, *Inst. 34, §. 6, n. 28,* et ibi dicta repetit *sect. 2 de Sacrif. Miss. n. 215 sqq.* Relata Rubrica *2, tit. 16,* ita prosequitur, *Inst. cit. n. 30 sqq.* „Scriptores autem, juxta Rubricam, temporis spatium, quod in Missae celebratione impenditur, duplex constituunt; videlicet interius, et exterius. Primum quidem in recta, integraque verborum pronuntiatione, in precibus, caeterisque rebus, quae a Sacris ritibus praescribuntur, attente decenterque absolvendis collocatur, alterum vero illud est, quod pietati sacerdotis liberum relinquitur.“ Bene notanda est vox *decenter.* Non enim sufficit integra verborum pronuntiatio, sed requiritur decens, quae nimirum apta sit tum ad conciliandam Sacrosancto

1) Ibi refertur textus cardinalis Bellarmini qui legitur apud S. Lig. *l. 6, de Euch. n. 400 fin.,* hic exscriptus in nota *pag. 26.*

Sacrificio debitam reverentiam, tum ad promovendos fovendosque pietatis sensus in animis adstantium. Cf. *l. c. n. 31*, et statim dicenda cum S. Ligorio. „Admonent tamen, prosequitur, ut hanc secundam prolixitatem, quo possunt studio, singuli evitent, ne fastidium populo afferatur; primam vero non sine gravi culpa omitti posse fatentur. De illa sane sermonem habebat S. Philippus Nerius, cum Sacerdotes, qui in Sacro peragendo coelesti voluptate supra modum cumularentur, hortari solebat, ut dicerent: *Non palam has delicias, sed clam in cubiculo magis optarem.* Hoc pacto innuebat Sacrum religiose quidem fieri debere, cavendum tamen, ne taedio populus afficiatur; in cubiculo autem pietati habenas laxandas esse." Deinde ex allatis deducit sequentem regulam de terminis extremis: „Itaque si spatium temporis interius, quod requiritur in iis omnibus rite perficiendis, quae modo explicavimus, sedulo perpendatur, non ita brevi tempore, ut multi existimant, Sacrum expediri potest, sed ex unanimi Scriptorum opinione ad tertiam horae partem saltem debet pertingere, neque horae dimidium excedere". Quod confirmat *n. 31 seq.* „Attamen, inquit, si quis tempus quod superius exposuimus, impendere negligat, nunquam satis attente, ac decenter percurrere, atque agere potest universa, quae in Rubricis continentur, quemadmodum docet Gobatus, cum illam conditionem *breviter* in celebranda Missa necessariam, his verbis explanat: *Breviter, at non festinanter, perinde ac si esset a tergo, qui scuttica urgeret etc. Breviter, id est, circa dimidiam horam....*"

Ex dictis deducitur a S. Lig. *Th. mor. lib. 6, de Euch. n. 400,* sequens consectarium. „Hinc, ait, difficulter posse excusari a mortali sacerdotem, qui infra quadrantem Missam absolveret, etiamsi Missa sit ex brevioribus, vel de S. Maria in Sabbato; quia in tam brevi spatio necessario committere debet duos graves defectus, alterum gravis irreverentiae erga Sacramentum, alterum gravis scandali erga populum........ Impossibile autem est Missam perfici infra quadrantem, quin omittantur aut verba, aut caeremoniae: vel saltem quin notabiliter imminuatur decentia et gravitas tanto Sacrificio debita. Hoc sedulo animadvertendum; quis enim forte dicet, quod ipse bene pronuntiat integra Missalis verba, et bene adimplet cunctas Missae caeremonias. Verum, licet detur aliquis ita lingua et motu expeditus, ut infra tale tempus satisfaceret omnibus Missalis

verbis et caeremoniis, attamen saltem est moraliter impossibile, quod iste celebret, quin notabiliter detrahat ex una parte reverentiae ab eo praestandae erga Sacrificium, et ex alia quin ipse sit causa, ut populus assistens deficiat in veneratione quae eidem Sacrificio debetur. „Deinde S. Doctor ex Trid., *sess.* 22, ostendit Sacerdotem ita festinanter celebrantem deficere in reverentia erga Missam ab ipso exhibenda, et in veneratione ingerenda adstantibus erga Missam. Tandem vehementer deflet detestabilem nonnullorum incuriam circa istiusmodi corruptelam [1].

15. *Regulam de termino medio* tradit Janssens, *Append. ad part.* 1, 2, *n.* 10 *sq.*, distinguendo inter varias Missas. Postquam retulit pleraque verba Benedicti XIV de hoc argumento, post haec, *Admonent, etc.* supra cit., sequentia subjungit:

„Ut autem de spatio temporis interiori justum feratur judicium, distinguendum est inter Missas et Missas; nonnullae etenim sunt breviores, ut Missae *de Requiem* quoti-

1) „Ita res se habet, sed heu quot sunt superiores isti, et quot sacerdotes, qui de hoc sibi scrupulum injiciunt? Exclamant concionatores, exclamant scriptores recte docentes, quod ingens divexatio caeremoniarum, et consequenter quod Missae absolutio infra quadrantem non potest excusari a culpa gravi; sed quot sunt ii qui curam habent haec vitandi? Hujusmodi corruptela non quidem calamo, sed lacrymis esset persequenda, dum quotidie cernimus, non solum maximam partem sacerdotum saecularium hoc tremendum Sacrificium peragere pejus, quam tractant res temporales levioris momenti, ita oscitanter, ut nullam de tanto mysterio fidem habere videantur, sed quod deplorabilius, etiam religiosi, adhuc arctioris observantiae, qui in aliis rebus spiritualibus agendis magnam diei partem insumunt, Missam vero quae omnium est divinissimum, non dubitant brevissimo tempore perficere, nec ipsi ab hoc detestabili abusu se abstinere, nec Praelati eos corripere curant. En quomodo de hoc conqueritur venerabilis cardinalis Bellarminus, relatus in bulla, *Annus qui, etc.* N. SS. Benedicti XIV (in Bullar. *t. 3, n. 3, §. 15*). „Aliud est etiam lacrymis uberrimis dignum, quod ob nonnullorum sacerdotum incuriam, aut impietatem, sacrosancta mysteria tam indecore tractentur, ut qui illa tractant, videantur non credere, majestatem Domini esse praesentem. Sic enim aliqui sine spiritu, sine affectu, sine timore, et tremore, festinatione incredibili Sacrum perficiunt, quasi fide Christum Dominum non viderent, aut ab eo se videri non crederent." Cf. Bened. XIV, *Inst. 34 cit. n. 28 sq.* et *n. 31* ubi exploduntur praetextus excogitati pro tuenda istiusmodi corruptela.

dianae, nominatim, dum in iis omittitur Sequentia *Dies irae.* Item Votivae communes de Beata, etc. Aliae sunt longiores, in quibus multae collectae, *Gloria et Credo,* longa insuper et inusitata Epistola aut Evangelium, etc. etc. Aliae autem sunt Missae inter illas duas mediae." *n. 10.* „De hisce itaque Missis, longiores inter et breviores mediis, mediam, et, ut speramus, optimam, cum probatis Authoribus, viam ineundo, putamus quod spatium temporis interius necessarium, ut omnia illius Missae verba et Caeremoniae, secundum praescriptos ab Ecclesia ritus, debite perficiantur, ad mediam horam (si induitio et exutio sacrarum vestium includatur) pertingere debeat." *n. 11.* Cf. pt. Romsée, *tom. 1, part. 1, art. 8,* et *part. 2, Allocut. ad Sacerdotes, n. 29,* ubi exponit causas istius deflendae praecipitationis. Quatuor autem recenset, nimirum: 1° ignorantiam crassam SS. Rituum et significationis eorum; 2° vitam mundanam sacerdotis; 3° defectum verae et vivae fidei erga SS. Sacramentum; 4° denique inconsiderationem et profundam oblivionem maledictionum horrendarum quas Deus irreligiosis et impiis continuo intentat.

Medium aptum quo vitetur ista exitiosa incuria, ista deflenda praecipitatio, est propositum interdum recolendi serioque meditandi quae hic proferuntur cum Tridentino, Benedicto XIV, S. Ligorio aliisque; cujusmodi propositum firma voluntate ineatur ante celebrationem primae Missae, atque deinceps renovetur tempore praesertim Exercitiorum spiritualium, et aliquoties in anno executioni mandetur, interdumque legantur Rubricae de ritu celebrandi Missam, et statim emendentur defectus qui deprehensi fuerint. Optandum etiam foret ut hoc erga invicem fungeremur charitatis officio: monere scilicet confratres de defectibus in celebratione Missae admissis.

V. 16. *Methodus addiscendi ritus et caeremonias Missae.* „Dum futurus Sacerdos actu se ad discendos hos Ritus applicat, ante omnia integrum Missale percurrat, et quae Missae, aut partes ad Missam pertinentes quovis loco notentur, accurate discere studeat, ut suo tempore quidvis, si opus fuerit, cito invenire possit..." Lohner, *part. 1, §. 3, n. 3.* „Ubi hanc notitiam acquisierit, studeat generalia principia circa Ritus Missae addiscere ... atque eorum perfectam intelligentiam acquirere conetur." *Ibid. n. 4.*

„Bene perceptis hisce principiis, incipiat ipsum Ordinem Missae obiter percurrere, et quo Ordine partes se mutuo subsequantur, accurate intelligere studeat, id quod perfacile illi erit, si ordinem Titulorum in sectione tertia ponendorum inspiciat; nam eodem prorsus ordine ponentur, quo mutuo se in ipsa celebratione sequuntur.“ *Ibid. n. 5.* „... Cavendum tamen est, ne totam statim Missam addiscere quis velit, sed potius unam partem post aliam sumat, ut tanto accuratius partes ad illam pertinentes addiscere, atque in memoria retinere valeat.“ *Ibid. n. 6.*

SECTIO II.

RUBRICAE GENERALES MISSALIS.

Rubrica praeliminaris. 1. Status quaestionis circa conformitatem cum proprio Officio, aut cum Officio alienae Ecclesiae. Conformitas quoad tria. — 2. Conformitas in proprio Missali Ecclesiae non permittitur, secluso indulto peculiari aut necessitate. Quaedam indulta. — 3. Quatuor casus, in quibus requiritur conformitas in Missa et colore Ecclesiae. — 4. Conformitas in solo colore. Quid si officium Celebrantis sit semid. et illud Ecclesiae duplex. — 5. Notio Missae votivae. — 6. Formulae quae exprimunt vel non Missam votivam. — 7. Item Missam defunctorum. — *Titulus I de Duplici.*

Rubrica praeliminaris. Missa [1] quotidie dicitur secundum ordinem officii: de festo duplici, vel semiduplici,

1) Hic loci solent AA varias examinare quaestiones circa celebrationem SS. Sacrificii Missae initio Ecclesiae. Quaerunt quando, ubi et a quo celebrata fuerit prima Missa? Quo apparatu, qua forma primitus fuerit celebrata?

Merati suam disputationem de priori quaestione, *p. 1, Observ. praelim. n. 12,* ita concludit: „Ex quibus omnibus firmata remanet Gavanti sententia, nimirum primum Christianae Ecclesiae Sacrificium, non a Jacobo, sed a Petro Apostolorum principe; non Antiochiae, sed Hierosolymis, et quidem in ipsemet Coenaculo, in quo Spiritum Sanctum Apostoli acceperunt, peractum fuisse.“ Ex verbis *Actuum Apost.* eruit Merati, *ibidem,* „primum Sacrificium ab Apostolis non fuisse celebratum, nisi postquam ad illud dispositi fuerunt Divinae gratiae plenitudine, qua, in die Pentecostes, illabente Spiritu Sancto super ipsos, perfecte imbuti fuerunt.“

De altera quaestione constat, ex Trid. *sess. 22, cap.* 5 *cit. pag. 20,* certas adhiberi caeremonias *ex Apostolica disciplina et traditione.* Circa quod Merati, *l. c. n. 11,* varia producit testimonia. Et

vel simplici: de Dominica, vel feria, vel vigilia, vel octava: et extra ordinem officii, votiva vel pro defunctis.

In hac praeliminari Rubrica enunciatur materia quinque primorum titulorum. Sensus est: Missa quotidie dicitur vel secundum ordinem Officii, id est, de duplici etc., vel extra ordinem Officii, votiva aut pro defunctis. Regulariter Missa dicitur secundum ordinem Officii, id est, Missa sumitur e Missali correspondente Breviario, et dicitur de eodem et sub eodem ritu ac ipsum Officium. „Ratio hujus conformitatis Missae regulariter cum Officio videtur esse, quia ab Ecclesia destinantur singuli dies, vel in cultum, et honorem alicujus Sancti, vel in memoriam alicujus mysterii, et operis divini; et consequenter ipsa Ecclesia ordinat in eumdem finem omnes sacras functiones cujuslibet diei, quales praecipue sunt Officium Canonicum, et Missa; sic enim integrum cultum, et non dimidiatum exhibet illis, quos intendit colere." Mer. *h. l. n. 17.*

1. Officium, de quo hic agunt Rubricae, est Officium Ecclesiae Celebrantis: hic enim supponitur in propria Ecclesia celebrare. De eodem officio loquuntur sequentes Rubricae, quae tradunt quandonam praeceptum sit aut liberum sequi ordinem Officii, et quomodo ordinanda sit Missa. Casum vero, quo Sacerdos in aliena Ecclesia cele-

deinde haec subjungit: »Rationi consonae sunt praefatorum Auctorum assertiones; nam quamvis Apostoli ab initio Ecclesiae, ut testari videtur Gregorius Magnus, *lib. 7, epist. 63, sola Oratione Dominica Hostiam consecrarint,* attamen certissimum est, quod dum coepit augeri multitudo Fidelium, coeperunt etiam ipsi Apostoli lectiones, preces, et caeremonias adjicere, quibus Sacrificii dignitas clarius emineret, ut crescente Fidelium pietate ac fervore, major ipsi Sacrificio veneratio conciliaretur. Et equidem cum omnibus compertum sit quod in Missae celebratione omnes Orientis et Occidentis Ecclesiae Ritus quosdam communes ab initio habuere; nempe lectiones sacrarum Scripturarum initio Liturgiae; Psalmorum, aliorumque Canticorum recitationem; Oblationem Panis, et Vini aqua mixti: Consecrationem utriusque, verbis Christi Domini cum benedictione, ac signo Crucis a Sacerdote facto; Orationem Dominicam, et gratiarum actionem post sacram Communionem: hinc evincitur hos omnes Ritus omnibus Ecclesiis communes ab unico nempe Apostolico Fonte derivasse; quamvis postea designatum certarum ex Scriptura lectionum, Psalmorum, aliarumque precum numerum, et definitionem pro locis, ac temporibus varios extitisse omnibus notum sit.«

bret, non supponunt. Hic igitur casus solvendus est ex S. R. C. decretis quae, Rubricas interpretando, definierunt quandonam praeferenda sit conformitas cum Officio Ecclesiae, quandonam conformitas cum proprio Officio. Sed antequam exponantur regulae in hoc servandae, quaedam veniunt praenotanda.

1° Quaestio tantum est de Ecclesiis vel Oratoriis in quibus servandus est aliquis ordo divini Officii seu aliquis color. Proinde *a)* questio non est de Oratoriis privatis, in quibus Celebrans servare tantum tenetur conformitatem cum proprio Officio. Cf. pt. dec. 12 Nov. 1831, n. 4520, 31, q. 1. *b)* Quoad Oratoria publica, quae non habent clerum adscriptum nec dependent ab aliqua Ecclesia (in quibus tamen publice celebrantur quaedam Officia), res dubia videri posset; attamen videntur aequiparanda Oratoriis privatis. Cum enim non habeant clerum addictum, neque sint adnexa alicui Ecclesiae, non habent ordinem divini Officii, nec proinde determinatum colorem. Cf. dec. 23 Sept. 1837, n. 4666, 12, q. 2.

Dixi: *videtur*, quia dubium ingerit dec. 16 Dec. 1828, n. 4496, 1 et 2 *in Volaterana.* In hoc enim decreto remittitur, pro Oratoriis publicis, de quibus in *dub. 1 et 2,* ad decreta *in Varsavien.* et *in Aquen.* datis pro Ecclesiis, et non constat an limitandum sit ad sola oratoria ibi expressa vel potius intelligendum sit de quocumque oratorio publico, ubi celebrantur quaedam officia.

Si dicatur hujusmodi oratoria etiam aequiparari Ecclesiis, quoad conformitatem in Missa, tunc quaerendum est quis ordo Officii divini sit ibi servandus, an Paroeciae, an Dioecesis? Hanc quaestionem non solvunt decreta.

Quaeritur an in hujusmodi Oratoriis licitum sit die permisso celebrare Missam solemnem de festo Titularis a Sacerdote qui aliud recitavit officium duplex?

R. Videtur affirmandum, tum quia non distinguitur in dec. 8 Apr. 1808, 8, *relato tom. I, p. 201,* tum quia haec Missa videtur permissa propter solemnitatem Titularis cum concursu, ad normam *tituli VI, 1.*

2° Conformitas autem in colore vel in Missa est de praecepto *a)* in omnibus Ecclesiis publicis, quamvis non sint chorales. Ex dec. 27 Feb. 1847, n. 4922. Cf. citanda pro oratoriis publicis. Contrarium docuerat Cavalieri, *tom. 3, dec. 84, n. 2,* generatim loquendo de Ecclesiis non

choralibus. — *b)* Item in oratoriis publicis, quae habent clerum adscriptum, sibi proprium, aut Ecclesiae a qua dependent. Cf. dec. 22 Mart. 1817, n. 4383, 1, et 16 Dec. 1828 cit.

3° Quaestio est tantum de casu quo alterutrum saltem officium, Ecclesiae scilicet vel Celebrantis, est duplex aut aequivalens. Nam patet 1° non requiri, ut Missa celebretur alterutri officio conformis, si utrumque permittat votivas: et 2°, extra casus R. II. 1° et 2°, Missam debere dici conformem officio Celebrantis, si hic ritum dup., Ecclesia vero semiduplicem habeat. Dec. 16 Dec. 1828, n. 4497. De casu quo e contra ritus Ecclesiae sit dup. et ille Celebrantis semid. vid. quaest. *ad Reg. III infra.*

4° Conformitas cum Ecclesia haberi potest triplici sub respectu, nimirum: quoad Missam et colorem, et quoad solum colorem. Quibus praemissis, jam solvenda est sequens quaestio.

Quandonam et in quo Sacerdos externus conformari potest aut debet Ecclesiae (et idem dicendum de oratoriis publicis ubi conformitas est in praecepto juxta praenot. 2), in qua celebrat, si officia sint diversa saltem in colore, et alterutrum saltem sit duplex aut aequivalens? Pro hoc dantur tres regulae.

2. *Reg. I, quoad Missale.* Secluso Indulto aut necessitate, celebrans non potest uti Missali a suo diverso, prout constat ex dictis *sect. I, §. I,* et confirmatur pluribus S. R. C. decretis. Sic v. g. si, in casu, Celebrans sit saecularis et ritui Romano addictus, adhibere debet Missale Romanum et legere Missam vel de proprio, vel de communi quae correspondeat officio, cui uniformatur. Cf. Dec. gen. S. R. C. 20 Nov. 1717, approbatum 1 Dec. seq. n. 3754; item dec. 11 Jun. 1701, n. 3439, 1, 2 et 3. Ad 2 et 3 agitur de Beatis.

Indultum tamen concessum est multis Ecclesiis Regularium. Directorium dioecesanum anni 1838, pag. 8, sequentia indulta refert ex Directorio Gandavensi.

„1. Benedictus XIII, 10 Feb. 1727, concessit, ut quilibet Sacerdos in Festo *S. Benedicti* et infra Oct. possit in Ecclesia Benedictinorum utriusque sexus dicere Missam propriam cum praef. propr. S. R. C. 21 Mart. 1744."

„2. Clemens XIV, 18 Jun. 1773, concessit, ut Sacerdotes tum Saeculares, tum Regulares, celebrantes in Ecclesia

Ordinis Eremitarum *S. Augustini*, possint in omnibus uti Missali Augustiniano."

„3. Pius VI, 5 Sept. 1775, concessit, ut quilibet Sacerdos celebrans in Ecclesiis personarum utriusque sexus Ordinis Minorum *S. Francisci* possit prorsus in omnibus uti Missali Franciscano."

„4. Similiter concessit die 14 Aug. 1777, ut quilibet Sacerdos in qualibet Ecclesia personarum utriusque sexus Ordinis *Carmelitarum Discalceatorum* sacrificans possit prorsus in omnibus uti Missali Carmelitano."

„5. Deinde pro Ordine *PP. Capuccinorum* sub die 15 Jul. 1778. propter uniformitatem servandam, et ad vitandam confusionem, seu inordinationem quamlibet, benigne indulsit, ut Sacerdotes omnes, tam Saeculares quam Regulares, in praedictis Ecclesiis Missam quacumque ex causa et occasione celebrantes, Missali *Augustiniano*, aut *Franciscano*, sive *Carmelitano* in ipsorum Ordinum respective Ecclesiis, prorsus in omnibus uti possint, atque eorum Missas Sanctorum proprias legere valeant." *(Hucusq. Direct. Gandaven.)*

De casu necessitatis adnotanda sunt quae scribit Romsée, et quibus assentit D. Hazé. Obligationem adhibendi Missale Breviario correspondens, ita limitat. „Dixi *quoad fieri potest:* quia in itinere Celebrans, licet ex sola devotione, Missam legere potest in Missali proprio Dioecesis per quam transit vel domus Religiosae in qua celebrat; sed notandum quod utens Missali proprio alicujus Ordinis, debeat legere Missam, servando caeremonias Missalis suo Officio respondentis; adeoque legens Breviarium Romanum, et celebrans apud Carthusianos vel Dominicanos, aut Carmelitas etc., quamvis eorum Missali proprio utatur, non potest eorumdem Ritus sequi in celebratione, sed Romanos. Aliud est, si celebraret cum Missali proprio alicujus Dioecesis; negligens enim Romanas Caeremonias, ad majorem uniformitatem posset se conformare Ritibus loci: porro ratio disparitatibus est, quod Ritus proprii quorumdam Ordinum sint privilegia personalia, quae solum afficiunt membra istarum Congregationum. E contra Ritus proprii alicujus Dioecesis sunt quodam modo locales, quibus absque scrupulo potest unusquisque se conformare." *Tom. II, app. n. 6 de Missali.* Praedictae resolutioni minime obstat dec. cit. 11 Jun. 1701, ad 2 et 3. Hic enim agitur de casu

diverso, nempe de Sacerdotibus ad Ecclesias Monialium confluentibus devotionis gratia, Missas de Beatis dumtaxat celebraturis. Attamen casu quo ageretur de Missa propria alicujus festi B. M. V., posset dici una ex ejus votivis in fine Missalis; item de Spina aut Corona Domini posset legi votiva de Cruce aut Passione (Mer. *p. 1, tit. 14*) sed more festivo." Deherdt, *p. 1, n. 34, not. 2.* In hujusmodi casibus non videtur dari necessitas utendi Missali proprio Ecclesiae.

3. *Reg. II, quoad Missam.* Ecclesiae Missa, proprio prorsus neglecto Officio, celebranda est in sequentibus casibus: 1° quando quis supplet vices pastoris aut deputatur vel vocatur ad satisfaciendum oneribus alicujus Ecclesiae. Dec. 15 Dec. 1691, n. 3110. Cf. pt. dec. 3 Oct. 1699, n. 3385, 29 Jan. 1752, n. 4074, 10 et 11, 23 Mai. 1846, n. 4904, 5. Resolutio non est limitanda ad solas Missas cantatas: decreta enim loquuntur generatim de *oneribus Ecclesiae.* Cf. pt. Baldeschi, *tom. 1, c. 1, art. 1, n. 4 fin.* Neque obstat dec. 16 Dec. 1828, n. 4597: ibi enim non agitur de celebranda votiva, ad quam obligatur Ecclesia; et praeterea non potest magis obstare Missis privatis quam cantatis, quia nullam facit distinctionem.

2° Item Missa conventualis in Ecclesiis Monialium, quae ad chorum sunt professae, celebranda est conformis Officio dup. quod recitaverunt. Dec. 11 Feb. 1702, n. 3468, 18 Mart. 1702, n. 3473, 2, *etc.*

In citato 2 dubio habentur haec verba: *licet* (Sanctus de quo Moniales recitant Officium) *sit inferioris ritus Sancti de quo Capellanus privatim... Officium recitat.* Inde exurgit dubium an haec verba intelligenda sint etiam de casu quo Officium Monialium non est duplex aut aequivalens, ita quidem ut loco Conventualis nunquam liceat celebrare votivam aut *de Requiem* extra casus, quibus ex dispositione Rubricarum *(tit. IV et V)*, Missa principalis dicitur votiva aut *de Requiem.*

R. Videtur negandum ex dicendis infra *tit. III, 1*, seclusa tamen obligatione particulari. In praxi autem consulendum est, ut in Ecclesiis choralibus conventualis semper dicatur. Cf. dicenda infra *tit. III, 1,* cum Cavalieri.

3° Item in Ecclesia in qua festum celebratur cum solemnitate et concursu populi. Dec. 11 Jun. 1701, n. 3437, 1;

quod servandum mandatur in subsequenti 29 Jan. 1752, n. 4074, 10 sq.

4° Praeterea quoties in Duplici color Ecclesiae est diversus a colore Officii Celebrantis, v. g. si Ecclesia recitet de Martyre et Celebrans de confessore. Dec. 7 Mai. 1746, n. 4032, 13. Cf. pt. dec. 4 Sept. 1745, n. 4026, 8, et 7 Sept. 1816, n. 4376, 18. 16 Apr. 1834, n. 4576. Cs. dec. 11 Sept. 1847, n. 4955, 3. Dicitur *in Duplici*, quia, uti praenotatum est 3°, agitur tantum de Missa quae cum officio concordare debet. Dictum est initio *Reg. II, prorsus neglecto proprio Officio.* Non enim diceretur Missa conformis Officio Ecclesiae, si quidpiam proprii Officii ei adderetur. Cf. Merati, *p. 1, tit. 1,* et Caval. *tom. 3 in app. post. dec. 68, dec. 2,* quod est 7 Mai. 1746 *in Varsavien.* et Deherdt, *p. 1, n. 35, II.* Cf. dec. 11 Apr. 1840, n. 4731, 6.

Quaeritur an Conformitas cum Ecclesia sit etiam de praecepto, quando Celebrans recitat Officium de Dominica, de qua fit etiam in Ecclesia aliena, sed cum commemoratione alicujus Octavae?

R. Ex decretis in 4° casu citatis, affirmandum est: color enim est diversus. Dubium quidem oriri posset ex dec. 11 Jun. 1701, n. 3437, 3 et 4. Ibi namque Sacerdos exterus, qui Officium recitat de Dominica, dicitur *posse* uti paramentis quae in Ecclesia adhibentur ratione alicujus Octavae, *posse* apponere commemorationem octavae. At verbum *posse* non videtur a S. C. usurpari ad significandam solam facultatem seu libertatem, absque praecepto: sed in responso ponitur, quia in dubio fuit adhibitum, et praeceptum satis intelligitur ex ipsa rei natura: patet enim Celebrantem non posse *a)* uti colore viridi, aut *b)* dicere Missam de Dominica, extra octavam, cum colore non viridi. Itaque S. C. non expressit praeceptum, tum quia de hoc non interrogabatur, tum quia per se satis intelligebatur. Cavalieri, *tom. 3, dec. 83,* putat quidem *to posse* importare praeceptum in resp. ad 3, non vero in resp. ad 4. At ejus distinctio non videtur admittenda.

4. *Reg. III, quoad solum colorem.* Quando, extra praefatos casus, utriusque Officii duplicis idem est color, v. g. de Confessore et de Virgine, tunc Celebrans tenetur Ecclesiae uniformari in solo colore, Missam dicendo conformem proprio Officio. Dec. 12 Nov. 1831, n. 4520, 31. Et ratio est quia Missa, quoad fieri potest, debet convenire

cum Officio. *Tit. IV, 3.* Dantur quidem anteriora decreta quae possunt videri huic contraria. At sunt tantummodo responsa ad casus particulares, a praesenti diversos. Non vacat id longa disputatione hic ostendere, et ad scopum nostrum sufficit unum animadvertere, scilicet: ultimo decreto (quamvis concederetur unum aut alterum fuisse antea in contrarium datum), esse tamen adhaerendum. Cf. *tom. I, pag. 28, n. 18.*

Quaeritur 1° an idem resolvendum sit quando officium Celebrantis est semiduplex, et illud Ecclesiae duplex?

R. Non convenit inter AA. Negat Deherdt, *part. 1, n. 35.* R. 3°; et Baldeschi, *p. 1, art. 1, n. 4,* generatim docet a Sacerdote extero Missam esse celebrandam conformem Officio Ecclesiae, quando diversus est ritus aut color [1]. Deherdt allegat decretum S. R. C. 11 Sept. 1847, n. 4955. Quod reipsa favet illi sententiae, quamvis non videatur illam omnino probare; decretum enim id tantum declarat: Sacerdotem exterum non posse votivas celebrare, *ut se conformet colori Ecclesiae,* nisi „in casu, quo ritus Ecclesiae id permittat." Sed non definit an idem sit dicendum de Sacerdote extero, qui habens ritum semid. obligatur ad Missam votivam, cui convenit color Ecclesiae.

Itaque opposita sententia quam tenent Cavalieri, *tom. 3, dec. 80, n. 2,* et Hazé cum Romsée, *tom. 1, p. 1, c. 1, a. 14, III,* nondum habenda est ut certo et universim reprobata. In hac sententia, sicuti conformitas cum proprio Officio, ita

1) Baldeschi, *l. c. n. 4,* breviori calamo tradit quid agendum sit Sacerdoti in aliena Ecclesia celebranti. Juxta ipsum, Celebrans proprio officio uniformandus esset, quando idem est et ritus et color utriusque officii; officio autem Ecclesiae, quando vel ritus, vel color est diversus. Haec vero, uti patet ex supra citatis S. R. C. decretis, non possunt accipi modo absoluto.

En ejus verba: „La Messa per regola generale deve sempre concordare coll' officio, e cosi se un Sacerdote celebra in una chiesa, ove si faccia altro officio diverso dal Celebrante, se si combini il rito ed il colore del paramento, deve uniformarsi coll' officio proprio: se poi diverso sia il rito o se non combini il colore deve uniformarsi alla chiesa. Se peraltro il rito della Messa nella chiesa ove celebra sia semidoppio, ed il Celebrante faccia l'officio doppio, deve, se puo comodamente farlo, dire la Messa secondo l'officio; cosi ha dichiarato la Sac. Congregazione dei Riti 12 Nov. 1831."

ratio dicendi Missam votivam eximit, in casu, Sacerdotem a conformitate in Missa alienae Ecclesiae.

Quaeritur 2° an in casu *Reg. III*, Celebrans prorsus etiam negligere debeat Officium seu Missam Ecclesiae alienae?

R. Affirmative, non excepto Symbolo. Ratio enim eadem est. Unde Symbolum recitandum erit vel omittendum, pro qualitate proprii Officii, nullo habito respectu ad Missam Ecclesiae. Notandum autem est Symbolum, quod dicitur ratione Reliquiae, omittendum esse extra propriam Ecclesiam. Cf. tit. XI et dec. 11 Apr. 1840, n. 4731, 6. De verbo *poterit* quo hic utitur S. C. idem venit observandum ac supra ad finem *Reg. II.*

5. *Extra ordinem Officii votivae.* „Missa votiva stricte accepta ea sola censenda est, quae non convenit cum Officio diei, nec ab Ecclesia praescribitur dicenda; sed dicitur a Sacerdote juxta ipsius votum, seu voluntatem, puta de Trinitate, de Spiritu Sancto, de Angelis et de aliis (prout infra in nostris Observationibus ad *tit. IV, §. 1*). Late vero sumpta, Missa Votiva dicitur illa, quae licet non sit ad arbitrium Sacerdotis, et non concordet cum Officio, praescribitur tamen dicenda tali die ab Ecclesia, non ratione Festi alicujus, sed voto, seu devotione ipsiusmet Ecclesiae: talis est Missa B. M. dicenda in duobus prioribus Sabbatis Adventus, etiamsi non dicatur officium de B. M., sed feriale. Haec Missa non dicitur stricte Votiva, quia non dependet ex voto, et delectu Sacerdotis; dicitur autem late Votiva, quia ejusmodi Missa licet non conveniat cum Officio, est tamen praescripta ab Ecclesia ex devotione ipsius Ecclesiae erga B. V.“ Merati, *h. l. n. 56.* Cf. Guyet. *lib. 4, c. 21, q. 1,* et dicenda infra *tit. IV.* Neque est stricte Votiva Missa Titularis, de qua *tit. 6,* aut Missa Solemnitatis translatae quorumdam Festorum; tum quia celebratur de praecepto Ecclesiae, tum quia, etsi extra ordinem Officii (quo respectu dicitur celebrari *more votivo*), est tamen festiva. Cf. dicenda *tit. IV, §. 1, n. 1.*

6. Quaedam notandae sunt formulae quibus enunciari solent Missae, in honorem alicujus Mysterii aut Sancti celebrandae. Communiter usurpantur sequentes: 1° *Missa votiva,* aut *Missa Sanctorum,* vel *de tali Mysterio aut Sancto;* et 2°, *Missa in honorem talis Mysterii aut Sancti.* Haec formula designat tantum intentionem Missae, non vero ejus qualitatem; ideo magis patet quam praecedentes, utpote

comprehendens Missas votivas simul et alias quae celebrantur in honorem talis Mysterii aut Sancti. Unde, excepto casu quo contrarium eruitur ex circumstantiis, is, qui stipendium dat, ut *votiva* celebretur v. g. de Beata, dicitur expresse petiisse votivam; secus vero qui illud offert ad celebrandum in honorem B. M. V. Cf. dec. 2 Sept. 1741, n. 3970, et 3 Mart. 1761, n. 4150, 14, ubi S. C., ad vitandam aequivocationem, Missas quae in dubio dicuntur fundatae aut petitae *in honorem Sanctorum*, nuncupat *Missas Sanctorum*, *Missas votivas*. Similis differentia existit inter formulas, quibus peti solent *Missae pro defunctis*.

7. *Vel pro defunctis*. Locutio, *Missa pro defunctis, magis patet quam tres sequentes: Missa defunctorum, Missa de Requiem, propria pro defunctis* (Rit. Rom. *de exequiis*). Illa enim, spectata verborum significatione, non designat Missae qualitatem sed solam ejus applicationem; significat scilicet quamcumque Missam pro defunctis celebratam. Cf. dec. 11 Apr. 1840, ad 1; hae autem solam exprimunt Missam defunctis propriam. Quandoque tamen prima idem sonat ac sequentes; sed tunc id eruitur ex contextu aut ex circumstantiis, ut v. g. si Missa pro defunctis petatur celebranda ad altare privilegiatum in die libera. Sic pariter v. g. hoc loco patet agi de Missa defunctorum; nam Rubrica loquitur de Missa quae non est votiva et tamen celebratur extra ordinem Officii; pariter de Missis defunctorum quaestio est in decreto 5 Aug. 1662, n. 2031, ubi post verba „Missas privatas pro defunctis", additur: seu *de Requiem*; et in dubio 12 Sept. 1840, n. 4750, 7; *in Brugen.* ubi de Missis privatis pro defunctis advertitur quod non fuerint *expresse* petitae *de Requiem*. Primae formulae aequiparanda est sequens: *Missa in remedium* aut *refrigerium animae;* per haec enim verba non exprimitur Missa defunctorum; an autem hanc intendere censendi sint petentes, inquiritur infra. Cf. pt. Gav. *p. 3, tit. 12, n. 20,* et Caven. *tom. 3, dec. 70, n. 5 sqq.*

De obligatione celebrandi Missam votivam aut defunctorum, sive conventualem, sive privatam, agitur ad *tit. IV et V.*

TITULUS I.
DE DUPLICI.

Rub. Missa dicitur de Duplici illis diebus quibus in Calendario ponitur haec nota *duplex;* et in festis mobilibus, quandocunque officium est duplex. In Duplicibus dicitur una tantum oratio, nisi aliqua commemoratio fieri debeat. Alia omnia dicuntur, ut in propriis Missis assignatum est. Quando dici debeat, *Gloria in excelsis* et *Credo,* inferius ponitur in propriis Rubricis.

Post Rubricam praeliminarem sequitur titulus I, de quo pauca sunt dicenda. *Tomo I, pag. 128,* habetur tabella Duplicium etc. et deinde exponuntur de Duplici, Semid., Simpl. Dominica etc. ea quae magis utilia videntur. Lectorem non pigeat eadem recolere, ne hic inutiliter repetantur.

In hoc titulo et duobus sqq. uti jam monitum est, agitur de Missa secundum ordinem Officii, Missaque supponitur celebrari in propria Ecclesia.

Una tantum Oratio. Id est, in Missa omittuntur orationes communes, sicuti in Officio commemorationes communes. „Quarti, *p. 1, tit. 1, de Duplici,* assignat duplicem rationem litteralem, cur in Duplicibus una tantum Oratio dicatur, nisi facienda sit aliqua Commemoratio. Prima est singulare meritum Sanctorum, quos Ecclesia veneratur sub Ritu duplici, quorum singularem virtutem et Sanctitatem, unica et singulari designat Oratione. Altera ratio est, ut praedictos Sanctos majori attentione et fervore devotionis colant Fideles unica Oratione, ne distrahantur ad plura.“ Merati, *h. l. n.* 2.

TITULUS II.
DE SEMIDUPLICI ET SIMPLICI.

Rub. Missa de Semiduplici dicitur, quando in Calendario ponitur haec vox *semiduplex.* Praeterea in Dominicis et diebus infra Octavas. In Semiduplicibus tam Festis quam Dominicis, et infra Octavas dicuntur plures Orationes, ut infra dicetur in Rubrica de Orationibus. Infra Octavam dicitur Missa sicut in die Festi, nisi propriam Missam habuerit: in Dominicis vero sicut in propriis locis

assignatur. De Simplici dicitur Missa sicut de Semiduplici, ut suis locis ponitur.

TITULUS III.

DE FERIA ET VIGILIA.

Rub. 1. Quando dicatur Missa de Feria. — Quare aliquando plures conventuales. — De obligatione celebrandi et applicandi unam, duas, aut tres Missas conventuales in Eccl. Cath. Colleg. et Regular. — *Rub. 2 ad 5.* Ratio ordinandi Missam in Vigiliis. — *Rub. 6.* Tempore Paschali regulariter non dicitur Missa de Vigilia.

Rub. 1. Missa de Feria dicitur (1) quando non occurrit Festum, vel Octava (2), vel Sabbatum, in quo fiat Officium Beatae Mariae. In Feriis tamen Quadragesimae (3), Quatuor Temporum, Rogationum et Vigiliarum, etiamsi (4) Duplex vel Semiduplex Festum, vel Octava (5) occurrat, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis cantantur duae Missae (6); una de Festo post Tertiam, alia de Feria post Nonam.

(1) *Missa* generatim *de Feria dicitur etc.* Haec est regula generalis pro Missis tam conventualibus quam privatis. Deinde in hac et sqq. rubricis exponuntur exceptiones et regulae Cathedralibus et Collegiatis peculiares.

(2) *Vel Octava,* Hic intelligitur tota Octava.

(3) *In Feriis Quadragesimae etc.* Hic nominantur solae Feriae majores quae propriam habent Missam; et ideo omittuntur Feriae Adventus, etsi majores. Cf. *Rub. 4.* Cum nominentur *Feriae*, non comprehenduntur Dominicae, in quibus fieret de Festo dup. I Cl. Cf. Merati, *part. 3, tit. 11, n. IV, 17.*

(4) *Etiamsi Duplex* quodcumque. Secus dicendum quoad Vigiliam; *Rub. 2 fin.*

(5) *Vel Octava.* Gavantus probat hic agi non de die infra Octavam, sed de die Octava. Aliis argumentis hanc subjungit rationem disparitatis. „Diversa est ratio, ait, inter Festum ac diem Octavam, et diem infra Octavam: Festum enim semel accidit in anno; dies octava est aequalis fere ritus cum suo Festo: at dies infra Octavam saepius occurrit, et sine injuria omitti potest, de qua propria sequitur Rubrica *n. seq.*“ Cf. Vinitor, Merati etc. Haec tamen intelligenda sunt de die infra Octavam communem,

non vero infra Octavam privilegiatam, puta Corporis Christi: haec enim aequiparatur duplici et ideo peculiariter excipitur *in Rub. seq.* Excipienda etiam est dies infra Oct. Omnium SS. in qua fit comm. Fidelium Defunctorum, quia de die infra Octavam non potest fieri commemoratio in Missis Defunctorum.

(6) *In Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis cantantur duae Missae*, una de Festo, alia de die Octava. Ratio, propter quam in casu duae cantentur Missae, est quia duo occurrunt officia et Ecclesia non judicat congruum ut alterutri satisfiat per solam commemorationem. „Hae Missae, inquit Gavantus, *p. 3, t. 11, n. 4*, aequiparantur Horis Canonicis quae dicuntur in choro: imo vero sunt quasi finis ad quem diriguntur Horae, ut egregie probat Francol. *de temp. hor. Canonicar. part. 1, c. 16, n. 18.*“

Quare pro officio chori quibusdam in casibus praecipiantur plures Missae, et pro officio privato sufficiat sola commemoratio?

R. 1° Non omnes Ecclesiae pares sunt ferendo hujusmodi oneri. 2° Officium et Missa Chori praesertim instituta sunt ad cultum publicum, et Ecclesia per ea intendit excitare, fovere et nutrire pietatem fidelium; quando igitur duae occurrunt solemnitates, quarum una ab alia non excluditur, habentque Missam propriam, ut in casibus h. Rubricae, omnino congruit, ut unaquaeque solemnitas recolatur per Missam, quae est Officii complementum, sicque nullius Solemnitatis fructus amittatur. „Nam, inquit Gavantus, *tit. 7, 2,* in his Feriis intendit Ecclesia, sine praejudicio Festi, excitare Clerum et populum ad actus humilitatis et poenitentiae, cum genuflexione ad Orationes in Missa et officio proprio earum Missarum .... et ideo non vult omitti integras Missas de Feriis praedictis.“

De obligatione Missae Conventualis quaedam veniunt notanda. 1. Obligatio celebrandi Missam Conventualem considerari potest sub duplici respectu: quoad ipsam Missae Conventualis celebrationem, et quoad ejusdem applicationem. Ad utrumque tenentur Ecclesiae Cathedrales et Collegiatae. Nam „sacrorum Canonum sanctionibus, ait Benedictus XIV [1], Const. *Cum semper*, 19 Aug. 1744, §. 1,

1) Hujus Evangelicae Epistolae *ad Patriarchas, Archiepiscopos etc. per Italiam,* triplex est argumentum, scilicet: onus applicandi *a)* Missam parochialem pro populo, et *b)* Missam Conventualem

praecipitur, ut singulis diebus in Ecclesiis Patriarchalibus, Metropolitanis, Cathedralibus et Collegiatis tum Horae Canonicae debitis modo et forma recitentur, tum etiam Missa Conventualis celebretur ..... et pro earumdem Ecclesiarum Benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo, quo Missam parochialem ab iis qui curam Animarum gerunt, pro Populo sibi commisso, singulis saltem diebus Festis de Praecepto, applicari debere superius declaravimus." Quinimo, in Rubricis generalibus, quarum exactissimam custodiam commendat, „praescribitur, ut certis diebus non una, sed binae, atque etiam aliquando tres Missae Conventuales celebrentur." *Ib.* §. 20.

At applicatio secundae et tertiae Missae pro Benefactoribus in genere, etsi laudabilis, non est de praecepto, nisi vigeat consuetudo. §. 22.

2. An autem appellatione Collegiatarum hic veniant etiam Ecclesiae Regulares, non convenit inter AA., uti videre est apud Merati, *p. 3, t. 9, n. 4,* Deherdt, *p. 1, n. 3,* Quaestionem ita exponit et resolvit Cavalieri, *tom. 3. dec. 50, n. 22.* „*Collegiatarum* nomine etiam Regulares Ecclesias nonnulli venire faciunt; distinguunt vero alii, et eas Monachorum et Canonicorum regularium instar collegiatarum obligant, et Mendicantium illas liberant. Rem brevi nos sermone concludimus, tum a celebratione, tum ab applicatione Missae Conventualis absolventes Mendicantium Ecclesias, in quibus quippe: nec vi fundationis, nec alicujus beneficii, neque emolumenti, aut stipendii canonicum celebratur officium, cujus pars, et complementum censetur Missa Conventualis, sed solum vi suarum Constitutionum, et laudabilis consuetudinis. Solum itaque ad Conventualem Missam, ejusdemque applicationem censeri queunt adstrictae, quatenus, et prout per Constitutiones et consuetudinem forent demandatae; non novi autem ex Mendicantibus Religionem aliquam, cujus Constitutiones, aut consuetudo in rigoroso praecepto constituant celebrationem Missae Conventualis, aut hujus applicationem obligent benefactoribus in genere. Recolenda hic sunt, quae late dedimus *tom. I,*

pro Benefactoribus in genere, ac *c)* denique debitum psallendi quo tenentur Canonici Ecclesiarum Patriarchalium etc. Choro assistentes. Refert §. 14 quare et quomodo introducta fuerit haec applicatio Missae Conventualis.

cap. 8. Decr. 3, §. 2, ubi refellimus capita omnia, ex quibus obligatio praedictae Missae peti posset, ostendimusque Regulares Ecclesias *Collegiatarum* appellatione minime venire....“ Et, *n. 3,* idem resolvit de Ecclesiis Monachorum et Canonicorum Regularium. Haec Cavalerii sententia non evertitur per decreta data de Missa conventuali celebranda a Capellano Monialium, quae ad chorum sunt professae. Hujusmodi enim obligatio non dicitur oriri ex Rubricis, sed potius supponitur orta ex munere Capellani, a Celebrante suscepto. Cf. dec. 11 Jun. 1701, n. 3439, 1, et 18 Mart. 1702, n. 3473, 2.

Pro praxi adnotanda sunt sequentia verba Cavalerii, *l. c. n. 6.* „Etsi vero Regulares Ecclesiae minime teneantur lege Conventualium Missarum, et integrum iisdem sit ob Missam *de requiem,* aliamve votivam abstinere a Conventuali de Festo, absit ut ego iisdem contendere velim privilegium quod universi ipsis concedunt Auctores, ad Rubricarum tramites incumbendi Conventualibus Missis, etsi has minime applicent pro benefactoribus in genere, sed pro quolibet alio, quinimo quamvis easdem minime cantent, sed legant.“

Rub. 2. In Vigiliis (1) autem, et Feriis (2) Quatuor Temporum, vel Feria secunda Rogationum quae veniunt infra Octavam (3), Missa (4) dicitur de Vigilia vel Feriis supradictis, cum commemoratione Octavae: Praeterquam infra Octavam Corporis Christi, in qua in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis cantantur duae Missae, una de Octava post Tertiam, alia de Vigilia post Nonam: in Missis autem privatis dicitur Missa de Octava cum commemoratione Vigiliae. Si autem in die Vigiliae vel praedictis Feriis fiat officium de aliquo Festo (5), tunc dicitur Missa de Festo cum commemoratione Octavae, et Vigiliae, vel Feriarum (6) praedictarum. Quod si Vigilia occurrat in die alicujus Festi ex majoribus primae Classis, in Missa non fit commemoratio de ea (7), sicut nec in Officio.

(1) *In Vigiliis.* Advertit Janssens, *n. 3 sq.,* Rubricam loqui de Vigiliis modo generali, ac proinde etiam esse intelligendam de Vigilia SS. Apostolorum Andreae et Thomae, dum hae duae Vigiliae occurrunt in Adventu, extra Quatuor Tempora.

(2) *Et Feriis etc.* Non nominantur Feriae Quadragesimae, quia tunc prohibentur Octavae. Si qua celebretur

ex Indulto, Missa ordinanda erit juxta illius tenorem. Cf. pt. dec. n. 2824, 3, et n. 3895, 3.

(3) *Infra octavam*, cujus fit Officium. Secus enim, uti statim disponit Rubrica, si infra Octavam fiat de Festo.

(4) *Missa* diei tam Conventualis quam privata regulariter *dicitur de Vigilia etc.* Ratio data est supra cum Gav. *rub. 1, 4.*

(5) *De aliquo Festo* dup. aut semid. Dictae Vigiliae et Feriae excludunt Festa Simplicia.

(6) *Et Vigiliae vel Feriarum.* Si vero de Vigilia et de Feriis praedictis agenda sit commemoratio, servandus est ordo commemorationum qui traditur cum Jans. *ad tit. VII*, 5 et hic cum Gav. *ad rub. 4.*

(7) *Non fit comm. de ea.* Non nominantur Feriae, sed sola Vigilia. Quia de Feriis maj. fit commemoratio etiam in Festis I Cl. *part. I, tit. IX, 4.* Cum Vigilia non habeat comm., de ea non est dicenda Missa in Cathed. et Collegiatis. Vid. *rub. 1, 6. Verb. Quare.*

Rub. 3. Si Festum habens Vigiliam, celebretur Feria secunda, Missa Vigiliae dicitur in Sabbato, sicut etiam de ea fit Officium: excepta Vigilia Nativitatis Domini et Epiphaniae.

Rub. 4. Missa Vigiliae in Adventu occurrentis, dicitur cum commemoratione Feriae Adventus, licet de ea non sit factum Officium, Vigilia Nativitatis excepta.

In Adventu, secus ac in Quadragesima, Missa in die Vigiliae discordat ab Officio. Et ratio disparitatis est quia Feriae Adventus non habent Missam propriam, ut Feriae Quadragesimae. Ideo in Adventu Missa Vigiliae occurrentis est magis propria diei, quam Missa dicenda pro Feria, ac proinde congruit, ut dicatur potius quam omittatur illo anno. Cf. Jans. *n. 29.* Idem *n. 30 sqq.* non excipit casum quo impedita fuisset Missa 2 aut 3 Dom. Adventus.

Quaeritur quo ordine agenda sit commemoratio Feriae et Vigiliae, si Festum 9 LL. occurrat cum Vigilia in Adventu?

Resp. Gavantus „Orationem de Adventu dici ante Orationem Vigiliae; quia licet de Missa Vigiliae alius sit ordo, in Missa tamen alia est dignior Oratio, quae dicitur in Officio. Similem fere casum habes in Festo S. Leonis, 28 Jun., in cujus Missa Oratio de Vigilia posterior est, licet in Sabbato Missa Vigiliae praeferatur Missae de Octava S. Joannis.“

An vero in casu legendum sit Evangelium S. Joannis in fine, dicitur infra *tit. XIII.* Cf. pt. Merati, *h. l.*

Rub. 5. Si in Quadragesima et Quatuor Temporibus occurrat Vigilia, dicatur Missa de Feria cum commemoratione Vigiliae.

„Missa in his casibus, ut advertit Gavantus, concordat integre cum Officio, et cessat ratio quam supra diximus: propriam Missam cedere debere Missae non ita propriae: neque populus eget monitione ad jejunium, quod significatur per Missam propriam Quadragesimae, seu Quatuor Temporum."

Rub. 6. Tempore Paschali non dicitur Missa de Vigilia, nisi in Vigilia Ascensionis, quae tamen non jejunatur, sicut nec Vigilia Epiphaniae.

TITULUS IV.

DE MISSIS VOTIVIS S. MARIAE ET ALIIS.

De hoc titulo tres erunt §§: 1, de notione, definitione et divisione Missae Votivae; — 2, de Votiva pro Conventuali; — 3, de Votivis quae non tenent locum Conventualis.

§. I. DE NOTIONE ET DIVISIONE.

I. Notio: Votiva stricte et late dicta. — II. Dividitur in solemnem et privatam; in privilegiatam et non privilegiatam. — III. Missa Solemnitatis translatae ad Dominicam. — IV. Agitur de Patrono loci proprii tantum. Datur tamen casus quo etiam transferri possit Missa solemnis de Festo Titularis. — V. Missa Solemnitatis, secluso usu contrario, celebratur in omnibus Ecclesiis; item in Oratoriis publicis, ubi Missa solet cantari in Festis.

I. *Notio.* Missa *votiva* ita vocatur quia celebratur, non ratione Officii recitati, sed *a)* extra ordinem Officii, et *b)* ex voto seu peculiari devotione vel stipendium dantis, vel Celebrantis, vel ipsiusmet Ecclesiae. Si utraque conditio adsit, nimirum si dicatur *a)* extra ordinem Officii, et *b)* ex mero voto Fidelium aut Celebrantis quin adsit Ecclesiae praeceptum, vocatur *stricte votiva;* si autem una tantum adsit conditio, nempe, si quidem extra ordinem Officii dicatur, non tamen ex mero voto Fidelium aut Sacerdotis, sed ex praecepto Ecclesiae, appellatur *late votiva.* Cf. dicta supra *p. 36* cum Merati, cui consentit Guyetus *ibi cit.* Ad votivas late dictas referendae sunt Missae quae

extra ordinem Officii, sive ex devotione, sive ex praecepto Ecclesiae, celebrantur de Festo cujus Officium non recitatur quidem illa die, sed cujus solemnitas in populo agitur, et in decretis dicuntur Missae de Festo more votivo. Cf. dec. 26 Jan. 1793, n. 4298, 2, et verba Card. Caprara statim citanda. Tales sunt et Missa quae, *tit. VI,* permittitur ratione Tituli, et quae ex Indulto pro reductione Festorum, celebranda est ad Solemnitatem Festi recolendam in Dominica sequenti. Itaque hujusmodi Missae sunt partim *votivae,* quia extra ordinem Officii, et partim *festivae,* quia de Festo celebrantur. Inde illa verba Card. Caprara in Resp. 21 Jun. 1804 ad Vicarium Gen. Mechlinien.: *Canetur tamen una Missa solemnis de Festo illo, more votivo,* id est: *De Festo,* juxta rubricas Missae festivae; *more votivo,* seu ad instar votivarum aliis sub respectibus, nempe: extra ordinem Officii et, in Cathedralibus ac Collegiatis, hora competenti Missis Votivis, puta post Nonam. Et quoad ritum, ratio disparitatis, inter has et alias votivas, haec esse videtur, quod in his ipsum solemne Festum, in votivis autem proprie dictis memoria Festi recolitur. Cf. dec. 12 Aug. 1854 *in Lucionen. ad 5 et 7,* et dicenda *tit. XIII* de Ev. in fine Missae.

Quod ad usum loquendi attinet, intelligi solet Missa stricte votiva, quando simpliciter nominatur Missa votiva, uti hoc titulo.

II. *Divisio.* Hic non est quaestio de divisione generis in suas species juxta strictas Logicae regulas, sed de quadam distinctione variarum Missarum, quae aliquo sensu sunt votivae, facta juxta regulas in earumdem celebratione servandas, sive quoad dies, sive quoad ritum. Porro distinguuntur 1° in votivas *stricte* et *late dictas,* uti explicatum est; 2° *stricte votivae* distinguuntur in *solemnes* et *privatas.* Missa autem hic dicitur solemnis in sensu peculiari, scilicet: non praecise quia in ea servantur omnes ritus Missae solemnis, sed a circumstantia in qua celebratur. Itaque *Missa votiva solemnis* non est quaelibet Missa votiva quae cum Ministris sacris cantatur, juxta ritum celebrandi Missam, sed quae, adhibito aliquo apparatu, cantatur cum vel sine Ministris sacris, pro re gravi vel publica Ecclesiae causa. Tales sunt quae indicuntur in Inst. Clem. §. X, occasione Orationis XL horarum. Cf. *tit. VIII, 4. IX, 14,* et *XI.* Stricte autem votiva quae

extra hasce circumstantias celebratur, quantumvis solemniter cum Ministris sacris omnibusque caeremoniis, dicitur *Votiva privata*, nec gaudet privilegiis Votivae solemnis. Bene igitur notandus est peculiaris sensus, qui hic tribuitur voci *solemnis*. De Missa anniversaria electionis aut consecrationis Episcopi, vid. *§. 3, punct. 2.* — 3° *Stricte votivae* distingui etiam possunt in privilegiatas et non privilegiatas, seu communes, ut videre est *§. 3, punct. 2.* — 4° *Late votivae* sunt sequentes: Missa B. M. V. in duobus prioribus Sabbatis Adventus, Missa Tituli, de qua *tit. VI*, et Missa Solemnitatis translatae. De hac quaedam veniunt hic notanda.

III. Ex Festis, a Pio VII in Republica Gallicana suppressis, quatuor sunt, quorum Solemnitas transferenda est ad primam Dominicam non impeditam, nisi Festum cadat in Dominica libera. Haec autem quatuor Festa sunt sequentia: Epiphaniae D., SS. Corporis Christi, SS. Apostolorum Petri et Pauli, et SS. Patronorum cujuslibet Dioecesis et Paroeciae. *Indultum reductionis Festorum* reperitur ad calcem *tom. I.* Quae sit prima Dominica libera dicitur infra, *tit. VI.* Solemnitas non est transferenda, si in Dominica libera occurrat, uti patet ex ipsa ratione propter quam transfertur. Voluit enim Summus Pontifex ut haec Festa, quantum in se erat, et non obstante ipsorum suppressione, in populo recolerentur, assignata die feriata pro eorum Solemnitate: at quando illa Festa occurrunt in Dominica, finis obtinetur quin transferatur Solemnitas. Cf. dec. 23 Mai. 1835, n. 4597, 14, q. 1. Translatio et celebratio Solemnitatis statuuntur absque ullo respectu ad Officium, sed obvia est ratio; translatio siquidem ad hoc tantum fit, ut Festum a populo recolatur die Dominica. Nihil igitur commune habet haec Solemnitas sive cum Officio Festi, si hoc sit transferendum, puta Patroni, sive cum Officio quod ea Dominica recitatur. Ex eodem fine translationis patet Solemnitatem Patroni non esse transferendam, si ejus Festum sit adhuc de praecepto in foro, puta si Patrona sit B. M. V. sub titulo Assumptionis.

IV. Quaeritur quo sensu intelligenda sint haec Indulti verba: *SS. Patronorum cujuslibet Dioecesis et Paroeciae?*

R. 1° Ex ipso fine legis, supra exposito, jure concluditur per illa verba eos duntaxat intelligi Patronos quorum Festa tunc temporis habebant feriationem. Quod prae-

terea constat ex contextu. Porro feriationem tunc temporis solummodo habebant duo Patroni principaliores, unus generalis Regni aut Provinciae, alter peculiaris proprii loci, id est Civitatis, Oppidi vel Pagi, *tom. I, pag. 150.* Unde, cum in recitatis verbis non nominetur Patronus Regni aut Provinciae, quaestio est tantum de Patrono particulari loci, id est Civitatis seu Dioecesis, Oppidi vel Pagi. Quoad Belgium cf. etiam *tom. I, p. 68, not. 2.*

2° Praefata verba intelligenda quidem sunt *copulative,* juxta genuinum sensum copulae *et,* de Patrono Dioecesis et de Patrono Paroeciae, sed *in sensu diviso:* id est, transferenda quidem est Solemnitas utriusque Patroni, sed diversis in locis, ita ut de uno tantum agatur in unoquoque loco, de illo videlicet qui est Patronus proprius seu peculiaris illius loci; nullo tamen in loco agenda est Solemnitas duplicis Patroni, scilicet unius generalis Dioecesis et alterius peculiaris loci proprii. Et ratio est quia Patronus Dioecesis, qua Patronus generalis, non gaudet jure feriationis; nominatur tamen, ad distinguendam Civitatem a locis in quibus una tantum habetur Paroecia. Itaque de Patrono Dioecesis agendum est solum in Civitate episcopali, cujus est peculiaris Patronus *(tom. I, p. 151, not. 1)*, atque iis in locis ubi gerit vices peculiaris Patroni, ut dictum est *tom. I, pag. 152.* Cf. *ibid. pag. 145 sq.*

3° Paroecia hic sumitur pro loco, quia, extra Civitatem, locus regulariter convenit cum ipsa Paroecia, et utriusque idem solet esse Patronus. In locis autem ubi plures sunt Paroeciae, vel una quidem, sed ubi alius est Patronus loci, alius Patronus Ecclesiae, Solemnitas est agenda de Patrono loci tantum. In praefato enim Indulto nequaquam agitur de Patrono aut Titulo Ecclesiae, uti constat ex R. 1°. Cf. Deherdt, *p. 4, n. 39, II. R. 6,* qui rationem hujus ac aliarum resolutionum, quas ibi proposuit, ita exponit: „Ratio horum omnium est, quia sicut indultum pro reductione Festorum tantum respicit Festa de praecepto in populo, sic etiam dispositio translationis Solemnitatis in Dominicam: neque hoc indultum nova privilegia vult concedere aut obligationes imponere: sed tantum disponit ut haec quatuor Festa, quae propter abrogationem, in propriis diebus a populo non amplius celebrarentur, cum Solemnitate in Dominicam transferrentur, in

qua a populo debite colerentur. ..." Cf. dec. 12 Sept. 1840, n. 4762, 2.

Itaque Solemnitas Tituli Ecclesiae, qua talis, non est transferenda vi et ad normam Indulti pro reductione Festorum. Occurrere tamen potest casus quo etiam possit transferri, juxta Rescriptum 7 Dec. 1844, n. 4839, III, 3. Regula autem generalis non videtur posse deduci ex hoc decreto.

V. Praefata Solemnitas celebranda est 1° in omnibus Ecclesiis, uti ordinat Indultum; ac proinde in Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, Parochialibus, Conventualibus seu Regularibus, juxta dicta *tom. I, pag. 199.* Attamen in Ecclesiis Regularium et Monialium celebranda non est, si contraria vigeat consuetudo. Dec. 22 Jul. 1843, n. 4976, 5 *in Tornacen.* — 2° In Oratoriis publicis, dummodo Missa ibi de more cantetur in Festis. *Ibid. ad 4.*

§. II. DE MISSA VOTIVA CONVENTUALI.

Rub. 1. In Sabbatis non impeditis Festo Duplici, vel Semiduplici, Octava, Vigilia, Feriis Quadragesimae vel Quatuor Temporum, vel Officio alicujus Dominicae, quae supersit, in praecedens Sabbatum translato, dicitur Missa de Sancta Maria secundum varietatem temporum, ut in fine Missalis ponitur.

Haec Missa, de S. Maria, non est proprie Votiva, quia est conformis Officio. Sabbatis enim, non impeditis, fit Officium S. Mariae, *part. II, tit. XVIII.* Cf. ibi dicta de antiqua Sabbati dedicatione in honorem B. M. V.

Rub. 2. In Adventu autem, licet Officium non fiat de Sancta Maria in Sabbato, dicitur tamen Missa principalis de ea cum commemoratione de Adventu, nisi fuerint Quatuor Tempora, vel Vigilia, ut supra.

In Adventu, secus ac in Quadragesima, quia in illo non habentur Missae propriae. Vid. *tit. III, 4.*

Missa principalis. Haec Missa non est quidem stricte votiva, attamen hic recensetur, quia pertinet ad *late votivas,* ut dictum est *§. praec.* Cf. pt. Gav.

Cum Missa principalis tantum nominetur, ideo non videntur excludi Missae privatae de Feria. Mer. cum Gav.

Rub. 3. Aliis diebus infra hebdomadam, quando Officium fit de Feria, et non est resumenda Missa Dominicae praecedentis, quae fuerit impedita (exceptis Feriis Adventus,

Quadragesimae, Quatuor Temporum, Rogationum, et Vigiliarum) dici potest aliqua ex Missis votivis, etiam in principali Missa, quae vocatur Conventualis, secundum ordinem dierum in fine Missalis assignatum, cum commemoratione Feriae, de qua factum est Officium. Quae tamen Missae (etc. *infra* §. *seq.*).

Missa votiva quae locum teneat Conventualis, a privata Votiva differt in duobus: 1 rarius permittitur, et 2 non potest ad libitum eligi una ex Votivis, sed ea sumenda est quae diei correspondeat, ut habetur in fine Missalis.

§. III. DE VOTIVIS EXTRA MISSAM CONVENTUALEM.

Hic § dividitur in 4 puncta. *Punctum I. De causa et obligatione dicendi votivas.* 1. Causa requiritur alia pro privatis, alia pro solemnibus aut privilegiatis. — 2. Solemnitas requisita. — 3. Licentia Ordinarii. Adoratio perpetua. — 4. Exponuntur verba, *res gravis aut publica Ecclesiae causa.* — 5. Casus quibus applicantur illa verba. — Obligatio celebrandi Votivas. — Origo controversiae. — 7. Regulae ad dignoscendum an habeatur necne hujusmodi obligatio. — 8. *Regulae* ad interpretandum voluntatem benefactoris subobscure expressam. — *Punctum II. Dies permittentes aut prohibentes votivas.* — 9. Non permittuntur votivae de eo cujus eodem die celebratur Festum aut Octava. — 10. Ratio diversorum privilegiorum quibus gaudent vel votivae vel dies seu officia. — 11. Dies quibus permittantur 1° Votivae privatae non privilegiatae; 2° Votivae privilegiatae: Missa pro sponso et sponsa: Votiva in Anniversario electionis et consecrationis Episcopi. 3° Votiva solemnis ad normam *Inst. Clem.*; 4° Votiva solemnis pro re gravi etc. Pro Missa *more votivo* de Festo translato, aut Solemnitate translata, necnon pro Missa Aurea, remittitur ad tit. VI. — *Punctum III. De quibus et quae Votivae dici possunt.* — 12. Dici possunt de SS. Canonizatis, non vero de Beatificatis duntaxat; non excluduntur Festa secundaria. — 13. Quaedam Missae assumi non possunt: quae autem assumi possunt, duplicis sunt generis. Nonnulli casus. — 14. *Punctum IV. De Gloria, Oratione, Sequentia, Credo, Praefat. et ult. Evang. in votivis.*

Praecedenti § traduntur Rubricae 1, 2, et prima pars 3^{ae}, in quibus agitur de Votiva Conventuali; huic § reservatur ultima pars 3^{ae}, quae est de Missis privatis, et sic sonat:

Rub. 4. Aliis diebus (etc. ut §. *praeced.*). Quae tamen Missae et omnes [1] aliae Votivae, in Missis privatis dici

1) Haec verba, *omnes aliae,* limitanda sunt uti explicatur infra *n. 13.*

possunt pro arbitrio Sacerdotum, quocumque die Officium non est duplex, aut Dominica, cum commemoratione ejus, de quo factum est Officium, et commemoratione item Festi Simplicis, si de aliquo occurrat eo die fieri commemorationem in Officio. Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa. Et quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat.

Haec ultima pars Rubricae 3ae loquitur tantum de Missis votivis privatis, id est, de Votivis ex causa privata et non privilegiatis. Itaque ut hic tradatur doctrina completa de votivis extra Missam Conventualem celebratis, non pauca veniunt addenda. Haec ad quatuor puncta reducuntur: 1 erit de causa et obligatione dicendi Votivas; 2 de diebus permissis; 3 de quibus permittatur Missa votiva, et de Missis quae pro votivis sumi possunt; 4 denique de Missae votivae partibus, de Orationibus, Gloria, Credo, ult. Evangelio.

PUNCTUM I.

De causa et obligatione dicendi Votivas.

I. *De causa.* 1. Causa dicendi Votivas dupliciter est consideranda: 1° an et quae causa requiratur ut possint, etiam diebus permissis, celebrari? — 2° an et quae causa permittat ut celebrentur diebus quorum ritus prohibet Missam dici extra ordinem Officii?

R. Ad 1. Affirmative, sed sufficit causa levis, modo sit rationabilis. *Id vero,* inquit Rubrica, *passim non fiat, nisi rationabili de causa, et quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat.* „Si quis, ait Vinitor §. 19 cum Castaldo et Gav., ut cito se expediat, vel simili aliqua occasione permotus, Missam currentem in Votivam mutaret, utique contra Rubricam faceret, et consequenter peccaret; sed causa rationabilis censetur voluntas Defunctorum, necessitas, aut pietas vivorum votivas Missas postulantium et ejusmodi," v. g. specialis devotio erga aliquod Mysterium aut Sanctum. Cf. S. Lig. *Th. mor. lib. VI. de Euch. n. 419.*

R. Ad 2. Affirmative. Ad hoc tamen non sufficit, ut in praecedenti casu, quaelibet rationabilis causa, sed secluso expresso privilegio, requiritur res gravis aut publica Ecclesiae causa. De variis causis aut privilegiis satis agitur puncto seq., ubi referuntur Votivae per Rubricas aut

Decreta privilegiatae. Hic in specie tantum dicitur de Votiva quae vocari solet *solemnis pro re gravi vel publica Ecclesiae causa.*

2. De privilegio quo haec solemnis Votiva gaudet, ut celebrari possit diebus alias prohibitis, tria hic sunt exponenda: 1° quae requiratur solemnitas, 2° an requiratur indictio aut licentia Ordinarii, quando adest res gravis aut publica Ecclesiae causa; 3° tandem quaenam sit res gravis, aut publica Ecclesiae causa in casu.

1° Solemnitas saltem extrinseca requiritur; id enim exigere videtur et causa ob quam celebratur et ipsum nomen; vox siquidem *solemnis, solemniter,* ubi simpliciter usurpatur in Rubricis Breviarii (cf. *tit. I. IX, 2.*) et Missalis, solet comprehendere Solemnitatem extrinsecam, si excipiatur *Ritus celebrandi Missam,* ubi per solemnem intelligitur ea quae cum Ministris sacris cantatur, per oppositionem ad aliam quamcumque, sine Ministris sacris celebratam. Sola tamen extrinseca Solemnitas non videtur sufficere, si Ministri commode haberi valeant. Ita docet Gardellini, *Inst. Clement. §. 15, n. 4 sq.* ubi loquendo de Votivis cantandis occasione Orationis XL Horarum quae fit extra Urbem, ad normam Inst. Clem., sequentia scribit: „Si, inquit, celebrari velint Missae votivae de Sacramento, vel pro ingruente necessitate, diebus expositionis, repositionis, ac medio, cum hae sint pro re gravi, et publica Ecclesiae causa, non aliter celebrari poterunt, nisi solemniter, et cum Ministris paratis; quia privatim, id est sine Ministris sacris haud fieri posse videtur, nisi diebus illis, quae Missas votivas universim non respuunt." Cf. Cav. *tom. 4, dec. 140, n. 2.* Deinde *n. 5,* agit de casu quo Ministri sacri nequeant commode haberi; exhibet limitationem quam Cav. *l. c.* ponit modo dubitativo, et ipse ita suam aperit mentem: „aliquam tamen solemnitatem, quae actionem distinguat a simplici et privata, necessariam esse jure censeo. Hinc ubi Ecclesiae egestate premuntur (extra Romam) paramenta desunt et sacri Ministri; quid, quaeso, prohibet, si unus Sacerdos eo, quo potest modo, cum uno, vel duobus Clericis Missam votivam pro re gravi, vel publico Ecclesiae bono cum cantu celebret? Isthaec Missa non absolute solemnis est; talis tamen relative ad locum, personas, tempus, et alias, quae concurrunt, circumstantias, quaeque ut aliter fiat, non permittunt. Missam vero simpliciter lectam

cum privilegiis solemnis, ex defectu Ministrorum celebrari haud posse crederem. Sub hac distinctione doctrina *Cavalerii* admitti posse videtur, non autem, quod liceat pro re gravi celebrari Missam privatam loco solemnis in iis diebus, in quibus Missae votivae prohibentur.“ Cf. dicta *pag. 15 sq.*

3. 2⁰ Praeter causam sufficientem, requiritur indictio aut licentia Ordinarii. Dec. 4 Sept. 1745, n. 4026, 2. Cf. pt. dec. 28 Sept. 1675, n. 2601. Caeterum satis patet agi de re quae committi non potest judicio privatorum. Cf. pt. Gardellini, *l. c. §. 12, n. 26 fin.*

Quaeritur an Ordinarius loci possit Votivam solemnem indicere, aut saltem permittere ad instar Inst. Clem., occasione Orationis XL Hor., quae fit per tres dies continuos, interrupta tamen per noctes?

R. Affirmandum est, in casu quo hujusmodi expositio instituatur ex simili causa, ac Oratio continua XL Hor. Equidem per se non sufficit ut, seclusa indictione Ordinarii, Votivae solemnes permittantur ad normam Inst. Clem: „Improprie namque *(talis Expositio)* dicitur ad formam Quadraginta Horarum, cum desit id, quod praecipuum est Instituti; perpetuitas scilicet Orationis per quadraginta successive horas nunquam interruptas, licet per tres dies fiat.“ Gardellini *ad Inst. Clem. §. 33, n. 4.* Sed ubi Ordinarius loci, gravibus de causis [1] existimat expositionem non esse noctu continuandam, et tamen opportunum ducit eam per XL Horas diurnas instituere pro publico Ecclesiae bono, tunc sufficiens adest ratio, ut Votivae solemnes indici possint ad normam Inst. Clem.; similis enim concurrit ratio. Hoc conforme videtur iis quae scribit Gardellini, *l. c. §. 12, n. 24.* Ibi, loquendo de praedictis Missis, sequentem sibi ponit et solvit quaestionem: „Quaeri hic posset, inquit, num eadem servanda sit regula in aliis solemnibus expo-

1) „Quia, inquit Gardellini *§. 33 cit. n. 6,* quandoque ita comparatae sunt circumstantiae, ac tales tantique momenti possunt concurrere causae, ut opportunum maxime, et fortasse etiam necessarium videatur Praesulibus, de nocte Sacramentum recondi, ac perennem Orationem intercipi; ne propterea populus spirituali illo bono privetur, Benedictus XIV, in sua Constitutione *Accepimus etc. tom. 2. Bullarii n. V,* eamdem plenariam Indulgentiam lucrari posse declaravit, etiamsi noctu interrumpatur Oratio.“

sitionibus, quae per annum fiunt, si contingat Missam celebrari pro expositione, vel repositione? Petenda videtur decidendi ratio a causa, ob quam, jubente, vel permittente loci Ordinario, fit expositio. Nam si pro publico Ecclesiae bono gravique causa, vel ad implorandum divinum auxilium in urgenti aliqua necessitate solemniter id fiat, eadem concurrit ratio, quae obtinet in Oratione Quadraginta Horarum. Quamobrem non dubitarem posse Missam solemnem de Sacramento celebrari, servatis tamen forma, exceptionibus, et limitationibus *Clementinae Instructionis.* Quatenus vero fiat expositio vel ex devotione, vel ex Instituto, vel ex pia aliqua fundatione, vel ex alia quavis privata causa, locum non habere Missam votivam puto.«

4. 3° Haec verba, *Res gravis aut publica Ecclesiae causa,* conjunguntur in Rubrica et apud AA. Quaeri potest quisnam sit sensus particulae *aut;* an explicativus tantum, *seu,* prout exponit Jans. *App. ad h. t. n. 11,* an disjunctivus? Ex Rubrica quae legitur in Missali ante Missam votivam de S. Trinitate, videtur habere sensum mere explicativum. Sed solutio hujus quaestionis parum ad praxim confert, ut videbitur; et potius interest recensere casus in quibus locus est celebrandi Votivam solemnem pro re gravi aut publica Ecclesiae causa. Porro hujusmodi casus duplicis sunt generis: alii sunt in individuo determinati et per modum regulae; alii autem sunt indefiniti, et generatim tantummodo indicati. Prioris generis casus seu causa est Oratio XL Hor., et talis etiam nunc aestimari potest Adoratio perpetua SS. Sacramenti; posterioris generis exempla referuntur infra.

Judicium de causis prioris generis reservatur S. Sedi, ipsaque sola potest permittere praedictam Votivam propter similem causam. Hinc S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 4750, 6, declaravit Adorationem perpetuam SS. Sacramenti non sufficere, ut illa Votiva ab Ordinario loci indicatur [1]; et

1) A fortiori non sufficiunt causae apud Deherdt, *p. 1, n. 9 fin.* recensitae. »Praeterea, inquit, pro causa gravi et sufficienti ad cantandam Votivam solemnem, non habentur electio Abbatissae, juxta dec. 28 Apr. 1708, n. 3637, 6, neque vestitio et professio religiosa, etiamsi ea sit loci consuetudo, juxta dec. 24 Jul. 1683, n. 2880, 5, 26 Aug. 1702, n. 3482, 11 Mart. 1837, n. 4663; neque processio, sive instituatur occasione SS. Sacramenti, eo quod in ejus die Festo vel per octavam commode haberi non

tamen eadem Adoratio habita fuit a S. Sede causa sufficiens ad indulgendam praefatam Votivam Dioecesibus Brugensi 30 Mart. 1846, et Tornacensi 25 Jan. 1850. Cf. Direct. Brug. an. 1847 et Tornacen. an. 1851. Secus autem dicendum de casibus posterioris generis; occurrente enim aliqua accidentali, ex recensendis causis, ad Ordinarium loci pertinet examinare an sufficiat ea causa, et, pro suo prudenti arbitrio, Votivam solemnem indicere. Et ratio disparitatis est, quia in hoc casu Episcopus non ponit actum legislatoris, sed tantum legem seu Rubricam applicat juxta mentem et nomine Superioris, peculiaribus attentis circumstantiis quae suo prudenti arbitrio committuntur. Cf. dicta *tom. I, pag. 98* verb. *Huousque*, etc. Cf. pt. Bened. XIV, *lib. 12 de Syn. c. 8, n. s. sq.* et S. Lig. *lib. I, de Legibus n. 190, v. Possunt*, etc.

5. Causae sequentes, quas recenset Gardellini, *Inst. Clem. §. 12, n. 19,* sufficiunt, ut Votiva solemnis indici possit ab Ordinario loci: „Urgent, ait, quandoque gravissimae causae, votum, puta, a Communitate emittendum, vel persolvendum, Processiones ab Episcopo indictae, universo conveniente Clero cum Magistratu et Populo, ad Divinum praestolandum auxilium in maximis calamitatibus et angustiis, quae Communitatem premunt; preces pro salute Principis aut totius Reipublicae; gratiarum actiones pro acceptis beneficiis, et similes quae non ita frequentes sunt, et dum occurrunt, ut plurimum nequeunt differri." Deinde laudat dec. 19 Mai. 1607, n. 204, 14, ac Gav. Meratum et Guyetum. Pro causa sufficienti haberi potest exercitium Missionis. Cf. Deherdt *l. c. n. 9. v. Id autem.*

II. *Obligatio dicendi Votivas privatas.* 6. De obligatione dicendi Missas *votivas* aut *Defunctorum* [1] multum fuit con-

possit, juxta dec. 8 Mart. 1749, n. 4051, et 10 Sept. 1796, n. 4320, 6, sive in Dominicis ratione alicujus confraternitatis juxta dec. 6 Dec. 1653, n. 1545; neque novena, etiam solemniter celebrata, juxta dec. 2 Sept. 1690, n. 3083, 5 et 6; neque primitiae Neosacerdotum, nec jubilaeum etiam 50 annorum, juxta communem opinionem. Adeoque in his et similibus casibus, si Votiva privata non permittatur, Missa diei cantanda est, qua multo efficacius obtinebitur effectus, quam si Votiva contra Rubricas celebraretur. Pariter Missa diei cantanda est Feriis quintis, ubi cantatur Missa in honorem SS. Sacramenti, si dies Votivam privatam non permittat, juxta dec. 24 Jul. 1683, n. 2880, 6."

1) Hic conjungi possunt Missae votivae et Defunctorum, quia

troversum inter Theologos et Rubricistas, multaque dubia fuerunt Sacrae Rit. Cong. proposita. Ex illis autem controversiis et ex consectariis, minus recte deductis ex Responsis S. R. C. quaestio de se simplex et satis clara, multum intricata et obscura evasit. Controversiis occasionem praesertim dedit *privilegium limitatum* quod, in hac Rubrica et *tit. V, 2,* tribuitur voluntati postulantium Missas votivas aut Defunctorum. Ab hac media via recessum est; et alii privilegium, alii ejus limitationem exaggerarunt; sed Ecclesia utrumque excessum compescuit, providitque ut servarentur et Rubricae et voluntas rationabilis postulantium. Unde ut dignoscatur an adsit necne obligatio dicendi Votivas aut *de Requiem,* videndum est an talis petita fuerit Missa, et an possit dici tempore praescripto servatis Rubricis. Illud ad leges Contractuum, hoc ad Rubricas pertinet: et utrumque exprimi potest sequentibus regulis.

7. *Regula* 1ª. Si sola Missae applicatio fuerit petita, non vero ejus qualitas, satisfit propriae obligationi per Missam de die. Per se patet, et confirmari potest ex resp. 2 Apr. 1840, datum de Missis pro Defunctis.

2ª. Si Missa *votiva* petita fuerit pro aliqua die libera, tunc non satisfit obligationi susceptae nisi per Missam votivam. Constat per se, et ex dec. 3 Mart. 1761, n. 4150, 14. „*Expressa enim voluntas testatorum vel postulantium,* ut ibi arguit S. C., *dummodo sit rationabilis, debet adimpleri.*" Rationabilis autem est voluntas, quando petitio conformis est Rubricis. Si dies non fuerit assignata, aliqua libera erit eligenda intra tempus congruum.

3ª. Si Votiva petita fuerit pro die vetito, tunc, cum in tali die dici non possit, videndum erit quid praecipue intenderit benefactor: an malit Missam diei juxta ipsius mentem applicari, quam expectari diem liberam pro Votiva. Tres praedictae regulae supponunt clare expressam fuisse voluntatem benefactoris, ac proinde non sufficiunt pro omni casu, et subjicienda est 4ª.

4ª. Si voluntas benefactoris obscure fuerit expressa, et dubitetur an solam Missae applicationem petierit; vel,

de utrisque eadem est ratio, quoad obligationem eas celebrandi, et de utrisque idem docet S. R. C. in dec. 3 Mart. 1761. Utrasque confundere etiam solent AA. ubi agunt de obligatione easdem celebrandi. Cf. pt. S. Lig. *Th. mor. l. 6, n. 422.*

cum petierit Votivam pro die non libera, an malit Missam diei applicari juxta ipsius mentem, quam Votivam dici in alia die; tunc examinetur quaenam revera sit ipsius voluntas. Ipse interrogetur, si id commode et utiliter fieri possit; secus, recurratur ad consuetas interpretationis regulas. Et Sacerdos qui onus Missae suscepit, tenebitur, ut supra, ad implendam rationabilem benefactoris voluntatem, quatenus ipsi innotuerit; voluntas vero rationabiliter praesumpta, laudabiliter servabitur. Cf. dicenda de convenientia dicendi Missam *de Requiem* diebus liberis, extra casum obligationis.

8. In interpretanda benefactoris voluntate sequentia juvare poterunt: 1° petitio Missae *in honorem alicujus Mysterii aut Sancti*, per se non exprimit qualitatem Missae, prout dictum est pag. 36; 2° decreta S. R. C. data pro hujusmodi voluntate interpretanda, applicari poterunt ad casus *iisdem stipatos circumstantiis;* 3° multum etiam confert, si recurratur ad circumstantias personarum, locorum et ipsius petitionis: sic v. g. si Missa de B. M. V. petatur in die non libera dicenda pro persona quae in actuali periculo mortis versatur, vel ad avertendum aliquam imminentem calamitatem, procul dubio praesumi non poterit petentem velle ut dies libera expectetur; 4° cavendum est ne confundantur hae duae quaestiones: 1ª an obligatus ad dicendam Missam *votivam* possit in die libera susceptae obligationi satisfacere per Missam currentis Officii? 2ª *an obligatus sit* ad Missam *votivam*, qui suscepit onus celebrandi in honorem alicujus Mysterii aut Sancti? In prima enim quaestione supponitur suscepta obligatio celebrandi *Votivam*, et in secunda quaeritur, an suscepta fuerit hujusmodi obligatio. Hac distinctione intelligitur quare S. R. C. quae die 3 Mart. 1761 idem docuit de obligatione dicendi Missas sive votivas sive Defunctorum, die tamen 12 Sept. 1840, n. 4750, 12, *in Brugen.* diversum dedit responsum ad dubia, quae, attento citato dec. 3 Mart., specietenus videbantur eadem postulare responsa. Dico *specietenus*, quia, licet in mente Oratoris fortasse supposita non fuerit differentia inter unum et alterum casum *quoad susceptam obligationem;* reipsa tamen existit in terminis, juxta quos respondit S. C. Etenim ex una parte Missa dicitur petita *pro uno vel pluribus defunctis;* ex altera autem, *Votiva in honorem alicujus Mysterii vel Sancti*, ac proinde Missa non

est *expresse* petita *de Requiem*, bene vero *Votiva.* Itaque non in 1°, sed in 2°, Missae qualitas fuit a benefactore petita seu expressa rogata, et ideo S. R. C. respondit *affirmative ad 1*, juxta 1^am^ regulam, et *negative ad 2*, juxta 2^am^ regulam. Diversitas igitur responsi minime exinde oritur quod minus liget suscepta obligatio dicendi Missas *de Requiem*, quam obligatio dicendi Votivas, sed ex diversa voluntate seu petitione, ac proinde ex diversa conventione. Cf. addenda tit. sq. de obligatione dicendi Missas Defunctorum.

PUNCTUM II.

Dies permittentes aut prohibentes Votivas.

9. *Quaestio praeliminaris.* An possit dici Missa votiva de eo de quo fit Officium, puta de B. Virgine in aliquo ipsius Festo, vel infra Octavam?

R. Cum verbis Guyeti, *lib. IV, c. 21, q. 9.* „Bene (ait) respondet Gavantus, *parte 1, tit. 4, lit. p.* id minime convenire. Addo praeterea supervacaneum esse, atque insulsum si fiat. Votiva enim Missa cum ad colendam B. Virginem dicatur, certe amplius ipsa colitur per Missam Festi, seu Octavae currentis. Deinde cum in omni Missa votiva, 2 Oratio de eo dici debeat, de quo factum est Officium, addesne primae Orationem secundam de Festo vel de Octava ejusdem B. Virginis? Dicesne in Praefatione, *Et te in Veneratione etc.?* Tacent super hoc Rubricae. Quid mirum? Frustra daretur resolutio de eo casu, qui in usum non venit. In quibuscumque igitur Ecclesiis Missa una de B. Virgine solet celebrari in Festis ejusdem B. Virginis, et infra Octavas dici debet Missa ipsius Festi, cum *Gloria, Credo etc.;* neque enim tunc est Votiva, sed vere diei propria.“ Cf. dec. 26 Jan. 1793, n. 4298, 2, ubi prohibetur Votiva de Beata Virgine in Festis aut infra Octavas ejusdem. Pariter incongruum videtur, ut Missa votiva de Sanctis celebretur in eorum Vigiliis. Cf. dec. 3 Sept. 1661, n. 1986.

10. Quo melius intelligantur dicenda de prohibitione aut permissione Votivarum, pro earumdem causa et diei seu Officii circumstantia, in memoriam est revocandum Missam esse complementum cultus quem Ecclesia Deo Sanctisque exhibet per suos Ministros. Unde quo fortior est

ratio quae cultum exigit completum (de ratione differentiae in ritu dictum est *tom. I, pag. 163*), eo major esse debet causa, ut tali die celebrari possit Missa extra ordinem Officii, Votiva aut *de Requiem*. Inde illa differentia in privilegiis quae conceduntur vel certis Missis contra Duplicia varii gradus, vel certis diebus contra Missas votivas aut *de Requiem*. Quo praenotato, assignandae sunt dies, permittentes aut prohibentes 1° Votivas privatas seu communes, 2° privilegiatas in vario gradu, 3° Missas de Festo, more votivo.

11. I. *Missae votivae privatae*, non privilegiatae, seu communes, permittuntur ex rub. 3. *h. t.* omni die in qua non occurrit Dominica aut Duplex. Sed nomine Dominicae et Duplicis hic veniunt etiam dies aut Officia quae privilegiata sunt ad instar Dominicae vel Duplicis. Quod de se patet, et insuper pluribus confirmatur S. R. C. decretis, quorum nonnulla allegantur in seq. quaestione. Cf. dec. 7 Aug. 1627, n. 560, 3.

Q. Quaenam sint dies ita privilegiatae ut excludant Votivas privatas?

R. 1° Quinque Octavae privilegiatae (*cf. tom. I, p. 182 sq.*, et dec. 29 Sept. 1714, n. 3723, *initio Missalis*); 2° Feriae privilegiatae, de quibus *tom. I, p. 174;* 3° Vigiliae Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes. Cf. dec. 28 Sept. 1675, n. 2601, et 22 Dec. 1753, n. 4088, 6.

Per se intelligitur Feriam, in qua anticipatur Officium Dominicae, non esse aequiparandam ipsi Dominicae, quoad exclusionem Votivarum.

II. Votivae privilegiatae in pluribus aut paucioribus diebus permittuntur pro gradu privilegii, uti supra observatum est.

1° De privilegiis Missae votivae pro Sponso et Sponsa agitur, *parte IV, prop. loco;* et de Missa vulgo *Aurea, hic tit. VI.*

2° Missa votiva solemniter cantanda, juxta Caerem. Ep. *lib. 2, c. 35,* in Ecclesiis Cathedralibus. et in Collegiatis, juxta dec. 23 Mai. 1835, n. 4597, 7, diebus anniversariis electionis et consecrationis Episcopi, permittitur ex dec. 17 Sept. 1785, n. 4272, 3, in Dup. min.; imo, ex dec. 12 Sept. 1840, n. 4764, 3, probabiliter in Duplice majore et Dominica minore, ita ut prohibita sit duntaxat in Duplice aut Dominica II vel I Cl. uti Votiva solemnis occa-

sione Orationis XL Hor. In Dup. et Dom. I Cl. nihil fit; in Dup. et Dom. II Cl. fit commemoratio.

Extra Cathedralem et Collegiatas non potest celebrari praedicta Missa, dec. n. 4597, 7 et n. 4764, 2; sed de illis anniversariis fit tantum commemoratio, modo tamen non occurrant in Dup. aut Dom. I Cl. Cf. dec. cit. et Deherdt, *part. 1, n. 10* ubi de hoc argumento latius agit; vid. etiam infra *append. ad tit. IX, n. III.*

3° Votiva solemnis, per Inst. Clem. indicta, in precibus XL Hor. prohibetur in Dup. et Dom. I Cl.; in Feriis privilegiatis: infra Octavas privilegiatas in 1° et 2° gradu, id est, Paschae, Pentecostes et Epiphaniae; ac tandem in Vigiliis Nativitatis Domini et Pentecostes. Quibus diebus cantatur Missa diei cum commemoratione SS. Sacramenti sub unica conclusione, ut dicitur *tit. VIII.* Cf. *Inst. Clem. XII* et Gardellini, *h. l. n. 8*, ubi probat excipiendos esse omnes dies infra Octavam Epiphaniae. De Octava SS. Corporis Christi non fit mentio, quia infra eam non potest celebrari Missa votiva SS. Sacramenti, uti dictum est in *quaest. praelim.*

4° Votiva solemnis, indicta pro re gravi aut publica Ecclesiae causa, est magis privilegiata quam praecedens; siquidem ex dec. 27 Mart. 1779, n. 4244, 20, prohibetur tantum in Dup. et Dom. I Cl., Feriis Cinerum et Majoris Hebdomadae, Vigiliis Pentecostes et Nativitatis Domini. Diebus impeditis loco Missae solemnis additur commemoratio Missae diei, sub unica conclusione. Dec. 27 Mart. 1773, n. 4212, 7. Cf. pt. dec. 12 Sept. 1677, n. 4193.

III. Dies, quibus prohibetur Missa de Festo Titularis translato, indicantur *tit. VI.* Et, propter affinitatem, ibi exponitur quibus diebus prohibeatur Missa celebranda more votivo de solemnitate translata. Ibidem agitur etiam de Missa, vulgo nuncupata *Aurea.*

PUNCTUM III.

De quibus, et quae Votivae dici possunt.

12. I. *De quibus.* 1° Celebrari possunt de omnibus canonizatis: Rubricae enim, ut arguit Merati, *h. l. n. 15 fin.*, permittunt absque ulla exceptione Missas votivas dici de Sanctis. Et ratio est, quia canonizare aliquem Sanctum, idem est ac declarare ei posse tribui partes omnes cultus

publici, Sanctis exhibiti. Guyetus, *lib. 4*, *cap. 21*, *q. 2*. Ad hoc autem non sufficit, ut habeatur Reliquia insignis, quando Sanctus non est descriptus in Martyrologio Romano. Dec. 15 Sept. 1714, *initio Missalis*. Cf. pt. S. Lig. *Th. mor. l. 6, n. 423, III.*

2° De Beatificatis duntaxat, negat sententia, quae a Merati, *h. l. n. 16*, dicitur communior et vera; excipe tamen si id expresse concedatur. Et ratio est, quia Beatificatio sua natura non tribuit plenum et universalem cultum, sed solummodo quantum in Bulla exprimitur.

3° De Festis secundariis Sanctorum, puta de Inventione, Translatione etc., Guyetus non excludit Missas votivas, quando ea Festa apta sunt Titulum Ecclesiae imponere; inter quae, praeter Conversionem S. Pauli, recenset Festa S. Petri *ad Vincula*, S. Joannis *ante Portam Latinam*, Decollationis S. Joannis Baptistae, et si qua ejusmodi, addit, inter propria locorum seu Ecclesiarum reperiantur.

13. II. *Quae Missae assumendae sunt pro votivis*. 1° Non possunt assumi Missae de tempore, de Festis mobilibus; neque Missae de aliis Festivitatibus Domini aut de Mysteriis B. Virginis (dec. 22 Dec. 1753, n. 4088, 5), nisi tanquam Votivae assignentur in Indulto. „De tempore, ex. gr. de Dominica, de Adventu, de Quadragesima, etc. item de Festis mobilibus, v. g. de Paschate, Ascensione Domini, etc. Missae votivae certissimum est quod non celebrentur.... De Mysteriis Christi Domini, Resurrectione, vel Ascensione, seu Nativitate, aut quovis alio; quamvis non habeatur Missa votiva propria, sicut habetur de Trinitate, etc. nihilominus si de praefatis Mysteriis exigatur Missa, censet Guyetus, *lib. 4*, *cap. 21*, *qu. 2*, posse dici Votivam de Sanctiss. Trinitate, seu etiam, ut vult Caeremoniale Monasticum, *lib. 3*, *cap. 13*, *n. 6*, diei occurrentis cum intentione venerandi Festivitatem, seu Mysterium cujus petitur Missa. Quae enim incommoda, Gavantus, *part. 4*, *tit. 17*, *n. 8*, sequi ait, ex mutationibus faciendis, si exigatur Missa de Assumptione, vel Nativitate B. V. v. g. in Introitu *Gaudeamus omnes in Domino*, vocis illius *diem Festum in commemorationem*, et aliis similibus; ea longe plura, et incongruentiora occurrunt in Missis Mysteriorum Christi Domini, puta in omittendis *Alleluia* in Introitibus Paschae, Ascensionis, etc.; in substituendis Graduali, Tractu, aut duplici versu pro ratione temporis, etc. Similiter si exi-

gatur Missa votiva de Reliquiis ejusdem Christi Domini, puta *de Fasciis*, *de Corona spinea*, *de Lancea*, *de Clavis*, *de Sacra Sindone*, *etc.* item et *de Nomine JESU*, dici potest Missa de Cruce, vel de Passione, vel diei occurrentis, cum intentione venerandi praedictas Reliquias; nisi forte de eisdem habeatur Missa propria legitime approbata..." Merati, *h. l. n. 15.*

2° Missae, quae assumi possunt, duplicis sunt generis, videlicet: *a)* Missae in Missali aut Indulto assignatae ut Votivae, et *b)* Missae ipsius Festi. Missae prioris generis subdividuntur in duas classes: aliae reperiuntur inter Votivas in fine Missalis, aliae in corpore Missalis, aut in Indulto. In fine Missalis primo veniunt quae assignantur singulis feriis, sumendae pro Missa Conventuali, scilicet: feria 2 de SS. Trinitate [1], feria 3 de Angelis, feria 4 de Apostolis, feria 5 de Spiritu Sancto, vel de SS. Sacramento, feria 6 de Cruce vel Passione, et sabbato de S. Maria. Deinde reperiuntur Missae [2] ad varios fines, nimirum: 1° pro eligendo Summo Pontifice [3], 2° in anniversario electionis seu consecrationis Episcopi, 3° ad tollendum schisma, 4° pro quacumque necessitate, 5° pro remissione peccatorum, 6° ad postulandam gratiam bene moriendi, 7° contra paganos, 8° tempore belli, 9° pro pace, 10° pro vitanda mortalitate vel tempore pestilentiae, 11° pro infirmis, 12° pro peregrinantibus vel iter agentibus, 13° pro Sponso et Sponsa.

De Missis assignatis pro eligendo Sum. Pontifice, pro Anniversariis Coronationis et Consecrationis Papae, Electionis seu Consecrationis Episcopi, pro Sponso et Sponsa,

1) Post Missam votivam de SS. Trinitate, apponitur sequens Rubrica: »Pro gratiarum Actione dicitur Missa de Sancta Trinitate vel de Spiritu S., vel de B. Maria, additis sequentibus Orationibus sub una conclusione.«

2) Ante quas ponitur sequens Rubrica: »Aliae Missae votivae pro diversis rebus, quae dici possunt quacumque die, nisi fuerit Dominica, vel Officium Duplex: sed tamen passim non dicantur, nisi urgenti de causa, ut supra dictum est de aliis Missis votivis.«

3) »In die creationis et coronationis Papae, et ejusdem die Anniversario, dicitur Missa ut in Cathedra B. Petri, 18 Jan. cum Oratione *Deus omnium Fidelium*, omissis Orationibus SS. Petri et Pauli: et dicitur *Credo.*« *Rub.* pecul. apposita post Missam *pro elig. sum. Pont.*

advertit Merati, *h. t. n. 8*, eas, quamvis vocentur Votivae quia non sunt de die, non posse tamen dici quocumque tempore, sed tantum in circumstantiis assignatis. Deinde, *n. 9*, resolvit contra Turrinum solam Missam solemnem, et non Missas privatas, esse dicendam de praefatis Anniversariis. Quod hodiedum constat ex dec. n. **4764, 2**. Cf. hic dicta n. 3.

In Proprio Sanctorum seu in Indultis, quaedam habentur Missae in quibus ordinatur qua ratione celebrandae sint ut Votivae: hujusmodi sunt Missae SS. Nominis Jesu, Pretiosissimi Sanguinis, Septem Dolorum, Immac. Conceptionis. Advertendum autem est Missas, peculiari indulto concessas, non posse legi ab iis quibus non sunt indultae uti dictum est, *sect. I*, de conformitate Missalis cum Breviario.

Quando dicenda est Votiva de Sancto, cui Votiva non assignatur, tunc sumatur Missa de Festo aut de Communi. *De Festo*, si etiam extra diem festum, servatur veritas in verbis, aut servari potest, pauca omittendo aut mutando (cf. dec. 22 Dec. 1753 cit.); *de Communi*, si haec veritas in verbis non possit commode obtineri. „Si tamen possit, ait Merati, *h. l. n. 18*, variari verbum *Hodie*, ubi reperitur, et mutari in Oratione vox *Natalitia*, *Festivitas*, *Solemnitas*, et alia hujusmodi in vocem *Commemoratio*, aut *Memoria*; tunc potest assumi Missa Festivitatis dicti Sancti, desumptis si opus fuerit, vel Tractu, vel altero Versu post Pascha, vel Graduali extra Tempus Paschale, ex Missa de Communi: vel si non potest ob dictam rationem dici Missa de Festo talis Sancti, cujus celebrari debet Missa votiva; tunc tota haec Missa dicatur de suo Communi, prout ratio temporis, sive Paschalis, sive non Paschalis exigit. Ita Gavantus, *part. 4, tit. 17, Rub. 1, n. 13*. Guyetus, *lib. 4, cap. 21, quaest. 3*. Caerem. Monast. *lib. 3, cap. 3, n. 1*. Hagerer in Appendice *tit. 1, n. 19* et *20*. Sic autem dictum illud temperat Guyetus, *loc. cit.* totam Missam de Communi posse accipi pro ratione temporis Paschalis, vel non Paschalis; ut tamen, quae Sancti alicujus propriissima sunt, ea quocumque tempore dicantur, puta Versus S. Andreae, S. Martini, S. Francisci; Communio S. Ignatii, S. Agathae, et similia.“

Quando de Communi sumitur, eligatur de 1° aut 2°

loco juxta dicta *part. II, tit. XXVI, 9.* De *Tractu et Alleluia* vid. dec. 11 Sept. 1838, n. 4693, 3, *in Mechlin.*

Sequentes casus ponit et resolvit Merati, *h. l. a. n. 19, ad 23.* 1° „Si ab aliquo petatur Missa votiva in honorem plurium Sanctorum Martyrum, vel Confessorum vel Virginum, quorum quilibet, vel saltem aliqui habent aliam, vel propriam, vel de Communi sumptam Missam, vel saltem Orationem; tunc Missa videtur bene celebranda de Communi talium Sanctorum respective, et secundum tempus; ita ut si petatur Missa in honorem Martyrum Pontificum vel non Pontificum, etc. tunc sumenda sit Missa de Communi talium Martyrum tempore Paschali, vel extra illud, prout nempe tempus, et Sanctorum qualitas exigit. Et quandoquidem, ut supponitur, locus determinatus non sit, poterit eligi ex primo, vel secundo loco, prout placuerit, et devotio suggesserit; nec quidquam in ipsa Missa mutatur, nisi quod ea quae in Orationibus ponuntur in singulari, dicantur in plurali, sicut etiam praescribitur in Rubrica Breviarii, *in Comm. Pontif. et Confess.* Quod ultimum intelligendum est, si petatur Missa votiva in honorem *plurium Confessorum Pontificum, et non Pontificum; Virginum tantum ac nec Virginum, nec Martyrum:* nam cum in Missali habeatur Commune plurimorum *Martyrum*, Commune plurimarum *Virginum et Martyrum;* non habetur tamen Commune plurimorum *Confessorum*, etc. Ita Hagerer, *loc. cit. §. 2, n. 6, n. 21.*" *n. 19.*

2° „Si dicenda sit Missa votiva de Sanctis, quorum habentur Reliquiae insignes; si fuerint omnes ejusdem qualitatis, puta omnes Martyres, vel omnes Confessores, Missa dicatur de Communi Martyrum, vel Confessorum, ut supra. Si vero fuerint Martyres alii, alii vero Confessores, aut Virgines, Missa erit dicenda de Communi Martyrum; nisi quod in Orationibus tacenda erit qualitas Martyrum, vel sumendae erunt Orationes de Missa S. Callisti Papae, et Martyris, 14 Oct. Ita Guyetus, *lib. 4, cap. 21, q. 3.*" *n. 20.*

3° „Tandem si sit celebranda Missa votiva de omnibus Sanctis, erit dicenda Missa de Festo Omnium Sanctorum, excepto quod loco Introitus *Gaudeamus*, etc. apte satis reponi possit Introitus *Timete Dominum*, etc. ut in Festo S. Cyriaci, etc. Mart. 8 Aug.; Oratio vero erit *Concede quaesumus*, etc. quae est prima inter Orationes diversas ad libitum. Quod si supradicta Missa votiva de Omnibus

Sanctis sit celebranda tempore Paschali, poterit dici Missa, quae ponitur in Missali pro Communi plurimorum Martyrum tempore Paschali, id est *Sancti tui*, etc. cum Oratione *Concede quaesumus*, etc. Ex Guyeto, et Bisso, locis cit." *n. 21.*

4° „Pro Missa Votiva S. Joannis Baptistae poterit dici Missa, ut in Festo Nativitatis ejusdem; verum cum hac exceptione, quod Oratio, Secreta, et Postcommunio ex ejusdem Sancti Vigilia commodius assumi poterunt absque ulla mutatione; et sic servabitur Decretum Sac. Congregat. a nobis supra expositum. *Tractus* talis Missae post Septuagesimam erit *Desiderium.* Versus alter, tempore Paschali, *Justus germinabit*, ex Missa posita secundo loco in Communi Confessoris non Pontificis. De ejusdem Sancti Praecursoris Decollatione, poterit dici Missa votiva eadem, quae est in ipsomet Festo: at tempore Paschali, Missa *Protexisti*, ut in Festo S. Marci, retentis Orationibus, Epistola, et Evangelio, etc. Ex Guyeto supra etc." *n. 22.*

5° „Si requiratur Missa votiva in honorem Sanctorum Innocentium tempore Paschali, poterit dici Missa, quae habetur in Missali pro pluribus Martyribus tempore Paschali, cujus Introitus incipit: *Sancti tui, Domine:* sed Psalmus erit *Laudate pueri Dominum*, etc. retinendo tamen semper ea, quae, in Missa propria, sunt peculiaria huic Festo, puta Orationem, et Versum post Epistolam, omissis verbis *Hodie, Festivitatis, Solemnitatis*, etc. Bissus, *tom. 2, lit. M. n. 181, §. 11.*" *n. 23.*

PUNCTUM IV.

De Gloria, Oratione, Sequentia, Credo, Praef. et ult. Ev. in Votivis.

14. De his Missae partibus quaedam breviter hic traduntur ut collecta habeantur quae ad Votivas pertinent. Sed Rubricae de praefatis partibus exponuntur propriis titulis, ibique reperiuntur quae hic desiderantur ad majorem elucidationem et comprobationem.

Gloria dicitur 1° in Votivis solemnibus, in sensu exposito *§. I, pag. 45,* modo tamen non celebrentur cum paramentis violaceis *(tit. VIII, 4)*; 2° in Votivis privatis B. M. V. in Sabbato, et Angelorum *(ibid.)*; 3° in Missa quae celebratur more votivo de Festo aut de die infra Octavam alicujus Sancti, cujus illa die non fit Officium. In aliis

Votivis privatis, non excepta pro Sponso et Sponsa, semper omittitur *Gloria*, quamvis celebrentur cum solemnitate tam extrinseca quam intrinseca.

Orationum numerus et qualitas. 1° In Solemnibus omittuntur Orationes communes (id est, quae dicendae sunt 2° et 3° loco in Missis ritus non dup.), et una tantum dicitur, nisi faciendae sint speciales commemorationes. Ut autem agendae sint commemorationes speciales, non sufficit, ut occurrant in Officio diei; agi enim tantummodo debent illae quae non excluduntur ab hujusmodi Missis, et quibus non fuit satisfactum per Missam Officio conformem: de quo vide quaest. 1 et 2 infra. 2° Si plures dicantur Orationes, prima est semper Oratio Missae votivae; aliae, si dicantur, ordinandae sunt juxta *tit. VII.*

Q. 1. Quaenam commemorationes speciales excludantur a Votivis solemnibus?

R. 1° A Votivis late dictis, scil. a Missis solemnibus de Festo translato aut de Solemnitate translata, eaedem excluduntur ac a Festo dup. I Cl.: sunt enim Missae de Festo dup. I Cl.

2° Idem est dicendum de stricte Votivis. Cf. *tit. IX, 14* et Mer. *h. l. n. 44.*

Q. 2. Per quam Missam satisfiat illis commemorationibus?

R. 1° Certum est illis satisfieri si altera Missa in quacumque Ecclesia cantetur; imo si Missa Conventualis fuerit tantum lecta, uti fieri potest in Ecclesiis Regularium. Cf. Deherdt, *h. l. n. 13, III.* 2° At idem non potest resolvi, saltem absolute, si una tantum Missa legatur, quae non sit Conventualis: *a)* propter hujusmodi Missam commemorationes non sunt omittendae in Missa de Solemnitate translata. Dec. 22 Jul. 1848, n. 4976, 1, et 12 Aug. 1854, 5 *in Lucionen.;* idem videtur dicendum quoad Missam solemnem de Titulari translato. *b)* Quod vero attinet ad Votivam solemnem in sensu stricto, id est, pro re gravi vel publica Ecclesiae causa, non constat an idem sit resolvendum ac de praecedentibus. Sententia affirmativa deduci posse videtur ex dictis a Merati et aliis, quos citat *l. c. n. 44.* Cf. pt. Deherdt, *h. l. n. 13, III, 4°* [1], et Gardellini Inst. Clem. *§. 12, n. 17.* Haec sententia videtur verosimilior.

1) Ibi decretum 9 Apr. n. 4357, refertur cum verbo *unica,* quod non legitur apud Gardellini, saltem in 2ª edit.

Attamen in favorem sententiae oppositae videtur posse argumentari ex Dec. 12 Aug. 1854, 1, *in Lucionen.*

Sequentia, secluso peculiari indulto, semper omittitur in Votivis, juxta Dec. 16 Sept. 1673, n. 2504, 2, datum de Missa votiva VII Dolorum. Caeterum vix occurrere potest difficultas pro alio casu, cum ex dictis supra, Missae Festivitatum Domini non sumantur pro Votivis: unde quaestio esse non potest de Sequentiis *Victimae Paschali, Veni Sancte Spiritus, Lauda Sion.*

Credo dicitur in Solemnibus, ut supra acceptis, nisi tamen celebrentur in paramentis violaceis extra Dominicam. *Tit. XI.* Cum Rubrica solas nominet Votivas solemnes, symbolum non potest dici in privatis, quantumvis solemniter celebratis. Cf. S. R. C. 2 Sept. 1690, n. 3083, 1 et 2.

Ite Missa est dicitur in Votivis habentibus *Gloria;* in aliis dicitur *Benedicamus Domino. Tit. XIII.*

In fine Missae dicitur Evangelium, *In principio,* praeterquam in Missis, de Festo celebratis more votivo cum commemoratione Dominicae. Cf. dicenda *ibidem.*

Praefatio. Si Votiva propriam habeat, haec sumenda est; si vero propria careat, nec adsit propria de Tempore aut Octava currente, sumitur praefatio SS. Trinitatis aut communis, prout celebratur intra vel extra Dominicam. *Tit. XII.*

TITULUS V.

DE MISSIS DEFUNCTORUM.

In hoc tituto eadem de Missis Defunctorum [1] exponuntur ac in praecedenti de Votivis. Agitur de privilegiis

1) Cavalieri, *tom. 3, c. 12, n. 19,* loquendo de discrimine quod inter Missas Vivorum et Missas Defunctorum intercedit, haec scribit: »Rite, ait, distinctionem illam Suarez, *tom. 3, in part. 3, disp. 78, sect. 1,* revocat ad cultum Sacrificii, seu ad ritum, et modum, quo Sacrificium ipsum ab Ecclesia aliter pro vivis, et aliter pro defunctis offertur. Missae vivorum primario respiciunt cultum Dei, gratiarum actionem pro beneficiis collatis, et impetrationem beneficiorum spiritualium, et temporalium totius Ecclesiae proficuorum, et necessariorum, et hi fines sic ab Ecclesia intenduntur, ut a Sacerdote non possint immutari, vel excludi; exprimuntur enim verbis, seu orationibus, quibus Missa ipsa constat, et quas Sacerdos tamquam Ecclesiae minister, ejus nomine pronunciat. In mortuorum vero Missis etsi sacrificium sit itidem in Dei cultum, et gratiarum actionem, attamen ex

Missarum Defunctorum generatim spectatis et in specie quoad quasdam dies; de earumdem obligatione; de diebus eas permittentibus aut prohibentibus; de earum qualitate, et partibus; de numero et qualitate Orationum ac de Sequentia. De diebus privilegiatis et de obligatione agunt *§§. 1 et 2*, qui sunt quasi introductio ad textum Rubricarum h. t. Aliae quaestiones solvuntur in *§§. 3 et 4*, ubi exponitur textus Rubricarum.

§. I. DE DIEBUS PRIVILEGIATIS FAVORE DEFUNCTORUM.

1. Quaedam dies peculiariter privilegiatae favore Defunctorum. — 2. Commemoratio omnium Fidelium defunctorum. — 3. Dies obitus seu depositionis. Quam vehementer exoptet pia Mater Ecclesia ut nullus ex suis filiis privetur suffragio et honore Missae exequialis. Media favore pauperum. — 4. Dies 3, 7, 30 et anniv. — 5. Anniversarii nomen accipitur pro die et pro Missa anniversaria. — 6. Ratio computandi praefatas dies.

1. Vult quidem Ecclesia, ut generatim Missa cum Officio concordet; secus tamen fieri potest, si rationabilis habeatur causa, v. g. quo efficacius succurratur Defunctis per preces et ritus pro ipsis peculiariter institutos. *Etsi enim,* uti docet Bened. XIV, *sect. 2 de Sacrif. Missae n. 210,* cum S. Thoma, *ex parte Sacrificii Missa aequaliter prodest Defuncto, de quocumque dicatur; ex parte tamen orationum magis prodest illa, in qua sunt orationes ad hoc determinatae.* Cs. Cavalieri, *tom. 3, dec. 70, n. 3 sq.* Unde ad lucrandam Indulgentiam Altaris privilegiati, Ecclesia exigit, ut Missa celebretur *de Requiem*, et eadem de causa multa concessit privilegia, ut nonnullae Missae Defunctorum celebrari possint diebus alias non liberis.

Quemadmodum (quod jam observatum est, titulo *de Missis votivis*) habentur Festa aut Officia quae magis exigunt Missas sibi conformes, ita dantur dies Defunctis peculiari modo dicati, qui ideo sunt plus minusve privilegiati pro eorum Missis. Tales sunt dies Commemorationis omnium

intentione Ecclesiae non attenduntur ii fines, sed offertur, quatenus propitiatorium, seu satisfactorium, ut colligitur ex verbis, et precationibus quibus tota ejusmodi Missa constat. Discrimen itidem desumitur ex ritu, seu caeremoniis in mortuorum Missis adhiberi solitis, quae in multis discrepant a ritu, et caeremoniis Missarum vivorum, ut satis constat ex superius traditis. Huc igitur spectat discrimen Missarum pro Vivis, et pro Defunctis ab ordinationis forma insinuatum.«

Fidelium defunctorum, Depositionis, dies 3[us], 7[us], 30[us] et anniversarius. Unde, sicuti contingit pro Votivis, in quibusdam Festis aut Officiis omnes, in nonnullis quaedam, et in aliis nullae Missae Defunctorum prohibentur. De Missis Defunctorum in variis illis circumstantiis agunt Rubricae h. t. Et primum ordinant quibus diebus Missa Defunctorum dicatur pro Conventuali aut in Missis privatis; et deinde tradunt quomodo hae Missae ordinandae sint quoad Orationes et Sequentiam diebus privilegiatis. De his diebus nonnulla veniunt praemittenda expositioni Rubricarum.

2. *Commemoratio omnium Fidelium defunctorum.* Die quae sequitur Festum omnium Sanctorum fit generalis Commemoratio Fidelium defunctorum, id est, fiunt suffragia, orationes pro omnibus animabus quae in Purgatorio purgantur: praeter Officium diei *(part. II, p. 435)* recitatur Officium Defunctorum, omnesque Missae privatae et una conventualis dicuntur pro Defunctis ad normam ritus dup. Quandonam vero haec Commemoratio praecise fuerit instituta, non constat. „Licet, ait Cavalieri, *tom. 3, c. 1, n. 4,* Ecclesiae coaeva [1] deprehendantur sacrificia, aliaque pia opera pro Defunctis generatim, et speciatim oblata: minime tamen comperitur, statum aliquem tunc praestitutum fuisse diem, quo Fidelium defunctorum omnium Commemoratio ageretur, in eoque prae ceteris effunderentur preces, ac sacrificia fierent. Fertur omnium primus Sanctus Odilo Cluniacensis abbas ritum hunc anno 998 in sua coenobia invexisse.....“ Quomodo pia Mater Ecclesia intendat per suffragia generalia succurrere Defunctis docet Augustinus, hic in nota. „Hoc item habet solemnis commemoratio Defunctorum, ait Cavalieri, *l. c. n. 5,* ut nostram torpentem

1) „Ecclesiae non satis est pro Defunctis raro, et certis quibusdam occasionibus orare; nulla prorsus est Liturgia quae non habeat Orationem pro Defunctis, idque ex Apostolica traditione.“ Bened. XIV *op. cit. sect. 1, n. 297.* S. Augustinus, *lib. de cura pro mortuis cap. 4,* sequentia scribit: „Non sunt praetermittendae supplicationes pro spiritibus mortuorum, quas faciendas pro omnibus in christiana, et catholica societate defunctis, etiam tacitis nominibus quorumcumque, sub generali commemoratione suscepit Ecclesia, ut quibus ad ista desunt parentes, aut filii, aut quicumque cognati, vel amici ab una eis exhibeantur pia matre communi.“ Advertit Cavalieri, *l. c. n. 6,* haec non esse intelligenda de Commemoratione generali Defunctorum *stata die* agenda, uti fit hodiedum 2 die Novembris.

pietatem excitet, et nos admoneat Officii nostri, ut eorum et ea die recordemur, et diebus reliquis in studia eos, precibus sacrisque, magis adjuvandi nervum omnem intendamus."

3. *Dies obitus seu depositionis* maxime est privilegiata, quoad Missam in hac circumstantia celebrandam. Ecclesia enim vult ut, quantum fieri potest, cadavera non sepeliantur, nisi prius Missa celebrata pro Defuncto. „Quod, ait Rituale Rom. *tit. de Exequiis*, antiquissimi est instituti, illud, quantum fieri poterit, retineatur, ut Missa praesente corpore Defuncti, pro eo celebretur, antequam sepulturae tradatur." Quinimo, ne hujusmodi suffragio privarentur Defuncti, olim permissum fuit, ut Presbyter bis eadem die celebraret, jejunio tamen servato in prima Missa. Cf. Cav. *tom. 3, dec. 19,* quod est 12 Jul. 1628, n. 603, Januen. Cs. Bened. XIV, *in Litteris Apost. super facultate celebrandi tres Missas die commemorationis omnium Fidelium defunctorum, concessa ad instantiam Regum Hispaniarum et Portugalliae* (leguntur *in fine sect. 2, de Sacrificio Missae*). Ibi §. *Nova, pag. 406*, argumenta exemplaque referuntur „ut appareat quam propensa fuerit Ecclesia ad permittendam Missarum iterationem, quantumvis generaliter interdictam, ubi de procurandis Fidelium defunctorum suffragiis ageretur." Cf. *de Sacrif. Miss. sect. 2, n. 203 et seq.*, ubi suggeruntur media quibus obtineri possit ne cadavera pauperum sepeliantur, quin prius saltem una Missa coram ipsis celebretur[1]. Utinam omnes Parochi per similia aliave media valerent ardentissimo piae Matris Ecclesiae voto ita satisfacere, ut nullus ex ipsius filiis hoc ultimo privaretur subsidio. Itaque in locis ubi haec pia consuetudo non viget, videant et coram Deo recogitent Parochi, tanquam Patres suorum omnium parochianorum, etiam pauperum, aliarumque miserabilium personarum (cf. Trid. *sess. 23, de ref. c. 1*), quibus mediis illam inducere possint; et in locis ubi viget

1) Praedicta obitus Missa olim ad ipsum animae egressum aut dum erat in agone offerebatur: ejus ritus vestigium forte agnosci potest in Offertorio Missae Defunctorum. „Ad ipsum autem egressum animae, aut dum erat in agone, sacrificium offerebant majores nostri, et de Missa qua animam ad tremendum Dei tribunal comitabantur, apud nos adhuc reliquum est Offertorium, et est, quod dicitur in Defunctorum Missis, in quoque adhuc apparent vestigia circumstantiae temporis, in qua dicebatur. Agebant illud quavis diei hora, licet non jejuni.." Cav. *tom. 3, dec. 19, n. 1.*

usus dandi stipendium, non pro Missa, sed pro Laudibus vespertinis in refrigerium Defuncti decantandis, perpendant annon possent Laudibus vespertinis subrogare Missam? Cf. Cav. *tom. 3, dec. 19* cit. Ibi dicta sic claudit *n. 5.* „Haec itaque unice allegata sunt, ut quisque prae oculis habeat, quam sancte statutum fuerit, in die depositionis dicendam esse Missam pro Defuncto, non obstante contraria consuetudine, quae cum tot resistat legibus antiquis, praescriptis, laudabilibus consuetudinibus, et institutionibus, Defunctosque privet potiori suffragio et congruenti honore, ac viventes solatio id subsidii praestandi, ac postrema amoris signa erga Defunctos suos in die, in quo eosdem debent pro semper dimittere, haud digna profecto est, quae consuetudo, sed magis abusus appelletur."

Ad Missam de die obitus referenda est Missa quae celebratur cum primum accipitur nuntium alicujus in loco dissito defuncti.

4. *Dies 3, 7 et 30.* „Diei obitus succedunt dies tertius, septimus, et trigesimus, qui institutione antiquissima in Defunctorum memoriam ab Ecclesia prae ceteris solemnes habiti sunt. Non quidem (recte monet Amalarius, *lib. 4, cap. 42*) quasi iis tantum diebus, non aliis Officium Missave haberi debeant, aut iisdem diebus magis Defunctis proficiant, quam aliis, sed quia prae reliquis mysticas plurimas rationes habent." Cav. *l. c. cap. 4, n. 1* [1]. Cf. Gav. *h. t. n. 2.*

1) „Die itaque tertio solemnior fieri solet mortuorum recordatio, ut pius Dominus quidquid peccaverunt cogitatione, verbo, et opere erga Deum, proximum, et seipsos, misericorditer indulgendo, Sanctae Trinitatis similitudinem in eis restaurare dignetur. Sicut autem Christus tertia die resurgens ex mortuis, vitam nostram reparavit in melius; ita nos tertia die pro spiritibus mortuorum offerentes, spem futurae resurrectionis, et securam beatae perennitatis gloriam profitemur eumdem Christum exorantes, ut preces nostras acceptando, Defunctorum conditionem in melius reparet, illos educendo a Purgatorii carcere ad Patriae gaudia. Septimo quoque die, quo numero universitas designatur, universa eorum peccata delemus, Josephi Aegypti Proregis instar, qui Jacob patris sui exequias celebrans, *Gen. L, 10,* implevit dies septem luctus; unde et *Eccli. XXII, 13,* dicitur: *luctus mortui septem dies.* Septima item dies Sabbatum est, symbolum futurae quietis, unde Dominum Sabbati precamur, ut Requiem aeternam eis donet, et amodo jam dicat Spiritus, ut requiescant a laboribus suis." Cav. *ibid.* Trigesimum diem commendat *S. Ephrem*

5. *Anniversarium.* Per Anniversarium, generatim et vi vocis, illud intelligitur quod fit aut recurrit evoluto anno. Cf. pt. Gav. *tom. 3, dec. 41, n. 1.* Unde Anniversarium appellatur tam dies quam Solemnitas, Festum aut Missa quae recurrit aut celebratur evoluto anno, ac proinde vox *Anniversarium* sumitur in duplici sensu, scilicet *a)* pro ipsa die anniversaria, et *b)* pro Solemnitate aut Missa qua recolitur dies anniversaria; ex circumstantiis judicandum est in quo sensu accipiatur. In Rubricis tamen et decretis, quando simpliciter nominatur anniversarium, accipi solet in posteriori sensu, ac intelligitur Missa quae, annuatim seu evoluto anno a die obitus aut depo-

in suo Testamento apud Surium tomo 1, derivaturque Ritus a morte Aaron, et Moysis, quo flevit populus triginta diebus, *Numer. XX, Deuter. ult.* vel quia Dominus baptizatus est Annum agens trigesimum. *Alcuin.* Gav. *l. c.*

De usu celebrandi Missam pro Defuncto, per triginta dies continuos haec notanda sunt cum Bened. XIV, *sect. 2 de Sacrif. Miss. n. 208 seq.* „Tradit S. Gregorius, *lib. 4, cap. 55. Dialogorum,* defuncto quodam Justo monacho, se Pretioso, pariter monacho, haec demandasse: *Vade itaque et ab hodierna die diebus triginta continuis offerre pro eo Sacrificium stude, ut nullus omnino praetermittatur dies quo pro absolutione illius Hostia salutaris non immoletur (alias offeratur)* [a]. Absoluto Missarum numero Justus monachus Copioso apparuit cui se Purgatorii cruciatibus ereptum eo tempore nunciavit: *Fratres vero* (inquit S. Gregorius loco citato) *sollicite computaverunt dies, et ipse dies exstiterat quo pro eo trigesima oblatio fuerat impleta.*" Hinc Missarum usus dimanavit, quae a *S. Gregorio* nuncupantur. Illum deinde Cluniacense Monasterium inter suas consuetudines adscivit, quas Uldericus Regularis Benedictinus, *lib. 3, cap. 29,* complexus est; Fideles omni saeculo eamdem consuetudinem pariter receperunt. Et *n. seq.* haec subdit: „Interjecto aliquo tempore triginta Missas prorsus ineptas, et rebus haud convenientibus refertas quidam sine ulla facultate temere confecit, easque *a S. Gregorio* appellavit, quas etiam diligenter expendit Thiers in suo *Tract. Superstition. tom. 2, lib. 4, cap. 4.* Sacra igitur Rituum Congregatio easdem Missas celebrari omnino vetuit [b], non vero piam consuetudinem a S. Gregorio inductam, ut per triginta dies continuos totidem Sacrificia Deo offerantur pro illius expiatione, qui e vivis decedit." Notandum est eas Missas, ex triginta, quae celebrantur extra dies 3, 7 aut 30, non esse privilegiatas, ac proinde celebrandas esse conformes Officio in diebus prohibitis.

a) Verba S. Gregorii hic referuntur juxta edit. Migne. Aliquantulum discrepat textus edit... quem sequitur Deherdt, *pag.* 1, *n.* 18, *V.*
b) Decretum legitur initio *Missalis*, et *tom.* 1, *pag.* 97.

sitionis, vel a die a testatore aut consuetudine (dec. 3 Mart. 1761, n. 4150, 12) assignata, celebratur, cum vel sine Officio, ad recolendam anniversariam depositionis diem, prout dicitur in Oratione. Anniversarium etiam vocari posset Officium Defunctorum eodem fine decantatum. Cf. dicta *part. II* de Officio Defunctorum, *p. 445.* Cf. pt. dec. 22 Nov. 1664, n. 2157, ubi nominantur *Anniversaria et Missa anniversaria.* Dicitur *annuatim* seu *evoluto anno.* Circa quod advertendum est cum Cav. *tom. 3, dec. 30, n. 3,* nomine Anniversarii etiam venire Missam quae, non singulis quidem, sed determinatis annis celebratur, in commemorationem diei depositionis. Missae vero fundatae pro certis diebus infra annum, et non in commemorationem depositionis cantandae, proprie non veniunt nomine Anniversariorum; an vero sint privilegiatae, ad instar Anniversariorum, inquiritur §. *sequenti.*

Anniversaria distinguuntur in *fundata* et *non fundata.* Utraque sunt privilegiata, sed non in eodem gradu: nam fundata permittuntur in Dup. maj. etiam extra diem vere anniversariam ab obitu, dum non fundata permittuntur solummodo in Dup. min. et recurrente die vere anniversaria a die obitus, ut exponetur infra.

6. *Ratio computandi diem obitus et sepulturae, diem 3, 7, 30 et anniversariam.*

Q. 1. A quo instanti computandi sint dies obitus aut sepulturae?

R. Illud instans non assignatur idem ab omnibus; sed varium, prout uni aut alteri methodo adhaeretur. Ex quinque methodis, quas exponit Cav. *l. c. cap. 4, n. 5,* tres tantum hic referendae videntur, utpote ad scopum et ad praxim sufficientes. *Prima* computat a Vespera ad Vesperam, ita ut qui v. g. obiit prima die Martii ab ea hora quae decantandis vesperis indicitur, hujus dies obitus non consignetur die prima Martii, sed sequenti, quia juxta ritum ecclesiasticum incipere videtur dies ubi incipiunt primae vesperae. — *Secunda* methodus est, ut dies illa in obitum assignetur in cujus hora aliqua, a media nocte ad mediam noctem, contigit mors: et ratio est, quia communis Ecclesiae usus hoc modo metitur dies et praecepta ecclesiastica. — *Tertia* methodus in diem obitus assignat tempus quod currit ab ea hora qua defunctus exspiravit,

ad parem horam diei sequentis. — Dies sepulturae computandus est ut dies obitus.

Similes rationes seu methodi dantur, *tom. I, p. 254 in nota*, pro computando die obitus seu natalitio Sanctorum.

Q. 2. An a die obitus, vel a die sepulturae computandi sint dies 3, 7, 30 et anniversarius?

R. Tres sunt sententiae, uti refert Cav. *tom. 3, cap. 4, n. 6*. Juxta *primam*, praefati dies computandi sunt a die obitus; juxta *secundam*, a die sepulturae; et juxta *tertiam* computari possunt indifferenter ab alterutro die. Et ratio est, quia Ecclesia utrumque diem confundit et promiscue usurpat, ubi agitur de Missa in die obitus aut depositionis. Haec tertia sententia, quoad dies 3, 7 et 30, confirmatur decreto 23 Aug. 1766, n. 4187, 2, ubi praedicti dies declarantur *posse numerari a die obitus, sive a die sepulturae juxta diversam Ecclesiae consuetudinem*. Nec obstant haec ultima verba, *juxta diversam*, etc., quasi una methodus esset tenenda ubi neutra adhuc est in usu; sensus enim decreti est: cum in praecepto non sit dictos dies computare potius a die obitus quam a die sepulturae, ideo servari potest diversa Ecclesiae consuetudo. Notandum tamen est diem 3am regulariter congruentius computari a die sepulturae, ne cum hac die confundatur. Tertia sententia non est limitanda ad dies 3, 7 et 30; eadem enim est ratio de die anniversaria, in qua, ut habet Oratio Missae, recolitur *anniversarius depositionis dies*. Haec quidem dies silentio praetermittitur in cit. decreto 23 Aug., sed hujus silentii ratio minime petenda est a diversa methodo computandi, sed inde oritur quod dubium silet de die anniversaria et nominat tantum dies 3, 7 et 30.

Contradicit tamen Cavalieri, *l. c. n. 7 sqq.*; et existimat dies 3, 7 et 30 numerandas esse a die sepulturae, diem vero anniversariam a die obitus. Pro sua sententia, de computanda die anniversaria, *n. 7*, allegat haec decretorum verba: *recurrente obitus die*; *dummodo sermo sit de die vere anniversaria a die obitus;* quae verba leguntur in dec. 19 Jun. 1700, n. 3416, 9 et 10. Mihi tamen liceat illis verbis non eamdem vim tribuere ac praeclarissimus Auctor. Puto enim ex illis verbis, si pro subjecta materia et juxta contextum sumantur, nihil posse erui quo una aut altera ratio computandi diem anniversarium infirmetur aut confirmetur. Illa verba hoc quidem declarant: Missam de qua

in dubiis, non permitti extra diem vere anniversariam a die obitus, puta in die anniversaria a die 7 aut 30, vel in prima die libera post anniversariam a die obitus, si haec fuerit impedita: at nequaquam definiunt diem obitus hic sumi in sensu strictiori, pro sola die mortis, potius quam in sensu latiori et usuali, pro tempore scilicet quod fluit a die mortis ad sepulturam uti dictum est supra. Addi potest neque in dubiis, neque in responsis citatis fieri oppositionem inter diem obitus late sumptam et diem obitus strictius acceptam; bene vero inter Missam quae in die vere anniversaria a die obitus, et Missam quae in alia die celebratur.

§. II. DE OBLIGATIONE MISSARUM DEFUNCTORUM.

7. Excessus et defectus vitandus in dicendis vel non Missis *de Requiem.* — 8. Onere suscepto celebrandi hujusmodi Missam, servanda est rationabilis voluntas postulantis. *Regulae,* quando voluntas rationabilis est clare expressa. — 9. *Regulae,* quando est subobscura aut aequivoca. — 10. An conveniat ut Missa, quae diebus permissis celebratur pro Defunctis, *semper* sit *de Requiem.* — 12. Missa Defunctorum non est dicenda pro necessitate Vivorum.

7. Ex una parte vult Ecclesia ut Missa, quoad fieri potest, cum Officio conveniat; ex alia vero parte proprias Missas pro Defunctis quandoque permittit, quandoque praecipit. Quae duplex Ecclesiae ordinatio non recte intellecta locum dedit variis opinionibus et praxibus. Alii enim Missas Officio conformes, alii Missas Defunctorum nimis absolute extulerunt (supra *pag.* 55). Sed tenenda est via media, in Rubricis expressa, nimirum: seclusa rationabili causa, Missa cum Officio conveniat; data vero hujusmodi causa, ut dictum est pro Votiva *tit. praec.* §. *3, p. 1,* diebus permissis celebretur *de Requiem.* Rationabilis autem causa erit, si id fiat quo efficacius succurratur Defunctis, v. g. lucrando indulgentiam altaris privilegiati, vel ut satisfiat susceptae obligationi, aut (de quo quaestio esse non potest) praecepto Rubricae v. g. in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum.

8. Q. 1. An per Missam Officio conformem satisfieri possit susceptae obligationi celebrandi pro Defunctis?

Praenot. 1° Ad mentem revocanda est differentia, supra *pag. 37* exposita, quae exsistit inter hanc duplicem dictionem: *Missa Defunctorum,* et *Missa pro Defunctis.* 2° Prae

oculis habendum est solutionem quaestionis petendam esse a rationabili voluntate petentis Missam pro Defunctis, uti dictum est supra *pag.* 55, de obligatione Missae votivae. 3° Hic similes regulae servandae sunt ac pro Missis votivis. Quare:

R. I. Affirmative, si petita fuerit sola Missae applicatio, et non qualitas Missae Defunctorum aut *de Requiem*. Huc pertinent dec. S. C. Indicis 2 Apr. 1840, quod legitur apud P. Gury, *pag.* 743 *nov. edit. Tornacen.*, et S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 4750, 7. Cf. dicta, supra *pag.* 57, de sensu hujus decreti. Huc etiam aliquatenus pertinet decretum S. R. C., quod apud diaria refertur sub data 29 Nov. 1856. *Vid. infra n. 11.*

R. II. Negative, si petita fuerit Missa Defunctorum aut *de Requiem*, et occurrat dies libera intra tempus congruum aut assignatum. Quód ex jure contractuum constat [1], quidquid sentiatur de majori aut minori fructu unius quam alterius Missae, et quidquid sit de majori vel minori numero Doctorum qui stent aut stare videantur pro vel contra. „Expressa enim voluntas testatorum vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri.“ Ita S. R. C. in resp. 3 Mart. 1761, n. 4150, 14, quo contudit exaggerationem eorum qui nimis absolute velint, ut Missae dicantur conformes Officio. Huc pertinent dec. 22 Sept. 1753, n. 4088, 3, de Anniversariis Defunctorum, et 23 Aug. 1766, n. 4187, 1, de Missis cantatis *de Requiem* non supplendis, die impedita, per Missas Officio conformes. — *Corollaria:* 1. opposita sententia, quae a S. Lig. *Th. mor. de Euch. n.* 422, dicitur communissime et probabiliter defendi a Suarezio aliisque citatis, amplius petere nequit argumentum a sensu Ecclesiae (vid. Cav. *p. 3, tit. 12, n.* 22), nuncque videtur probabilitate carere. Notandum tamen est, etiam in illa sententia, excipiendum esse casum quo Missa dicenda sit,

1) „Non stante impedimento Missae dici debent de Requiem, quoties tales a Benefactoribus, seu Testatoribus sunt indictae, nec licitum est easdem in Missas de die commutare: solum enim eas in casu impedimenti commutari Decretum indulget, nec aliter exposcit testatoris mens vel erogantis stipem, quae instar legis se habet. Violaret itidem, qui secus faceret, fidem, et ingeneraret scandalum, quod facile evenit quando praesentes sunt, qui obligationem probe sciunt, vel imposuerunt.“ Cav. *tom. 3, dec. 40, n. 4.* Cf. quae ex eadem exscribuntur infra *ad q. 4.*

diebus permissis, ad altare privilegiatum. Cf. S. Lig. *l. c.* — 2. Cum, ex illis decretis aliisque, rationabilis habeatur petentis voluntas, quando Missam Defunctorum petit pro die libera, jam amplius teneri non potest sententia eorum (vid. Gav. *l. c. n.* 22) qui voluntati stipendium dantis fere subrogant arbitrium Sacerdotis, quasi in hujus potestate foret definire utrum rationabiliter necne petatur Missa *de Requiem*, utrum adsit necne obligatio talem Missam celebrandi potius quam Officio conformem.

Resolutioni datae non obstat resp. S. R. C. 12 Sept. 1840, *in Brugen.*, quia ibi supponitur petita sola Missae applicatio; cui petitioni satisfieri potest per Missam diei ad normam dec. Alexandri VII. Cf. dec. 2 Sept. 1690, n. 3079, 1.

R. III. Si petatur Missa Defunctorum, dicenda die vetito, cum talis voluntas non sit rationabilis, utpote contra Rubricas, servari non potest. Quod pluries decrevit S. R. C., sic compescendo excessum quo nimis tribuitur voluntati postulantium Missas dici extra ordinem Officii. Cf. dec. 5 Aug. 1662, n. 2031, ab Alexandro VII confirmatum. Cum igitur duo petantur quae conjunctim praestare non potest Sacerdos, videndum erit quid praecipue intendat benefactor: an malit dici Missam de die, quam exspectare diem liberam, aut vicissim. Qua facta inquisitione, voluntas a Sacerdote servabitur, quatenus innotuerit. Cf. dec. 5 Aug. cit.

9. Q. 2. Unde dignoscitur quae sit aut censeatur voluntas benefactoris circa qualitatem Missae aut ejus translationem, quando petiit Missam *de Requiem* in die vetita?

R. Si benefactor interrogari non possit, aut hujusmodi interrogatio existimetur inutilis, tunc recurrendum est ad circumstantias et decreta quibus S. R. C. interpretata est voluntatem benefactorum. Cf. dicenda *ad quaest. seq.*

Porro in decretis S. R. C. duae habentur regulae, una pro Missis privatis, altera pro Missis cantatis. *Prima regula* ponitur in dec. 5 Aug. 1662, pro Missis privatis *de Requiem* quae incidunt in Festum duplex. In illo decreto, ab Alexandro VII approbato, statuitur „quod si ex benefactorum praescripto Missae hujusmodi celebrandae incidant in Festum duplex; tunc minime transferantur in aliam diem non impeditam, ne dilatio animabus suffragia exspectantibus detrimento sit, sed dicantur de Festo currenti,

cum applicatione Sacrificii juxta mentem eorum benefactorum." Quam regulam posuit Alexander VII, benefactorum voluntatem potius interpretando, quam, suo supremo jure usus, moderando. Nomine benefactorum hic generatim veniunt qui, aliquo dato stipendio, sive manuali sive alio, Missam petierunt. Hinc S. R. C. 6 Apr. 1680, n. 2770, 2, declaravit nomine benefactorum in dec. 5 Aug. cit. venire etiam testatores. Cf. dec. 3 Mart. 1761 cit. *Altera regula* versatur circa Missas cantatas *de Requiem:* et regula generalis est, ut hujusmodi Missae non suppleantur per Missam Officii currentis, sed, si impediantur propria die, ad diem liberam transferantur aut anticipentur. Ita resolutum est, *a)* de Anniversariis Defunctorum die 22 Dec. 1753, n. 4088, 3; et *b)* de Missis cantatis *de Requiem*, die 23 Aug. 1766, n. 4187, 1. Haec tamen regula non est applicanda quando constat benefactorem intendisse potius circumstantiam temporis quam qualitatem Missae *de Requiem*, aut nolle Missam transferri. Hinc eadem S. C., die 2 Sept. 1690, n. 3079, 1, proposito dubio circa Missas cantatas *de Requiem* affixas feriis IV et VI Quatuor Temporum et Octavae Pentecostes, atque interrogata an hujusmodi essent transferendae aut supplendae per Missam diei, respondit „jam provisum esse in allegato Decreto S. M. Alexandri VII, nempe per celebrationem Missae currentis, cum applicatione Sacrificii juxta mentem testatorum, satisfieri obligationibus ex dispositione eorumdem injunctis." Hoc autem responsum limitari non potest ad Missas privatas; verba enim *„cantarle in tali giorno ... cantare le Messe de Requie"* non obscure ostendunt dubium poni de Missis cantatis Defunctorum.

10. Q. 3. An, extra casus ubi habetur obligatio celebrandi Missam Defunctorum, conveniat, ut Missae pro Defunctis diebus permissis celebrentur potius *de Requiem*, quam juxta ordinem Officii?

R. Sicuti AA dissentiunt quoad obligationem celebrandi Missas Defunctorum, ita non consentiunt quoad convenientiam, in casu. Alii stant pro Missa diei, quia sensus Ecclesiae est ut, *quoad fieri potest, Missa cum Officio conveniat*; et aliunde compensatur peculiaris fructus Missae *de Requiem;* tum quia conformior est voluntati Ecclesiae, tum quia uberior fructus ex opere operantis provenit, quando Missa Officii celebratur majori devotione. Cf. Gav. *p. 3, tit. 12, n. 20 cit.* et S. Lig. *l. c. n. 422* et alios ibi laudatos.

Pro sententia opposita militant argumenta quae allegat Cavalieri, *tom. 3*, *dec. 70*, *n. 4 sqq.* ad probandam obligationem celebrandi Missas Defunctorum; quae argumenta depromit ex praesumpta voluntate benefactoris, ex majori utilitate hujusmodi Missarum, et ex mente Ecclesiae. Docet censeri *de Requiem* impositas etiam illas quae *in remedium animae suae vel aliorum* sunt indictae, licet sine expressione *de Requiem* vel *Defunctorum*. Ad quod probandum ita argumentatur. „Utique, ait, si putentur, uti sunt, Defunctis utiliores, quia quilibet intendit sibi aut aliis consulere velle omni meliori modo, quo potest; et adhuc, si non existimentur magis proficuae, quia jure praesumuntur demandatae juxta morem, et ordinationem Ecclesiae quae pro Defunctis proprias Missas instituit. Accedit, quod satis constans in hoc eruitur Ecclesiae mens ex concessionibus fere cunctis super altaribus privilegiatis dum, horum indulgentiam, et privilegium adeo inligant Missis *de Requiem*, et solum Missas de die substituunt, quando *de Requiem* dici non valent, ut etiam *de Requiem* necessario celebrandae sint, licet indultum minime se exprimat, sicuti diserte statuit Decretum primum *cap. 14*, in cujus expositione, quae dicuntur, ad rem apprime conferunt.“ *n. 5*. Cf. *n. 3*.

„Substitutio itidem, quae ut supra conceditur, sistit in Missis privatis, nec pertransit ad solemnes, et cantatas, in quarum favorem Decretis propemodum infinitis magis Congregatio dispensandum censuit super Rubricis pro Duplici usque majori, et quatenus Festum altioris ritus occurrat, potius eas translationi, quam commutationi commisit, ubi quid simile non legitur concessum in favorem Missarum votivarum, nisi fortasse de B. Virgine, cui nunquam satis honoris, et distinctionis exhibere valet Ecclesia.“ *n. 6*.

Tandem *n. 7* contendit limitationem *tit. IV*, *3*, *Id vero passim non fiat, nisi rationabili de causa*, *et quoad fieri potest Missa cum Officio conveniat*, afficere solas Missas votivas, non vero Missas *de Requiem*, quia idipsum de his non dicit propria Rubrica *tit. V*. Ad hoc tamen argumentum advertendum est verba *tit. IV*, *3*, *quoad fieri potest*, etc., esse generalia, quamvis dicta occasione Missarum votivarum.

Quidquid autem sentiatur de hoc ultimo argumento, alia non carent fundamento et videntur hoc saltem probare,

nimirum, seclusa rationabili causa, congruere ut Missae, de quibus est quaestio, celebrentur *de Requiem*. Cf. Resp. *ad quaest. seq.*

11. Q. 4. An Sacerdotes, obligati ad celebrandum pro infirmis aut quacumque alia vivorum necessitate, suae obligationi satisfaciant celebrando Missam *de Requiem*.

R. Haec quaestio solvi potest ex principiis aut regulis in hoc §. traditis; majoris tamen elucidationis gratia juvat exscribere ea quae ad praesentem quaestionem scribit Cavalieri, *tom. 3, cap. 10, n. 19,* et remittere ad dec. 29 Nov. 1856. „Certum est, ait Cav. quod hujusmodi sacrificantes, dummodo Missam applicent ad finem praescriptum, ad restitutionem minime tenentur, quia fructus principalis, et satisfactorius, cui respondet stipendium, aequalis est in Missis omnibus. Certum est itidem, quod si stipem erogans, Missae qualitatem praescripsit, hanc servare tenetur Sacerdos, ne fidelitatem violet. Quod si Missae qualitas minime sit demandata, sed Sacerdos probe noverit finem, ad quem Missa dirigitur, nemo inficias rite ire valet, quin dicenda sit Missa, quae necessitati congruit, dummodo occurrat Officium talem Missam admittens; non enim alia de causa Missae hujusmodi ab Ecclesia fuerunt institutae, nisi ut in suis circumstantiis dicantur, et talis etiam jure praesumitur mens erogantis stipem, ut in similibus infra dicetur magis. Restringitur igitur quaestio, num quando non occurrit Officium Missas Defunctorum respuens, nec praescripta est Missae qualitas, aut in Missali non adest particularis, quae necessitati congruat, uti dici potest de die cum applicatione sacrificii, ita dici valeat *de Requiem,* si pro vivis sit applicanda.“ Cf. *n. 21 fin.* Vid. dec. 29 Nov. 1856, ap. *Revue Cathol. an. 1857, pag. 561.*

§. III. QUANDO PERMITTUNTUR AUT PROHIBENTUR MISSAE DEFUNCTORUM.

12. Impedimenta reducuntur ad tria, quae sunt: publica Expositio SS. Sacramenti, necessitas celebrandi aliam Missam, et qualitas seu celebritas diei. *Rub. 1.* Prima die mensis non impedita celebratur Missa principalis aut fit commem. generaliter pro Defunctis. — 13. *Rub. 2.* Idem fieri potest fer. II cujusque hebdomadae non impedita. — 14. Missae autem privatae Defunctorum prohibentur in Festis dup., Dominicis et diebus aeque privilegiatis. — 15. Missae Defunctorum in diverso gradu privilegiatae. — 16. Missa exequialis praesente, absente, sepulto

corpore. — Cum primum accipitur nuntium de obitu. — Missa in die 3, 7 et 30. — 17. Anniversaria fundata et non fundata. — 17. Missae, ultra Anniversaria, fundatae pro certis diebus, non videntur privilegiatae. — 19. Ad privilegium regulariter requiritur Missa cantata. Exceptiones quoad Anniversaria et Missam exequialem. — 20. Quando impediuntur Missae privilegiatae, tunc transferuntur cum eodem privilegio ad 1am diem liberam. — 21. Privilegium Missae exequialis unicam afficit Missam; privilegium vero aliarum Missarum, etsi limitatur ad unicam Missam pro eodem in eadem Ecclesia, ad plures extenditur Ecclesias.

12. Tria generatim impedire possunt celebrationem Missae Defunctorum, scilicet: *a)* expositio SS. Sacramenti, *b)* defectus Sacerdotis qui celebret aliam Missam, quae est in praecepto, v. g. Conventualem, et *c)* diei celebritas. Primum et secundum impedimentum sunt independentia a privilegio Missae celebrandae; tertium vero est relativum privilegio Missae. Inter impedimenta non recensetur prohibitio celebrandi alteram Missam privilegiatam vi ejusdem tituli: ista enim prohibitio non est proprie impedimentum, sed potius limitatio seu non extensio privilegii. De 2° et 3° impedimento agunt Rubricae 1 et seqq. Quoad primum, regula ponitur in dec. 7 Mai. 1746, n. 4032, 9. „Sac. Congregatio, inquit Gardellini, *Inst. Clem.* §. *17, n. 4,* hocce decreto regulam de non celebrandis Missis *de Requiem* extendit nedum ad expositionem XL Horarum, sed ad omnes expositiones, quae fiunt ex gravi causa et publico Ecclesiae bono, sive fiant in Ostensario sub umbella, sive in Pyxide velata." Et *n. 5 sqq.* docet nullam excipiendam esse Missam, extra Commemorationem omnium Fidelium defunctorum; quinimo *n. 11* opinatur praedictam Commemorationem posse transferri, ubi occurrit cum Oratione XL Horarum. De Exequiis Regis, vid. dec. 13 Mart. 1804, n. 4841.

Rub. 1. Prima die (1) cujusque mensis (extra Adventum, Quadragesimam et tempus Paschale) non impedita Officio duplici, vel semiduplici, dicitur Missa principalis generaliter pro defunctis Sacerdotibus, Benefactoribus et aliis. Si vero in ea fuerit Festum simplex, vel Feria, quae propriam habeat Missam, aut resumenda sit Missa Dominicae praecedentis quae fuit impedita, et infra hebdomadam non occurrat alius dies, in quo resumi possit, in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis dicantur duae Missae,

una pro Defunctis, alia de Festo simplici, vel Feria praedicta. Sed in Ecclesiis non Cathedralibus, nec Collegiatis dicatur Missa de die cum Commemoratione generaliter pro Defunctis.

1. *Prima die, etc.* Quemadmodum per Rubricas Breviarii indicitur ut initio mensis et quibusdam Feriis secundis recitetur Officium Defunctorum in eorum generàle suffragium, ita praesenti Titulo statuitur ut simile suffragium fiat per Missam aut saltem per Commemorationem.

Duo in hac Rubrica disponuntur pro prima die mensis, extra Adventum etc. ut supra. *Primum:* Si feria sit libera, tunc Missa principalis, etiam extra Cathedrales et Collegiatas, erit *de Requiem* sine obligatione tamen eam applicandi ut in Cathedralibus. *Secundum:* Si vero feria sit impedita Festo simplici etc., tunc in Cathedralibus et Collegiatis duae dicendae sunt Missae; sed in aliis Ecclesiis fit tantum Commemoratio pro Defunctis, in Missa principali Officii currentis. Cf. Cav. *tom.* **3**, *dec.* **44**, *n.* **5**. Cs. dec. **23** Mai. **1835**, n. **4597**, I, **4**.

Quaerunt AA. an de Missis privatis idem sit dicendum ac de Missa principali, scilicet, an Missae privatae legendae sint etiam *de Requiem* et non de Officio currenti? Cf. Cav. *l. c. n. 6 sqq.* Ipse *n. 7* pronunciandum esse credit in favorem Missarum de Officio; „Rubrica enim, ait, diserte loquitur de sola Missa principali, et etiam privatarum meminisse tenebatur, si et has *de Requiem* esse voluisset, aut saltem omisso to *principalis,* debuisset absolute indicere Missam *de Requiem,* uti praestat de Missa vigiliae incidentis infra Octavam...“ Caeterum aequum est ut Missa correspondeat Officio principali. Cf. dec. cit. **23** Mai. **1835**.

2. *Dicatur Missa de die cum Commemoratione generaliter pro Defunctis,* per Orationem *Fidelium.* Haec Commemoratio in casibus ubi facienda est vi praesentis aut sequentis Rubricae, pertinet ad Orationes Missae de die. Cf. dec. **13** Aug. **1701**, n. **3446**. De loco ubi ponenda est Oratio *Fidelium* dicitur *tit. VII, 6.*

13. *Rub.* **2.** Praeterea Feria secunda cujusque hebdomadae in qua Officium fit de Feria, Missa principalis dici potest pro Defunctis. Si autem fuerit propria Missa de Feria vel de Festo simplici, vel resumenda sit Missa Dominicae praecedentis, ut supra, in Missa de die fiat Commemoratio (ut dictum est) pro Defunctis. Excipitur tamen

Quadragesima (1), et totum tempus Paschale, et quando per annum Officium est Duplex vel Semiduplex: quibus temporibus non dicitur Missa conventualis pro Defunctis (nisi in die depositionis Defuncti et in Anniversario pro Defunctis), neque pro eis fit Commemoratio. Missae autem privatae pro Defunctis quocumque die dici possunt, praeterquam in Festis duplicibus et Dominicis diebus (2).

Excipitur Quadragesima et non Adventus, ut dictum est, *tit. III, 3.*

14. *Praeterquam in Festis duplicibus et Dominicis diebus.* Hic Missae privatae Defunctorum prohibentur iisdem diebus ac Votivae privatae *tit. IV, 3;* et hic ut ibi subintelligendae sunt dies privilegiatae ad instar Dominicae aut Festi duplicis, scilicet: Octavae privilegiatae, Feriae privilegiatae atque Vigiliae Nativitatis Domini, Epiphaniae et Pentecostes. Vid. *pag.* 58. Cf. pt. dec. 28 Sept. 1675, n. 2601, 22 Aug. 1682, n. 2846, 1, 15 Sept. 1714, n. 3723 et (de vig. Epiphan.) 16 Sept. 1730, n. 3841, 7.

15. Praeter Missas privatas Defunctorum, aliae dantur quae privilegiatae ideo dicuntur quia in pluribus diebus permittuntur quam privatae seu non privilegiatae. Privilegia Missarum *de Requiem* sicuti Missarum votivarum, sunt diversi gradus, prout dictum est *tit. praec. §. 3, p. 2.* Haec privilegia non declarantur in ipso textu Rubricarum, si tamen excipias privilegium Missae exequialis, praesente corpore; sed supponuntur. Definienda igitur erunt ex decretis S. R. C. *In primo gradu privilegii* est Missa exequialis, plus minusve privilegiata pro praesentia vel absentia corporis; *in secundo gradu* sunt Missa dierum 3, 7 et 30, Commemorationis omnium Fidelium defunctorum et Missa anniversaria fundata diebus assignatis; *in tertio* tandem *gradu* est Missa anniversaria non fundata. Singula privilegia innotescent ex expositione impedimenti quod pertinet ad celebritatem diei. Hic satis erit notasse Missas, in 1° et 2° gradu privilegii recensitas, ita esse privilegiatas ut, si propria die impediantur, possint anticipari aut transferri ad primam diem liberam.

Supra dictum est ad tria reduci impedimenta Missae Defunctorum. Jam actum est de impedimento propter publicam SS. Sacramenti expositionem; hic de aliis agitur, scilicet de necessitate celebrandi aliam Missam et de celebritate diei.

Ad vitandam confusionem notandum est hic dicta esse intelligenda de unica Missa (cf. dec. 27 Feb. 1847, n. 4926, 1), et quidem cantata cum ministris sacris aut saltem inferioribus. Infra inquiritur an plures Missae privilegiatae possint, vi ejusdem privilegii, dici eadem die, et an ad privilegium requirantur cantus et ministri.

Necessitas celebrandi aliam Missam occurrit etiam extra Ecclesias Cathedrales et Collegiatas. Nam, 1° uti generatim declaratum est a S. R. C. die 26 Jan. 1793, n. 4297, 7, in locis, ubi diebus Dominicis et festivis, etsi non solemnibus, una tantum celebratur Missa cui assistit populus, Missa exequialis non permittitur, nequidem praesente cadavere; 2° Occurrere etiam possunt aliae Missae Defunctorum, quae debeant praeferri, quia v. g. priores sunt tempore. „Clerus (inquit Cavalieri, *tom. 3, dec. 41, n. 4,* ubi agit de Anniversariis impeditis), cogendus non erit ad cantandas plures ex hujusmodi Missas eodem die; et adhuc unam vel alteram ex diebus, quae Missam *de Requiem* admittunt, in vacationem assumere poterit, quin propterea ab usu dicti privilegii (celebrandi scilicet Anniversaria extra propriam diem) arceatur.“ Cf. pt. *ibid. dec. 23, n. 9.* Quod autem hic dicit, *unam vel alteram diem,* in vacationem assumi posse, hoc intelligendum est, data rationabili causa. Nunc de 3° impedimento, de quo plura occurrunt dicenda.

16. Tertium impedimentum consistit in magna diei celebritate, et plus minusve impedit pro vario privilegii gradu. Omnium privilegiatissima est Missa exequiarum seu sepulturae quae confunditur cum Missa obitus seu depositionis. Diversum tamen est ejus privilegium, prout corpus est praesens vel absens.

1. *Missa exequialis, praesente corpore,* prohibetur tantum diebus quae sequuntur: *a)* Triduo sacro; *b)* Duplicibus I Cl. Breviarii Rom. *(tom. I, p. 130)*, si excipias Fer. II et III Paschae et Pentecostes, atque, ut videtur, Festum Dedicationis Ecclesiae [1]; *c)* Duplicibus I Cl. Calendarii particularis quae sunt de praecepto in foro et cum solemnitate extrinseca celebrantur; *d)* Dominicis in quibus celebratur Solemnitas translata Festorum suppressorum per Indultum

1) Notare juvat Duplicia I Cl. Calendarii Romani, in quibus certo prohibetur praedicta Missa exequialis, esse de praecepto ex jure communi, si excipias Festum titularis. Quoad Festum Dedicationis, non constat an impediat praefatam Missam.

6 *

an. 1802, dec. 23 Mai. 1835, n. 4597, 14. Haec asserta breviter explicanda et comprobanda veniunt.

De Missa exequiali, praesente corpore, ita statuit Rituale Rom. tit. *de Exequiis*. „Si quis die festo sit sepeliendus, Missa propria pro Defunctis praesente corpore celebrari poterit, dum tamen Conventualis Missa et Officia divina non impediantur, magnaque diei celebritas non obstet."

Equidem non convenit inter AA., prout videre est apud Merati, *h. t. n. 3*, et praesertim apud Cav. *tom. 3, dec. 21 sq.* [1], quaenam sint dies praedicta magna solemnitate celebres, ita ut excludant Missam exequialem, etiam corpore praesente; sed hoc satis definitum videtur per decreta S. R. C.

a) Sabbatum S. esse impeditum pro hujusmodi Missa, constat ex dec. 16 Apr. 1831, n. 4519, et 23 Mai. 1835, n. 4599, 7. Et idem a fortiori statutum fuisset de fer. V et VI praeced., si de his interrogata fuisset S. R. C., uti confirmari potest ex resp. 29 Jan. 1752, n. 4074, 13.

b) Pro eadem Missa *generatim* prohibita sunt omnia Duplicia I Cl. per dec. 5 Jul. 1698, n. 3328, 8. Cs. dec. 21 Mart. 1744, n. 4004, 3. Quae decreta generalem exprimunt regulam, declarando sensum Rubricae Ritualis, ac proinde (cf. dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 44) impedita sunt omnia Duplicia I Cl., praeter illa quae excipiuntur in decretis. Excipiuntur autem 1°, ex resp. 8 Apr. 1808, n. 4357, 1 et 27 Mart. 1779, n. 4244, 4, Duplicia I Cl. quae non sunt de praecepto, modo tamen non agatur de Festo titularis. In his aliisque decretis non fit expressa mentio de Festo Dedicationis Ecclesiae; hoc Festum videtur reponendum inter Festa dup. I Cl. in quibus, juxta haec duo decreta, permittitur praefata Missa exequialis. Cs. Cav. *l. c.* 2° Excipiuntur Feriae II et III Paschatis et Pentecostes per dec. 2 Sept. 1741, n. 3970, 4. Cujus exceptionis ratio esse videtur tum quia hae dies, utpote complementum seu continuatio Festi, reputantur minus solemnes, tum quia pro Defunctis qui obiissent Sabbatis aut Festis Paschatis vel Pentecostes, id, quod tantopere exoptat pia Mater Ecclesia, nimirum ut nullus absque Missa sepeliatur, vix alias obtineri posset.

Inter dies impeditas pro dicta Missa exequiali, non

1) Cavalieri, *l. c.* postquam exposuit AA. in diversas abire sententias, ipse dec. 22, n. 5 suam aperit sententiam quae fere consonat nostrae expositioni.

adnumerantur Dominicae I Cl. aliaeque feriae privilegiatae. Quod declaratum est, die 23 Sept. 1837, n. 4674, 2, de Dominica Palmarum; ac idem concludendum est de aliis Dominicis I Cl. De Feriis II, III et IV majoris Hebdomadae habentur dec. 21 Mart. 1744, n. 4004, 3, et 29 Jan. 1752, n. 4074, 13. — Neque impedita sunt Festa dup. II Cl., quantumvis solemniter celebrata. Cf. pt. dec. cit. 8 Apr. 1808, 2.

c) Quod vero Festa particularia attinet, ex dec. 7 Sept. 1816 cit. erui posse videtur ea non impedire praefatam Missam nisi duo concurrant, nimirum ut sint de praecepto in foro, et cum multo apparatu celebrentur.

Per Festa de praecepto in foro hic intelliguntur quae de jure feriationem adnexam habent (*tom. I, p. 178* et *hic* dec. 11 Mai. 1754, n. 4095, 5), etiamsi suppressa fuisset feriatio per Indultum reductionis Festorum an. 1802. Et idem videtur dicendum de Festo S. Joannis Baptistae in locis ubi suppressa est feriatio. Cf. dec. 12 Sept. 1778, n. 4242, 7 Sept. 1816, n. 4376, 44, et 7 Dec. 1844, n. 4839, 12. Hujus quidem decreti sensus non est obvius; intelligendum tamen videtur juxta praecedens 3 Apr. 1808, n. 4357, 1, quatenus scilicet Festum S. Joannis Bapt. per se, est de praecepto, non vero Festum S. Josephi.

2. *Missa exequialis*, corpore nondum quidem sepulto, sed absente ob rationabilem causam (dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 43), v. g. propter morbum contagiosum, iisdem prohibetur diebus, ac praesente corpore, et insuper aliis Dup. I Cl., nullo excepto, juxta dec. 2 Sept. 1741, n. 3970, 4. Cf. pt. dec. 25 Apr. 1781, n. 4253, 1 Sept. 1838, n. 4694, 1, et 3 Aug. 1839, n. 4713, 7. Sed permittitur in Dup. II Cl., etsi de praecepto, ac in Dominicis etiam I Cl. Cf. dec. cit. et dec. 23 Mai. 1603, n. 51, 5, de die Dominico aut festivo, et dec. 11 Apr. 1840, n. 4742.

Missa exequialis, corpore jam sepulto ob rationabilem causam, iisdem prohibetur diebus, ac insuper *a)* omnibus Dup. II Cl. et *b)* festivis de praecepto. Dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 43. Advertendum est, ut infra dicitur, privilegia Missae exequialis absente corpore intelligenda esse de unica Missa exequiali ad 1^{am} diem liberam translata.

Ad Missam obitus aliquatenus pertinet Missa quae cantatur *de Requiem,* dum accipitur nuntium de obitu alicujus in loco dissito Defuncti. Haec Missa, per decretum 3 Mart.

1761, n. 4150, 13, permittitur in Duplici non festivo; quod intelligendum videtur de Duplici vel majori; unde concludendum est eam Missam iisdem diebus permitti ac Anniversaria fundata. Cf. Cav. *tom. 3, dec. 24, n. 2,* et dec. 4 Mart. 1686, n. 2961, 2. Huic privilegio occasionem dedere constitutiones Regularium quibus cautum est ut, cum primum accipitur nuntium de obitu, in loco dissito, alicujus de gremio ejusdem Congregationis, in quolibet Monasterio cantetur Missa *de Requiem,* ut in die obitus, pro ejus anima. Cf. dec. 4 Mart. 1686 cit. et Guyet. *lib. 4, cap.* 23, *q.* 28. Sed dec. 3 Mart. 1761 cit. dictum privilegium factum est generale. Et reipsa eadem militat ratio; haec enim Missa quasi supplet Missam exequialem aut diei 3ae, in locis dissitis cum illud primum nuntium accipitur.

Pariter privilegiis Anniversarii fundati gaudent Missae dierum 3, 7 et 30. Cf. dec. 7 Sept. 1745, n. 4026, 7, 23 Aug. 1766, n. 4187, 2, et 2 Aug. 1783, n. 4261.

17. *Missa* [1] *anniversaria* Defunctorum duplicis est generis: fundata et non fundata. 1° *Missa anniversaria* in cantu fundata, id est, annuatim [2] cantanda, recurrente ipsa die obitus [3] aut alia a testatore aut per consuetudinem assignata [4], prohibetur *a)* diebus supra recensitis, nempe Dup. I et II Cl., diebus feriatis atque triduo sacro; ac praeterea *b)* diebus infra Octavas privilegiatas, Feria IV *Cinerum,* primo triduo Hebdomadae sanctae, atque Vigiliis Pentecostes, et Nativitatis Domini. Sed permittitur in Duplicibus min. et maj. quae non sunt de praecepto in foro [5]; item in Vigilia Epiphaniae, quia in eadem permittitur Missa Defunctorum cum primum accipitur nuntium obitus, ut supra; quae Missa, ut dictum est, iisdem diebus permittitur ac Anniversaria. Cs. Deherdt. — 2° Missa

1) Per Anniversarium Defunctorum quandoque intelligitur, ut dictum est, Missa cum Officio Defunctorum (cf. dec. n. 4399, 4); sed communiter intelligitur sola Missa Defunctorum: quod locum habet, quando per testamentum relinquitur *Anniversarium* vel *Anniversarium solemne;* dec. 21 Jul. 1855.

2) Cf. *§. praeced.*

3) Dec. 27 Mart. 1694, n. 3180, ubi alia decreta de eadem recitantur. Cf. pt. dec. n. 3633 et 4616 *in Eugub.*

4) Dec. 3 Mart. 1761, n. 4150, 12, et 22 Dec. 1753, n. 4088, 1.

5) Dec. 22 Nov. 1664, n. 2155, quod refertur in dec. 15 Sept. 1714, n. 3723 et *initio Missalis.* Cf. pt. dec. n. 4088, 1, 4094, 3, etc.

anniversaria non fundata hoc tantum gaudet privilegio, ut celebrari possit in Duplici minori, quod non est de praecepto. Sed si dies Anniversaria a die obitus sit impedita, non potest cum eodem privilegio transferri. Cf. dicta supra *pag. 74.* — Ubi agitur de Anniversario pro pluribus Defunctis celebrando, recurrente obitus die, sufficit si recurrat dies obitus unius ex defunctis. Cs. Cav. *l. c. dec. 30, n. 5.*

18. Praeter Missas anniversarias, in quibus recolitur dies anniversaria obitus, dantur Missae Defunctorum fundatae, semel aut pluries per annum cantandae, et quidem diebus assignatis vel non. Si dies non sint assignatae, certum est hujusmodi Missis nullum tribui privilegium. Cf. dec. n. 3180 et n. 4187, 1.

An autem idem dicendum sit de illis quae sunt certis diebus affixae, non ita constat, et dubium oritur ex tribus S. R. C. decretis, nempe 22 Nov. 1664, n. 2155, 4 Mai. 1686, n. 2961, 1 et 22 Dec. 1753, n. 4088, 4, ubi S. C. declarat decretum 4 Mai. 1686 esse servandum [1]. Difficultas sita est in praefiniendo sensu horum verborum. „*Anniversaria, et Missas cantatas de Requiem... Anniversaria, sive Missae quotidianae cantatae de Requiem...*"

Apud Janssens, *h. l. §. 3, n. 1,* Romsée, *h. l. n. 3,* cui adhaerent Mohren et Hazé, particula *et* prioris decreti et apud Merati, *h. l. n. 5*, particula *sive* posterioris decreti redditur per particulam explicativam *seu.* E contra Cavalieri [2], *tom. 3, dec. 39* (scil. 4 Mai. cit.), docet hanc particulam *sive* non esse explicativam tantum, sed extensivam. „Non minus favorabilis, inquit, exstat dictio *sive* Decreti, quae in dispositione favorabili stat augmentative, seu ampliative, adeoque nedum ad Anniversaria, sed etiam ad Missas quotidianas, aliasque est favor expansus. „Haec tamen expositio videtur rejicienda, et tenenda prior utpote a sensu obvio non aliena, atque contextui et menti Rubricarum conformior. 1° *A sensu obvio non est aliena:* de

1) Apud Merati refertur etiam sequens decretum: „Anniversariae, et aliae Missae pro Defunctis certo die dicendae, eo impedito, possunt transferri in diem sequentem. S. R. C. 27 Sept. 1608." *n. 92 Ind. Merati.* Sed illud non reperi apud Gardellini.

2) Ipse tamen aliter exponit particulam *et* decreti 22 Nov. 1664 cit. quod refertur in decreto gen. 20 Jul. 1669, n. 2337. „Dictio *et,* inquit Cavalieri *ad hoc dec. in ord. 30, n. 1,* stat, expositive pro *idest,* adeoque concessionem minime multiplicat..."

particula *sive* nullum esse potest dubium; et quod particulam *et* attinet, si contendatur eam minus recte exponi per *seu*, ei servari posse videtur suus sensus copulativus, quin inde aliquid eruatur favore sententiae Cavalerii. Nihil enim prohibet quin dicamus per verba „*Anniversaria et Missas cantatas de Requiem*" significari Officium, seu Onera, *et* Missas pro Defunctis in die eorum obitus celebrandis. Cf. pt. n. 2770, *dub. 3.* 2° *Est contextui conformior:* in priori decreto agitur de Missis Defunctorum quae possunt *quotannis in die ipsorum obitus celebrari,* quae proinde sunt vera *Anniversaria* (cf. dec. n. 4088, 4, et n. 3180, ac Cav. *l. c. dec. 30, n. 5*); posteriori autem, hoc unum declarari videtur: ut Anniversarium suo privilegio gaudeat, non debet necessario celebrari, recurrente obitus die, sed sufficit ut celebretur die assignata. 3° Est *menti Rubricarum conformior,* quia non apparet ratio ita multiplicandi privilegia celebrandi, in Duplicibus etiam majoribus, Missas extra ordinem Officii. Hic allegari possunt dec. 3 Jun. 1662, n. 2024, 23 Jan. 1683, n. 3180, 10 Mart. 1708, n. 3633, et 23 Aug. 1766, n. 4187, 1.

Corollarium. Ex dictis concludi posse videtur non dari Missas Defunctorum, ita privilegiatas ad instar Anniversariorum, ut possint, ultra Anniversaria pro testatore celebrata, cantari pro eodem, iisdem cum privilegiis; sed hujusmodi Missas hoc tantum sensu esse ad instar Anniversariorum privilegiatas, quod possint tenere locum Anniversarii in sensu stricto accepti, atque celebrari cum iisdem privilegiis, quamvis assignetur dies diversa a die obitus. Confusio autem inde oriri solet, quod praedictae Missae duplici nomine vocantur; cum enim non sint Anniversaria in sensu stricto, utpote extra diem obitus cantatae, bene vero in sensu lato quatenus annuatim, recurrente die assignata, celebrantur, propterea quandoque dicuntur Anniversaria, et quandoque Missae in cantu fundatae pro certis diebus. Cf. pt. dec. n. 3871. Cs. dec. 4 Sept. 1745, n. 4026, 7, ubi resolvitur quod „Anniversaria pro Defunctis possunt celebrari in Dup. maj., dummodo sint dies propriae, et assignatae a testatore, non tamen in Festis de praecepto."

Tandem hic notari potest cum Deherdt, *h. l. n. 17 fin.* „Missas confraternitatis Fidelium defunctorum, quae cantantur menstrue, infra Octavam Fidelium defunctorum, vel

infra annum pro defuncto confratre extra diem obitus seu depositionis, vel extra diem cum primum nuntium accipitur de obitu; item Anniversaria, quae celebrantur a capitulis, collegiatis, confraternitatibus, etc. pro omnibus in genere Defunctis canonicis, confratribus, etc.; nec non Anniversaria pro omnibus Defunctis religiosis, benefactoribus, etc., ut a religiosis ordinibus fieri solet; absque speciali privilegio seu indulto *de Requiem* tantum posse celebrari diebus, quibus permittuntur Missae privatae Defunctorum. *S. R. C.* 13 Jul. 1709, n. 3664, 3, 5 Dec. 1733, n. 3871, 8 Mart. 1738, n. 3923, 2, 4 Sept. 1745, n. 4026, 7, 25 Aug. 1818, n. 4399, 3, 12 Nov. 1831, n. 4520, 55. „Et ratio est, quia non habentur Missae Defunctorum privilegiatae, praeter Missam exequialem, Missam cum primum accipitur nuntium, ut supra, et Missas dierum 3, 7, 30 et Anniversarii. Cf. dicenda *q. 2 et 3*.

19. Q. 1. An pro usu privilegii requiratur ut Missa sit solemnis, aut saltem cantata?

R. Affirmative, secluso peculiari indulto, consuetudine aut impossibilitate. 1° De Missa exequiali constat ex dec. 29 Jan. 1752, n. 4074, 12, et 17 Jun. 1843, n. 4822, 1. — 2° Item de Anniversariis ex dec. 6 Apr. 1680, n. 2770, 3. Cs. n. 2234 et n. 3180. Idem est resolvendum de Missa quae permittitur dum primum accipitur nuntium de obitu, ut supra. Cf. pt. Cav. *l. c. dec. 24, n. 9.* — 3° Item denique de Missa dierum 3, 7 et 30, ex dec. 19 Jun. 1700, n. 3416, et 23 Aug. 1766, n. 4187, 2. Sufficit autem Missa cantata sine Ministris sacris: aliam enim non requirunt decreta.

Dantur tamen exceptiones 1ª est, si habeatur particulare indultum; 2ª oritur ex usu Ecclesiae, aut ex impossibilitate habendi ministros sacros. Ex dec. 19 Jun. 1700, n. 3416, 9, permittitur Missa lecta loco cantatae pro Anniversario, recurrente die obitus, in Ecclesiis Parochialibus ruralibus, in quibus per annum plerumque unus tantum Sacerdos celebrat, et sine cantu.

De Missa exequiali idem resolvendum videtur. Cavalieri, *tom. 3 ad hoc dec. in Ord. 27, n. 1,* adnotat Pasqualigum censuisse inter exequias Missam privatam *de Requiem* loco solemnis substitui posse, iis in Ecclesiis, in quibus ex ministrorum defectu Missae solemnes haberi non solent; et *n. 2,* dicit hanc Pasqualigi sententiam a fortiori nunc

approbari a S. C., quia validiores urgent rationes prò Missa exequiali (vid. dicta de Missa exequiali, *p. 49*), quam pro Missa anniversaria; quinimo putat Missam lectam in praedictis Ecclesiis substitui posse loco solemnis nedum in Duplici majori, sed in omnibus diebus in quibus licita est Missa solemnis exequiarum. Si haec vera sint, decreta 12 Sept. 1840, n. 4750 *in Brugen.*, et 22 Mai. 1841, n. 4774, 6 *in Mechlinien.* non sunt habenda ut peculiaria indulta; quinimo nec tanquam declarationes peculiaris casus, quasi Missa lecta in exequiis pauperum permitteretur tantummodo in simili casu, puta diebus non exceptis in dubio et in locis ubi viget hujusmodi usus; sed per ea decreta potius declaratur subrogationem Missae privatae loco solemnis non limitari ad Anniversaria, et extendi ad exequias pauperum; unde sequeretur 1° hanc subrogationem esse licitam in hujusmodi exequiis, etiamsi talis usus non vigeret, et 2° hoc non limitari ad dies in dubiis recensitos, sed licitum esse iisdem diebus quibus permittitur solemnis exequiarum, uti docet Cavalieri. Huic expositioni consonant ipsa verba responsi *in Brugen.* scilicet, usum *servari posse* juxta decretum *in una Curien.* diei 19 Jun. 1700, ad dubium IX. Quasi diceretur: usus, de quo agitur, servari potest, quia non minus in Exequiis ac in Anniversariis licitum est substituere Missam privatam loco solemnis, quando haec haberi nequit.

In dec. 19 Jul. 1700 expressa mentio fit de Ecclesiis ruralibus. Hoc autem, juxta Cavalieri, *l. c. n. 7,* ideo fit quia regulariter defectus ministrorum non occurrit in Ecclesiis urbanis, aut suburbanis, sicuti in ruralibus ubi Ministri extranei vocandi sunt. „In urbibus itaque, et suburbiis, *concludit ille,* substitutio praefata locum habere non potest, nisi stante tenuitate redituum, in quibus fundantur Anniversaria, aut Defunctorum pauperie, et haeredum, vi cujus per stipendium vel absolute non possunt vel non sine gravi incommodo, acciri Sacerdotes alii, quatenus hi charitative inservire nolint.“ Cf. dec. n. 4088, 8 *in Wilnen.* et Cav. *tom. 3, dec. 73, n. 3.*

20. Q. 2. Quid sit agendum quando Missa, quae gaudet jure translationis, occurrit die impedita?

R. Non est celebranda Missa Officii currentis (cf. dec. n. 4088, 4). Sed 1° Missa exequialis transferenda est ad primam diem quae libera est pro Exequiali absente cor-

pore, dec. n. 4246, 9. 2° Missae anniversariae fundatae debent vel anticipari (dec. n. 2198, 6), vel transferri (dec. 5 Jul. 1698, n. 3328, 16) ad primam diem pro Anniversariis fundatis liberam, id est cum eodem privilegio. Cs. Cav. *tom. 3, dec. 40, n. 2.* Disputatum quidem est inter AA., an anticipanda aut transferenda essent Anniversaria impedita diebus propriis, prout videre est apud Cavalieri, *l. c. dec. 40* (quod non reperitur in collectione Gardelliniana); spectato autem dec. 5 Jul. cit., quaestio nunc fieri tantum potest de eo quod sit convenientius. Porro translatio est conformior usui Romano, et modo loquendi magis usitato in decretis; sed anticipatio est magis favorabilis defunctis. 3° De Missis dierum 3, 7 et 30 idem dicendum est ac de Anniversariis, nisi quod non conveniat anticipare Missam diei 3ae. Cf. dec. 23 Mai. 1603, n. 51, 5.

Translatio autem vel anticipatio facienda est ad primam diem similiter non impeditam. „Agitur quippe, ait Cav. *l. c. n. 2,* de translatione, adeoque in primam diem facienda, sive praecedentem, vel sequentem, super quas decretum libertatem facit. Sane autem in primam ex dictis diebus non impeditam etiamsi ob occurrentia impedimenta plurima in longum protraheretur, vel anticiparetur Anniversarii celebratio, ut quando impeditur per ferias Paschatis, vel praecedentis hebdomadae.“ Sed si dies liberae praetermittantur, ut supponitur in dec. 3 Dec. 1701, n. 3455, 3, tunc cessat privilegium. Quare nullo gaudet privilegio Missa exequialis quae transfertur vel a propria die non impedita, vel a die propria impedita quidem, sed ultra primam diem liberam, ut celebretur die bene visa parentibus. Cs. Janssens, *h. l. §. 2, n. 10 sq.,* Deherdt, *n. 15, IV.* Cf. dec. n. 4986, 1, et *resp. sq. 1°.*

21. Q. 3. An plures Missae celebrari possint pro eodem Defuncto, cum privilegiis Missae exequialis, dierum 3, 7, 30, et Anniversarii, aut nuntii obitus in loco dissito?

R. 1° Unicam Missam exequialem esse privilegiatam, eruitur ex ipsa privilegii ratione, quae est ne corpora absque Missa sepeliantur, et si haec Missa impedita fuerit, quanto citius celebretur. Hinc decreta n. 3970, 4 et n. 4026, 2, unicam nominant, et dec. n. 4904, 13 secundam expresse prohibet. Cs. dec. n. 4926, 1. Limitatio autem unius Missae privilegiatae titulo Exequiarum intelligitur a Cavalieri, *l. c.* dec. 22, n. 7, relate non solum ad Ecclesiam, sed etiam,

et quidem primario, n. 7, ad ipsum Defunctum, ita scilicet ut plures Missae exequiales non gaudeant privilegio, licet unica in singulis Ecclesiis celebretur. Et rationem dat, quia „Rituale et decreta pro unica dumtaxat suffragantur Missa, ne scilicet sine praevia et congruenti Missa et honore sepeliatur.“ Cf. ibid. dec. 25. Decreta autem 19 Sept. 1654, n. 1585 et 11 Mai. 1754, n. 4095, 3, non concedunt privilegium alterius Missae exequialis. Non prius: nam ab ipsa S. R. C. sic exponitur, 4 Sept. 1745, 7. „Tenore dicti decreti, ait, a confratribus Societatis non possunt celebrari Exequiae, nisi in prima die non impedita ab Officio duplici.“ Neque posterius: si enim in eo decreto, aliud agnoscatur privilegium ac illud, quo fruitur Missa quae cantatur dum accipitur primum nuntium de obitu, hujusmodi indultum habendum erit ut particulare.

2° Idem, sed partim, est dicendum de Missis privilegiatis ratione primi nuntii, dierum 3, 7 et 30 vel Anniversarii. Etenim privilegium, ratione alicujus ex praefatis titulis, ex una parte limitatur ad unicam Missam in eadem Ecclesia celebrandam; et ex alia, extenditur ad quamlibet Ecclesiam, ita ut *v. g.* testator possit tot Anniversaria fundare in diversis Ecclesiis, quot sibi placuerit, modo unum in unaquaque fundetur. *a)* Unica Missa, ratione primi nuntii videtur permissa cuicumque Ecclesiae ubi accipitur nuntium. In decretis enim Missa non limitatur ad unicam Ecclesiam; sed contra praefata Missa supponitur celebrari in pluribus Ecclesiis. Et revera eadem militat ratio pro singulis Ecclesiis, non autem pro pluribus Missis in eadem Ecclesia. — *b)* Quod attinet ad Missas dierum 3, 7 et 30, dec. n. 4187, 2 loquitur de Missa in numero singulari, et in dec. n. 4261 quaestio est de *una Missa cantata de Requiem* diebus 3, 7 et 30. — *c)* Ex Rubrica 2 *h. t.* et decretis, quibus privilegiantur Anniversaria, deducitur Anniversaria absolute et ratione sui privilegiari, ita tamen ut favor ad unicum extendatur in eadem Ecclesia, quamvis non limitetur ad unam Ecclesiam. Et revera non apparet ratio ob quam Ecclesia vellet aut extendere privilegium ad plures Missas in eadem Ecclesia, aut illud limitare ad unam tantum Ecclesiam. „Proinde si testator, inquit Janssens, *h. l. §. 3, n. 5*, fundarit Anniversarium in hac vel illa Ecclesia, vel si fundarit duo aut plura in duabus vel pluribus Ecclesiis distinctis in die obitus sui quotannis

solemnizanda, in illis Ecclesiis cantari poterunt, etiam in Duplici majori, Missae anniversariae *de Requiem.*"

§. IV. VARIAE MISSAE DEFUNCTORUM. — ORATIONES. — SEQUENTIA.

22. Quatuor Missae Defunctorum pro certis circumstantiis assignatae. — 23. *Orationes.* In Missis privilegiatis, imo in privatis, quae in die obitus etc. celebrantur, unica dicitur Oratio. — 24. Item in Missa quae cum solemnitate extrinseca cantatur. — 25. Quae Orationes et quo ordine sunt dicendae. *Reg. 1*[a] pro Missis quae unicam habent Orationem. — 26. *Reg. 2*[a]. In Missis quotidianis non solemnibus, 2[a] Oratio mutari potest, non autem 1[a] et 3[a]. — 27. *Rub. 4.* De Sequentia. Ejus Auctor incertus. Quando dicenda vel non in Missis tam lectis, quam cantatis.

22. In fine Missalis quatuor assignantur Missae Defunctorum, variis in circumstantiis dicendae. Una tamen ab alia non differt, nisi in Orationibus, in dicenda vel non Sequentia, in Epistola et Evangelio: imo differentia in Epistola et Evangelio non videtur de praecepto servanda, spectata hac peculiari Rubrica quae legitur post 4[am] Missam: „Epistolae et Evangelia superius posita in una Missa pro Defunctis, dici possunt etiam in alia Missa similiter pro Defunctis." Itaque concludit Cavalieri, *tom. 3, c. 10, n. 16,* demptis Orationibus liberum est quamcumque Missam pro quocumque et in qualibet circumstantia dicere. Aliter sentit Guyetus, *lib. 4, c. 23, q. 27.* „Hoc vero, ait, ego mihi jam liberum esse nullatenus persuaserim, quidquid Rubrica citata secus concedere videatur, quam idcirco libet alio verosimiliore sensu donare, ut nimirum illud *dici possunt,* non intelligatur pro nutu Sacerdotis, sed juxta quod Missale ipsum in sequentibus declarat, aut alias ex pari ratione opportunum judicabitur. Declarat videlicet Missale, in die Depositionis et Anniversario Summi Pontificis dicendam primam Missam, cujus est Epistola, *Ecce mysterium,* et Evangelium, *Amen, amen dico vobis.* Itidemque pro defuncto Episcopo. Pari ratione judicat Gavantus, *part. 4, tit. 18, n. 8,* eamdem primam Missam dici debere pro Cardinali etiam defuncto..." Sed istiusmodi explicatio, ut advertit Cavalieri *l. c.* est nimis violenta. Attamen admissa etiam sententia Cavalerii, utpote conformiore sensui obvio Rubricae (vid. *dec. n. 4088, 2 hic ad rub.* 2), nihilominus decet, uti ipse asserit, *n. 17,* Epistolas et Evangelia dici in diebus atque circumstantiis, prout in Missali sunt distributa.

Quibus diebus unaquaeque ex quatuor Missis sit assignata, id docetur ipso titulo Missae. „Quamlibet ex his Missis cum sua respective Epistola et Evangelio in assignatis quatuor diebus dicendam esse, titulus ipse ubertim evincit, nempe *primam* in Commemoratione omnium Fidelium defunctorum, *secundam* in die obitus seu depositionis, et in diebus 3, 7 et 30; *tertiam* in Anniversario, et *quartam* in Missis quotidianis, seu in Missis omnibus aliis, quae dicuntur extra praefatas dies, et circumstantias. Limita pro die depositionis et Anniversarii Summi Pontificis, et Episcopi, in quo Rubrica Orationibus praefixa diserte mandat primam Missam, quae consequenter dicenda etiam erit in eorumdem diebus 3, 7 et 30, pro quibus supplet Rubrica alia in secunda Missa inserta, quae in praefatis diebus expresse praescribit *Missam ut supra,* scilicet ut in die obitus: unde pro quibus in die obitus dicitur prima Missa, haec etiam dicenda erit in diebus 3, 7 et 30. At qualis adhibenda erit infra annum in circumstantiis aliis? *Ut in quotidianis;* sic enim indiscriminatim indicitur, nec Rubrica ulla vel indirecte Summis Pontificibus, aut Episcopis aliquem favorem facit." Cav. *l. c. n. 14.*

Primam Missam non pauci attribuunt, ut supra, Cardinali defuncto; et nonnulli etiam Praelatis Regularibus, Regibus, Principibus et Magnatibus. Hoc autem rejicitur a Cavalieri, *l. c. n. 15.* Quod Sacerdotes attinet, „una vel altera Missa dici poterit in Sepultura cadaveris vel Anniversaria pro Sacerdote defuncto, dummodo Oratio pro eo designanda *Deus qui inter Apostolicos Sacerdotes etc.,* omnino adhibeatur." S. R. C. 29 Jan. 1752, n. 4074, 14.

Si in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, celebretur Missa exequialis, sumenda erit secunda Missa. Dec. 3000.

23. *Orationes. Rub. 3.* In die (1) Commemorationis omnium Defunctorum, et in die depositionis, et in Anniversario pro Defunctis, dicitur una tantum Oratio: et similiter in die tertia, septima, trigesima, et quandocumque pro Defunctis solemniter celebratur (2); in aliis (3) Missis plures, ut de Feriis et Simplicibus dicetur infra in Rubrica de Orationibus.

1. *In die.* Haec verba nullum insinuant discrimen inter Missas solemnes et privatas, quae diebus hic enunciatis celebrantur. „Rubrica autem minime distinguit, ait Cav.

tom. 3, dec. 78, n. 1, sed simpliciter loquitur: unde par judicium habendum est de Missis privatis, quas Missae solemni decet esse conformes. Missarum textus ipse unam dumtaxat Orationem adnotat, quin pro privatis ullam exceptionem faciat; cur igitur sub una tantum Oratione dicendae non erunt, cum Missae illae in usum sint tam pro solemni, quam pro privata celebratione?“ Suam expositionem confirmat Cavalieri, *n. seq.* ex hisce Rubricae verbis, *et quandocumque solemniter pro Defunctis celebratur.*

Quamvis autem Rubrica directe loquatur de Missis in propria die celebratis, nihilominus unica etiam Oratio dicenda est in Missis privilegiatis praedictarum dierum, quae, utpote impeditae in propria die, ad primam liberam anticipantur aut transferuntur cum suo privilegio. Privilegium enim unius Orationis non afficere non potest Missam, qua principaliter recoluntur praedictae dies; sic discimus, uti advertit Cav. *l. c. n. 2,* ex decretis plurimis, quod Missae hujusmodi cum integra sua solemnitate transferuntur. Hinc „in Anniversariis Defunctorum ob aliquod impedimentum a proprio die translatis, quaevis dicatur Missa, sive ut in Anniversario, sive ut in quotidianis; verba in Oratione, *cujus Anniversarium depositionis diem commemoramus etc.* non sunt varianda.“ Dec. 22, 1753, n. 4088, 2. Verba decreti, *quaevis Missa,* intelligenda videntur quoad Epistolam et Evangelium, non autem quoad numerum Orationum: quia unica est dicenda.

24. 2. *Et quandocumque solemniter pro Defunctis celebratur.* 1° His verbis duo nos edocet Rubrica. *Primum:* diebus enumeratis una tantum dicitur Oratio in Missis etiam quae non sunt solemnes, ac proinde in privatis, ut dictum est. *Secundum:* si vero habeatur solemnitas, quaecumque Missa ex quatuor sumatur et quocumque die celebretur, una tantum dicitur Oratio.

2° Vox *solemniter* non ab omnibus eodem modo explicatur. Certum tamen videtur hanc vocem intelligendam esse de quadam Solemnitate extrinseca, et quidem varia pro variis Ecclesiis. Quaestionem ita exponit et solvit Cavalieri, *l. c. dec. 78, n. 3 sq. III.* „Quid sibi velit to *solemniter* aequum est nunc perscrutemur. Et certum est, quod non universim venit Missa cantata aut solemnis: alias quippe praecipuis in Ecclesiis, in quibus in cantu, et cum ministris sacris Missae quotidie haberi solent, semper cum

unica Oratione essent celebrandae, et in Ecclesiis ruralibus, et clero destitutis, vix Missae sub una Oratione decantari possent; et in quibuscumque Ecclesiis semper privatae Missae pluralitatem Orationum exposcerent. Guyetus, *lib. 4, cap. 23, quaest. 29*, to *solemniter* exponit pro *ritu duplici*, et dubium non est, quod Missae, quae ritu duplici peraguntur, sub una Oratione dici debent, cum ritus duplex pluralitatem Orationum excludat. At non minus redit difficultas, videlicet quandonam Missa duplici ritu sit celebranda, quando extra memoratos dies, et circumstantias agitur; arbitrarium enim esse non potest Missam ritu duplici, seu sub una Oratione dicere, cum ad id Rubrica *Solemnitatem* diserte requirat, quare nonnisi, ex expositione to *solemniter* quaestio rite decidi valet.“ *n. 3.*

„Opportune se nobis offert Rubrica XV, quae num. 3 *(allegatur tit. XV, 3)* to *solemniter* exponit pro *concursu populi*, et decretum S. R. C. 28 Oct. 1628, quod illud explicat pro apparatu, et pompa exteriori, ut magis videri potest in ejusdem expositione *tom. 1, cap. 44, decr. 2.* In triduis itaque, aliisque functionibus, quae cum concursu populi, aut cum apparatu, et pompa exteriori pro Defunctis celebrantur, Missae quaelibet sub una Oratione dici poterunt. Ad rem hanc indubie videnda sunt, quae fuerunt tradita *tom. I, cap. 18, decr. 1,* ubi diximus copulative ad effectum non exigi concursum populi, et apparatum, et pompam exteriorem, sed divisive, dummodo etsi magnus non sit, saltem congruens existat; congruens autem non absolute, sed relative, quia in Ecclesiis pauperioribus, et ab hominum commercio dissitis, etiam modicus concursus populi, vel apparatus ad effectum fortasse refert; non sic in ditioribus et populi frequentia claris, in quibus modica vix copulative suffragari valent.“ *n. 4.* Cf. dec. 4 Sept. 1745, n. 4026, 7 et 23 Sept. 1837, n. 4666, XI, 2.

Tandem *n. 5* privilegio unius Orationis generatim donat omnes alias Missas quae gaudent privilegio suae celebrationis in Duplicibus, quia condecoratae videntur ritu duplici, qui pluralitatem Orationum respuit. Talis est Missa quae celebratur ratione primi nuntii de obitu.

3. *In aliis.* Excipe tamen, uti statim dictum est, alias Missas quae celebrari possunt in Duplicibus.

25. *Quae Orationes, et quo ordine* sint dicendae, non docet praesens Rubrica. In fine autem Missalis, nimirum

in Missis Defunctorum et post easdem, diversae reperiuntur Orationes pro qualitate Personarum et Missarum. Quarum ordo servandus erit, nisi aliud permittant aut praescribant peculiares Rubricae vel Decreta. „Est quidem certum, inquit Guyetus, *lib. 4, c. 23, q. 29,* Orationes Missis insertas dici cum ipsis Missis, nec mutari unquam, nisi cum aliae ex diversis praescribuntur aut permittuntur Rubrica aliqua particulari." Cs. Cav. *tom. 3, dec. 78, n. 16.* Ex quo deducendae videntur duae sequentes regulae.

Reg. I. In Missis Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, aut in Commemoratione seu suffragio generali pro Defunctis alicujus communitatis, dicenda est Oratio *Fidelium.* In Missis depositionis, vel cum primum accipitur nuntium de obitu; in Missis dierum 3, 7, 30 et Anniversarii sumendae sunt Orationes quae dantur pro his circumstantiis, nisi Defuncto, pro quo celebratur, propria assignetur.

Q. Quibus Defunctis assignata est Oratio propria pro Missis unicam habentibus Orationem?

R. 1° Summis Pontificibus in die depositionis et Anniversarii. Quae assignata Oratio, pro eisdem dicenda etiam videtur diebus 3, 7 et 30; si enim Oratio propria depositionis cedit Orationi quae propria est dignitati Pontificali, a fortiori eidem cedere debet Oratio dierum 3, 7 et 30, qui minus celebres sunt quam dies depositionis. Cs. Cav. *tom. 3, n. 16.*

R. 2° Episcopis, et, juxta plures, Cardinalibus et Sacerdotibus iisdem diebus. Quod Cavalieri, *l. c. n. 16,* abnegat Cardinalibus et Sacerdotibus; dum alii illud extendunt adhuc ad alios, juxta dicta supra, *de quatuor Missis Defunctorum.*

Aliis Defunctis non sunt assignatae Orationes propriae, in praefatis Missis dicendae, ac proinde sumendae sunt quae assignantur illis diebus, aut Missis. Quae vero ponuntur *inter diversas,* post quatuor Missas Defunctorum, non sunt dicendae in his circumstantiis, sed in aliis, puta quando aliqua additur arbitrio celebrantis, aut secunda mutatur in Missis quotidianis. Has diversas Orationes non posse assumi loco Orationum quae cuique Missae assignantur, deduci jam potest ex modo quo intitulantur: non enim assignantur, ut aliae, alicui peculiari diei seu Missae, sed inscribuntur *Orationes diversae* pro Defunctis. Hoc

etiam inde confirmari potest quod si hae diversae Orationes sumendae forent pro qualitate personarum etiam praedictis diebus, nunquam de praecepto dicendae essent Orationes Missae depositionis, dierum 3, 7, 30 et Anniversarii.

26. *Reg. II.* In Missis quotidianis *(pag. 94)* non solemnibus 1ª Or. erit *Deus qui inter Apostolicos*, 2ª *Deus veniae largitor* aut alia, et 3ª *Fidelium.*

Ex decreto 2 Sept. 1741, n. 3970, 4 *in Aquen.* constat Orationem *Deus veniae largitor* posse aliquando in aliam mutari, et Orationem *Fidelium* semper esse ponendam ultimo loco. Quod vero attinet Or. *Deus qui inter Apostolicos*, docuit quidem sententia olim communis (cf. Cav. *l. c. dec. 78, n. 11*, Deherdt, *h. l. n. 20 et alios ibi citatos*), illam Orationem non posse indiscriminatim dici in Missis quotidianis, et, extra Missam conventualem, primam Orationem Missae quotidianae semper esse dicendam quae conveniat personis pro quibus offertur. Sed haec sententia rejicitur a S. R. C. per decreta 27 Aug. 1836, n. 4633, 7, et 23 Sept. 1837, n. 4666, XI, q. 1; et vano conatu quis tentaret horum responsorum vim eludere, asserendo S. Congregationem per ea non intendisse respondere ad quaesita. Etenim haec utriusque responsi verba: *Quoad primam Orationem servetur ordo Missalis, servetur Rubricae dispositio, et quoad secundam detur decretum in Aquen. diei 2 Sept. 1741 ad 4,* alium non possunt habere sensum nisi sequentem: Orationes in Missis quotidianis dicendae sunt prout in Missali disponuntur, hoc tantum excepto, quod loco 2ªᵉ *Deus veniae largitor* alia sumi potest vi decreti *in Aquen.* Expositio confirmari potest ex antithesi quae ponitur inter primam et secundam Orationem: una alteri comparatur respectu non ordinis sed permutationis, ac proinde ubi permutatio unius permittitur, idipsum pro altera denegatur. Quae expositio est obvia et omnino consonat prohibitioni dicendi Missam aliter quam juxta formulam et normam Missalis Romani. Cf. pt. dec. 16 Feb. 1781, n. 4252, 6, et aliud recentius quod refertur apud *Revue Theol. ser. 2, c. 3, pag. 493.*

Caeterum ratio horum decretorum est obvia. Missae enim, ut dictum est, legendae sunt prout jacent in Missali, nisi aliter ordinetur per peculiarem Rubricam aut per decreta. Peculiaris autem dispositio de mutanda 1ª Oratione nullibi repetitur; quin implicite denegatur per decretum *in Aquen.*:

exceptio siquidem facta pro 2a Oratione firmat regulam pro 1a.

Praeterea responsio ad rationes in oppositum allegatas, non est difficilis. Imprimis parum valet ratio petita ex congruentia: Ecclesiae enim est definire quousque preces publicae, suffragia generalia, sint privatis applicanda; et aliunde maxime congruit, ut in Missis quotidianis peculiare suffragium fiat pro Sacerdotibus, qui totam vitam impendendo in bonum animarum utilitatemque Ecclesiae, forte non satis curarunt de propria salute. Neque incongruum est, ut in Missa pro laico, quae plures habet Orationes, recitetur et quidem 1° loco Oratio *Deus qui inter Apostolicos:* non enim haec, sed sequentes Orationes dicuntur pro laicis.

Littera N, in certis Orationibus posita, expostulat nominis expressionem; ubi non reperitur, nullum nomen est exprimendum.

27. *Rub. 4.* Sequentia [1] pro Defunctis dicitur in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum, et depositionis Defuncti, et quandocumque in Missa dicitur una tantum Oratio: in aliis (1) autem Missis pro Defunctis dicatur ad arbitrium Sacerdotis.

(1) *In aliis,* sive lectis, sive cantatis; Rubrica enim non distinguit. „Hujusmodi Missae alterae sunt Missae quotidianae in quibus regulariter plures dicuntur Orationes; unde ubi in aliis Missis particularis Rubrica Sequentiam simpliciter notat, in quotidianis nonnisi sub hac conditione *ad arbitrium Sacerdotis;* in his tamen adhuc in arbitrio non erit, si sub una collecta dicantur; habet namque hoc ipso locum Rubrica generalis, cui non contrait Rubrica particularis, quae procedit supposita pluralitate Orationum, sub quibus Missa quotidiana regulariter dicitur.“ Cav. *l. c. cap. 10, n. 7.* Huc pertinet dec. 27 Feb. 1847, n. 4930, quo reprobatur usus promiscue omittendi dictam Prosam in Missis cantatis *de Requiem.*

1) De Sequentiis agitur *tit. X, 3.* Hic tantummodo est notandum Prosam, *Dies irae,* diversis a diversis adscribi. Cavalieri, *tom. 3, cap. 10, n. 8,* existimat prae caeteris esse tribuendam Latino Cardinali Ursino, qui etiam dicitur Frangipanis, Ordinis Praedicatorum. Cs. Bened. XIV, *sect. 1, n. 123.*

TITULUS VI.

DE TRANSLATIONE FESTORUM.

I. *Textus.* In dicendis Missis de Festis translatis, regulariter servatur ordo Breviarii. Exceptio quoad Missam quae permittitur propter Festum tituli aut concursum extraordinarium. Quae exceptio videtur extendenda ad Festum simplex. — Festa S. Huberti et S. Barbarae. — Missa *Aurea.* — II. Solemnitas 4 Festorum suppressorum: quando impeditur, et quomodo celebratur.

. *Rub.* In dicendis Missis servetur ordo Breviarii de translatione Festorum duplicium et semiduplicium, quando majori aliquo Festo seu Dominica impediuntur. In Ecclesiis (1) autem, ubi Titulus est Ecclesiae, vel (2) concursus populi ad celebrandum Festum quod transferri debet (3), possunt (4) cantari duae Missae, una de die, alia de Festo [1]: excepta (5) Dominica prima Adventus, Feria IV Cinerum, Dominica prima Quadragesimae, Dominica Palmarum cum tota Hebdomada majori, Dominica Resurrectionis, et Dominica Pentecostes cum duobus diebus sequentibus, die Nativitatis Domini, Epiphaniae, Ascensionis et Festo Corporis Christi.

I. *Expositio textus.* (1) *In Ecclesiis*, et, ut videtur, in Oratoriis publicis. Cf. dicta *pag. 47,* et *tom. I, pag.* **200** *sq.*

(2) *Vel concursus populi.* Alterutrum sufficit Titulus aut concursus *ad celebrandum*, etc. Cf. pt. dec. n. **2011.** Qualis autem esse debeat concursus, Rubrica non declarat; ex dec. **23** Sept. **1837**, n. **4666**, XII, q. **4**, debet esse extraordinarius. Quandonam vero adsit necne extraordinarius, aestimandum est judicio morali et pro circumstantiis. Hujusmodi concursus habetur quibusdam in locis, die S. Huberti; unde ibi celebrari potest Missa ad normam praesentis Rubricae, quando Festum S. Huberti occurrit cum Commemoratione omn. Fidel. def. Huc pertinet dec. **7** Sept. **1850** *in Mechlinien.* quod refert Deherdt, *p.* **5**, *n.* **32.**

1) In Rubrica *tit. VI,* prout refertur... in variis libris impressis, post illa *Alia de Festo* adduntur sequentia verba: *Aut saltem,* si quis velit omittere Missam votivam de Festo, et solam cantare de die, tunc in hac de die Missa, *Commemoratio fieri potest de Festo, si de eo non debeat celebrari Officium illa die...* Sed eadem fuere sub Urbano VIII expuncta...« Jans. *h. t. n. 12.*

(3) *Quod transferri debet.* Haec verba supponere videntur praedictum privilegium non extendi ad Festum simplex; hoc siquidem non transfertur, juxta Rub. Brev. *tit. X, 8.* At presse non sunt accipienda illa verba; tum quia eadem militat ratio[1] id est concursus populi, sive de Semiduplici, sive de Simplici agatur; tum quia Rubrica per ea verba aliud non videtur designare quam Festum impeditum; illis autem usa est verbis, quia communiter Festum impeditum transfertur. Confirmatur ex dec. 18 Jun. 1671, n. 2360, 2. Cf. pt. dec. n. 4034, 1. Attamen ubi agitur de Sancto, qui non est Titulus Ecclesiae, requiritur, ut sit descriptus in Calendario Romano. Et ratio est, quia soli Sancti Calendarii Romani habent, per se loquendo, jus ad Festum cum Officio et Missa. *Tom. I, p. 88 sq.* Quod tamen intelligendum est, secluso Indulto. Cf. dec. 12 Aug. 1854 *in Lucionen. ad 30.* Si praefata expositio vera sit, ad praxim deduci poterit die 4ª Decembris in locis, ubi habetur extraordinarius concursus propter Festum S. Barbarae.

In hac Dioecesi solet, Feria IV Quatuor Temporum Adventus, fieri concursus extraordinarius ad Missam de Beata Virgine, vulgo *Auream* (ita dictam, quia inquit Janssens *App. ad tit. IV, n. 16,* primitive, ob excellentiam Mysterii, fuit litteris aureis exarata). Quaeritur an hujusmodi concursus extraordinarius sufficiat ad Missam votivam cantandam ad formam hujus tituli?

R. Per se loquendo res videtur dubia: nam ex una parte, cum concursus non fiat ad celebrandum Festum translatum, non est proprie casus in hoc titulo comprehensus; ex alia tamen parte, eadem militare videtur ratio. Hoc autem intelligendum est per se loquendo; nam procul dubio licita erit hujusmodi Missa, si accedat Ordinarii indictio pro re gravi aut publica Ecclesiae causa. Cf. Janssens, *l. c.* Si occurrat infra Octavam Imm. Concept., Missa dicenda erit non votiva, sed de Octava, ut supra dictum est. Cs. dec. 5 Dec. 1851 *in Mechlinien. ad calcem Directorii Dioec. Torn. an. 1858.*

(4) *Possunt cantari duae Missae, una de die, alia de Festo.* Per haec verba indulgetur Missa de Festo impedito,

1) „Vide hoc loco, inquit Gavantus, solutiores leges Missae, quam Officii divini; quia populus concurrit ad audiendum potius Missam quam Vesperas et alias Horas, ideo conceditur posse fieri alteram Missam solemnem de Festo translato."

sed non declaratur an Missa de die sit cantanda in quacumque Ecclesia, vel tantum in Ecclesiis in quibus talis Missa est in praecepto aut cantari solet. Juxta dec. 23 Aug. 1704, n. 3555, 3, non est de praecepto cantanda in „Ecclesiis ubi quotidie non cantatur Missa.“ Et juxta dec. 22 Jul. 1848, n. 4976, 2, quod hic applicari potest, obligantur tantum Ecclesiae Cathedrales et Collegiatae.

Alia de Festo. Haec verba unicam permittunt Missam de Festo; ac proinde caeterae debent esse conformes Officio.

(5) *Excepta Dominica I Adventus, etc.* Quae exceptio addita fuit in correctione Urbani VIII. „Excepti dies in Rubrica nova sub Urbano VIII, inquit Gavantus, apertam habent causam et rationabilem, ut populus attentior fiat ad mysteria eorumdem dierum.“ A quibus mysteriis, ait Vinitor, ne minimum quidem est alio distrahendus. Diebus hic exceptis adnumerandae videntur cum Deherdt Dominicae ad quas transfertur Solemnitas Epiphaniae aut Corporis Christi (cf. dec. n. 4597, 14). De Dominica, ad quam transfertur Solemnitas SS. Apost. Petri et Pauli, nihil habetur definitum. Forte argumentum deduci potest ex dec. n. 4839, III, 3.

Cum Dominicae Passionis, in Albis, et SS. Trinitatis non excipiantur, ideo de Festo Patroni loci, illis diebus occurrente, celebrari poterit Missa solemnis, quae per hanc Rubricam conceditur, ratione concursus tam in locis ubi est suppressa feriatio hujus Festi, quam alibi; et idem dicendum si Festum Patroni occurrat in Dominica cum Festo Dedicationis Ecclesiae, v. g. apud nos, in Ecclesiis in honorem S. Martini dicatis. Cs. dec. 21 Jul. 1855, quod fertur datum in una *Suessionen.* Et ratio est, quia per Indultum reductionis Festorum consuetus ordo divinorum Officiorum non fuit immutatus, ac proinde praefata Rubrica est applicanda, sicuti ante reductionem Festorum, quando Festum Patroni occurrit in Dominica. Cf. *tit. 4, §. 1, n. III.* De Dominicis I Adventus et I Quadragesimae, dicitur infra.

De modo celebrandi hujusmodi votivam, haec pauca hic veniunt notanda. Dicitur *Gloria;* imo et *Credo,* si debeatur Festo quod transfertur, aut ratione Dominicae. Quoad Commemorationes et ultimum Evangelium, distinguendum est: si altera Missa cantetur de die, tunc in Missa de Festo omittuntur Commemorationes, et dicitur Evangelium S. Jo-

annis in fine; si vero cantetur sola Votiva, vide *tit. IX, 14* et *tit. XIII, 2.*

II. *De Missa Solemnitatis translatae*. Haec Missa, de qua supra *tit. 4, §. 1, n. III*, valde affinis est Missae quae hic permittitur de Festo impedito: in utroque enim casu celebratur Missa de Festo, cujus non recitatur Officium, et quidem ad recolendam Solemnitatem ipsius Festi in populo. Propter hujusmodi paritatem hic loci dicendum est, quando impediatur, et quomodo celebranda sit Missa Solemnitatis Epiphaniae, Corporis Christi, SS. Petri et Pauli, et S. Patroni.

1. *Quando impediatur.* 1° Quando Festum occurrit in Dominica, quae non impeditur Festo digniori, nec excipitur in hoc titulo, tunc celebranda est Solemnitas ipsa die Festi. Vid. dicta *tit. 4, §. 1*, et hic *pag. praec.*

2° Quando occurrit in Dominicis aut Festis supra exceptis, tunc Missa Solemnitatis non potest celebrari, et transferenda est ad Dominicam proxime sequentem liberam. Attamen si agatur de Dom. I Adv. et I Quadrag., Missa Solemnitatis potest ad libitum transferri ad aliam Dom. vel suppleri ipsa die per solam Commemorationem de Festo sub unica conclusione; secus in aliis Dominicis exceptis. Dec. 12 Sept. 1840, n. 4763, IV, 1 et 2. Cf. pt. dec. subsequens 7 Dec. 1844, III, 1, 2 et 3. Dispositio hujus decreti, quoad Dominicas I Adv. et I Quadrag. eadem est ac quae ab Urbano VIII fuit e Missalibus expuncta, uti notatur cum Jans. hic *pag. 100;* unde videtur peculiare indultum ad hanc Missam limitandum, et non extendendum ad Missam de Titulo aut de Festo celebratam ratione concursus.

Quaeritur quaenam sint Dominicae impeditae pro Solemnitate translata?

R. 1° Dominicae, quae juxta hunc titulum excludunt Solemnitatem Festi occurrentis: Solemnitas enim non est magis privilegiata in die ad quam transfertur, quam in die in qua Festum ipsum occurrit. Constat de Dominicis Palmarum, Paschatis et Pentecostes, ex dec. 12 Sept. 1840 ad IV, 2.

In Dominicis I Adventus et I Quadrag. non potest cantari Missa Solemnitatis, sed potest vel ulterius transferri vel suppleri per Orationem sub unica conclusione, ex dec. cit. ad IV, 1. De aliis Dominicis I Classis, nimirum Passionis, *in Albis* et SS. Trinitatis, nulla cognoscitur decla-

ratio; sed cum in hoc titulo non excipiantur, ideo videntur liberae pro celebranda solemnitate translata.

2° Impedita est Dominica ad quam alia reponenda est Solemnitas dignior aut in qua celebratur Festum dignius Dup. I Cl. In casu enim alterutra Solemnitas ulterius transfertur, et, regulariter, quae est minus digna: eadem enim die non celebratur duplex Solemnitas. Dec. 23 Mai. 1835, n. 4597, 14, q. 10, *in Namurcen.* Casus accidit in locis quorum S. Joannes Bapt. est Patronus, quando ejus Festum occurrit Feria II: in casu Solemnitas ejus praefertur Solemnitati SS. Apost. Petri et Pauli. Dec. 7 Dec. 1844, *in Mechlin. III, 4.* Notandum est hic agi de sola Solemnitate, scilicet de Solemnitate translata.

Additum est *regulariter;* quia die 2 Jul. in Ecclesiis quarum titulus est Visitatio, hujus Solemnitas transfertur, et celebratur illa SS. Apost. Petri et Pauli. Dec. 7 Dec. 1844, n. 4839, III, 2, *in Mechlinien.* Ratio praeferentiae in casu videtur esse quia Visitatio nec habet per se ritum Dup. I Cl., nec est de praecepto in foro et hac ratione supponitur minus celebris in populo quam Festum SS. Apost. Petri et Pauli. Cf. pt. etiam dec. datum de Festo S. Rumoldi pro Archidioec. *Mechlin.* 12 Sept. 1840, n. 4763, V.

2. *Quomodo celebranda.* 1° Quando Festum celebratur in Dominica, tunc Missa erit de Festo, juxta ordinem Officii; 2° quando Festum occurrit in Dominica quae permittit unicam Missam de Festo transferendo, tunc celebratur, ut supra dictum est; 3° quando Dominica proxime sequens est I Adventus aut I Quadragesimae, in eis celebrari non potest Missa Solemnitatis, sed tantum suppleri potest per Commemorationem sub unica conclusione; 4° tandem quando Solemnitas tranfertur ad Dominicam sequentem, Missa Solemnitatis celebratur de Festo cum *Gloria* et *Credo*, cum unica oratione et ultimo Ev. S. Joannis si altera Missa cantetur de die; sed si non cantetur Missa de die (dec. *in Lucionen. cit. ad* 5), tunc in Missa Solemnitatis fiunt Commemorationes Dominicae et Festi occurrentis (dec. 22 Jul. 1848, cit.), illae scilicet fiunt tantum Commemorationes quas non respuit Festum solemne, et in fine dicitur Evangelium Dominicae, juxta dec. 12 Aug. 1854, ad 7, *in Lucionen.*

TITULUS VII.

DE COMMEMORATIONIBUS.

Rub. 1. Regula generalis est, ut in Missa, juxta ordinem Officii celebrata, eaedem fiant Commemorationes ac in Officio. Excipitur Commemoratio simplicis occurrentis cum Festo dup. II Cl.; tunc enim omittenda est in Missa conventuali et in quacumque cantata. Excipitur etiam Dom. Palmarum et Vig. Pentec. — *Rub. 2.* Aliae exceptiones. — *Rub. 3.* Secunda Oratio Missae votivae. — *Rub. 4.* In 4 Temp. sumitur Or. post *Kyrie* posita. — *Rub. 5.* Ordo inter Commemorationes ut in Breviario — inter Orationes communes et votivas — inter plures votivas. — *Rub. 6.* Oratio pro Defunctis ponitur ultimo loco inter Orationes ejusdem ordinis. — *Rub. 7.* Conclusiones — *Dominus vobiscum* — *Oremus.* — *Rub. 8.* Oratio mutatur, sed non omittitur propter identitatem cum alia.

Commemorationes Officii dividuntur in speciales et communes *(tom. I, p. 196 et 344)*, quae etiam nuncupantur Suffragia Sanctorum. Hisce Officii Commemorationibus correspondent Orationes Missae, quarum aliae nuncupantur Commemorationes, aliae Orationes (aut collectae), quae vocari possunt communes, quatenus dicitur 2° et 3° loco in omni Missa ejusdem ritus; priores correspondent Commemorationibus specialibus Officii, posteriores vero Commemorationibus communibus. Commemorationes communes Missae seu Orationes referuntur *tit. IX de Orationibus:* sunt autem Orationes *de Spiritu S.. de B. V., A cunctis, Ecclesiae vel pro Papa, et Ad libitum.* Omnes quidem praefatae Orationes sunt suffragia, sed non omnes sunt suffragia Sanctorum; una tamen, *A cunctis,* et quae fere semper dicitur, est verum suffragium Sanctorum, regulariter correspondens suffragiis Sanctorum factis in Officio: in ea siquidem nominatim invocantur B. M. V. SS. Apostoli Petrus et Paulus, et Titularis Ecclesiae.

Praeter Commemorationes speciales et communes, aliquando in Missa aliae dicuntur Orationes, quae saepius vocantur Collectae, et quandoque Votivae *(tit. VII, 5)*, quia non pertinent ad Officium, sed extra illud dicuntur vel ex mandato Rubricae aut Superioris, vel ex devotione Celebrantis. Tales sunt sequentes: *a)* Oratio de SS. Sacramento publice exposito, Oratio in Anniversario Electionis S. Pontificis aut Episcopi, *b)* Oratio imperata a Superiore, v. g. pro publica Ecclesiae causa, et *c)* Orationes quas

Celebrans quandoque addere potest ad arbitrium. De Commemorationibus communibus et de Collectis, agitur titulo IX; hic quaestio est tantum de Commemorationibus specialibus: nam uti notatum est, *tom. I, tit. IX*, communiter Commemoratio specialis intelligitur quando simpliciter adhibetur, ut hic vox *Commemoratio*. Ad vitandam confusionem, terminos adhibemus eodem sensu, quo usurpantur in hoc *tit.* et *tit. IX* videlicet voce *Commemoratio*, intelligere solemus Commemorationem specialem; voce autem, *Oratio* aut *Collecta*, Orationem communem aut Votivam. Advertendum tamen est nomine Collectae quandoque venire quamcumque Orationem, quae dicitur initio Missae; et Commemorationem specialem aliquando etiam designari nomine Orationis ut v. g. *tit. IX, 4, 9 etc.* Ex contextu igitur praesertim eruendum est quis sit peculiaris sensus illius vocis.

Rub. 1. Commemorationes in Missis (1) fiunt sicut in Officio. De Festo simplici fit Commemoratio in Missa, quando de eo in Officio facta est Commemoratio in primis Vesperis (2). Quando autem de eo fit Commemoratio tantum ad Laudes (3), in Missa solemni non fit Commemoratio de eo, sed in Missis tantum privatis. Excipitur Dominica Palmarum, et Vigilia Pentecostes (4), in quibus nulla fit Commemoratio, etiam in Missis privatis, de Festo simplici occurrente, licet facta sit in Officio. De Dominica fit Commemoratio, quando in ea agitur de Festo duplici. De Octava fit Commemoratio, quando infra Octavam celebratur aliquod Festum, nisi illud Festum fuerit de exceptuatis (5) in Rubrica Breviarii de Commemorationibus. Item quando infra Octavam fit de Dominica.

(1) *Commemorationes* speciales *in Missis fiunt sicut in Officio*, scilicet eaedem. Qua posita generali regula, Rubrica adnotat exceptiones, et regulam ad casus particulares applicat. Deinde *Rub. 5* traditur ordo servandus in eis faciendis.

(2) *Quando de eo facta est Commemoratio in I Vesperis;* id est, quando Festum, quocum occurrit simplex, admittit Commemorationem simplicis in I Vesp., quamvis forte haec de facto omissa fuerit propter praecedens Dup. I Cl. Cf. *tom. I, tit. IX, 4 sqq.*

(3) *Quando de eo fit Commemoratio tantum ad Laudes,* puta in Dup. II Cl., tunc omittitur ad Missam solemnem, sub qua hic comprehenditur, vel (si mavis) cui assimilatur

quaecumque cantata, dec. 8 Apr. 1808, n. 4357, 4; imo Conventualis lecta tantum, dec. 14 Feb. 1706, n. 3571, et 27 Mart. 1779, n. 4244, 18. De cantata cf. pt. dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 10. Unde nomine *Missae privatae* hic venit tantum Missa lecta quae non est Conventualis. Advertendum est hic per Conventualem non intelligi tantum illam quae est de praecepto in Cathedralibus et Collegiatis, sed insuper illam quae in aliis Ecclesiis choralibus celebratur, puta in Ecclesiis Regularium aut Monialium ubi Officium recitatur in choro.

Vi praesentis Rubricae, in Festo Visitationis B. M. V., hodiedum Dup. II Cl., Commemoratio SS. Processi et Martiniani facienda est tantum in Missis privatis. Et aliunde non obstante hac eadem Rubrica, facienda est Commemoratio S. Anastasiae in 2ª Missa Natalis Domini, quamvis solemniter celebretur: hujusmodi enim Commemoratio non fit juxta generales Rubricas, sed vi peculiaris ordinationis, ideo quod Romae haec secunda Missa soleat celebrari a Summo Pontifice in Ecclesia S. Anastasiae.

(4) *Excipitur Dominica Palmarum et Vigilia Pentecostes*. „Discordant hae duae Missae ab Officio, ut abunde patet in lectione Passionis pro Evangelio, ratione cujus Passionis, de Sanctis non est facienda mentio, et licet Feria III et IV fiat in Missa Commemoratio de Simplici occurrenti, Officium tamen earum Feriarum non est tam solemne, quam Dominicae Palmarum: unica autem Oratio Solemnitatem significat majorem. Item Vigilia Pentecostes discordat ab Officio in Collecta et colore paramentorum. Praeterea hae duae Missae pendent ex Benedictionibus solemnibus Palmarum, et Fontis baptismalis, ut imitari debeant Solemnitates majores, unde numquam omittuntur, cedentibus omnibus aliis Festis, etiam I Classis.“ Gav. *h. l.*

(5) *Nisi illud Festum fuerit de exceptuatis*, scilicet Dup. I vel II Cl. Quae exceptio limitatur ad Octavas communes: Octavae enim Nativitatis Domini, Epiphaniae et Corporis Christi semper habent Commemorationem in Officio *(tom. I, tit. VII, 3)* et in Missa.

Rub. 2. De Feria fit Commemoratio in Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, Rogationibus, et Vigiliis, quando Missa dicenda est de Festo illis temporibus occurrente. Sed in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, ubi plures Sacerdotes quotidie celebrant (¹), in Feriis, Roga-

tionibus [2], et Vigiliis praedictis, quae habent Missas proprias, dicuntur duae Missae, una de Festo, alia de Feria, Rogationibus, et Vigilia, absque ulla utrorumque Commemoratione [3]; in Festis tamen majoribus I Classis nihil fit de Vigilia occurrente, ut dictum est supra.

(1) *In Feriis etc.*, quae habent Missas proprias. Unde non comprehenduntur Feriae Adventus, nisi resumenda sit Missa Dominicae praecedentis *(tit. III, 1,* et *IV, 3).* Missa Vigiliae, quamvis sumatur de Communi, nihilominus dicitur propria Vigiliae, cui assignatur; et ideo, inquit Gavantus, *h. l.*, non omittenda. Gavantus explicat quare in Feriis, non autem in Dominicis praecipiatur altera Missa Conventualis, occurrente Festo duplici.

(2) *Rogationibus.* Hic intelliguntur II, III et IV Fer. Rogationum; nam, inquit Janssens, *h. l. n. 20*, sic illa vox in Rubricis semper et ubique accipitur, nisi expresse restringatur ad solam Feriam II. Cf. Rub. pecul. „Feria autem IV Rogationum, ait Janssens, *n. 22*, dicuntur tres Missae Conventuales. Prima post Tertiam de Festo, in qua fit Commemoratio de Octava et Simplici si occurrat; secunda de Vigilia post sextam in colore albo et cum *Gloria;* et tertia Missa de Rogationibus ad Processionem post Nonam." Cf. *ibid. n. 22.*

(3) *Absque ulla utrorumque Commemoratione;* nimirum omittitur Commemoratio Feriae in Missa de Festo et vicissim. Aliae autem Commemorationes, si occurrant, non sunt praetermittendae, sed agendae in una alterave Missa Conventuali: Commemoratio de Octava aut Simplice fit in Missa de Festo, ut supra; de Feria, puta Adventus, fit in Missa de Vigilia. Cf. Gav. Janssens, *h. l.*, et Rub. pecul. ant. 28 Jun. positam.

Rub. 3. Quando infra Hebdomadam dicuntur Missae votivae, post primam Orationem semper dicatur Oratio ejus, de quo fit Officium, ut supra explicatum est in propria Rubrica.

1. *Semper.* Juxta Janssens, *n. 26*, excipiendus est casus quo celebretur Votiva de solo S. Petro, v. g. de ejus Cathedra, vel de solo S. Paulo, v. g. de ejus Conversione; tunc enim 2ª Oratio erit de alterutro Apostolo. Vid. dicta *tom. I, tit. IX, 11.*

Rub. 4. Quando fit Commemoratio de Feria Quatuor

Temporum, pro Feriae Commemoratione [1] dicitur prima Oratio, quae concordat cum Officio.

(1) *Dicitur prima Oratio*, quae, inquit Janss. *n. 28*, immediate post *Kyrie eleison* ponitur; non vero ultima quae habetur post *Dominus vobiscum*. Illa enim est quae cum Officio concordat.

Rub. 5. In faciendis Commemorationibus servetur ordo, ut in Breviario [1]: de Dominica [2], ante diem infra Octavam: de die infra Octavam, ante Ferias praedictas: de Feriis praedictis [3], ante Festum simplex: de Festo simplici [4], ante Orationes, quae secundo vel tertio loco dicendae assignantur, et hae dicantur ante Orationes votivas; in quibus Votivis [5] servetur deinde dignitas Orationum, ut de sanctissima Trinitate, de Spiritu sancto, de sancto Sacramento, de sancta Cruce ante Votivam de B. Maria, et de Angelis, et de S. Joanne Baptista ante Apostolos, et similiter in aliis [6].

(1) *Servetur ordo, ut in Breviario.* Quae similitudo in duobus consistit, scilicet: sicuti in Officio: ita in Missa 1° Commemorationes speciales fiunt ante communes, et 2° inter speciales idem servatur ordo. De hoc ordine, cf. dicta *tom. I, tit. IX, 11.* Ibi traditur ordo servandus, quando Commemoratio fit quasi per modum unius, aut de Simplice per accidens.

(2) *De Dominica ante diem infra Octavam.* Hoc intelligitur de Officio Dominicae in sua die, non autem de Officio Dominicae anticipatae: in hoc enim casu, uti arguit Janssens, *n. 31,* Officium et Missa (vel Commemoratio) de Dominica fiunt tantum *mere ferialiter.*

(3) *De Feriis praedictis ante Festum simplex.* Quid si eadem die agenda sit Commemoratio de Feria Adventus, de Vigilia S. Andreae et de Simplice?

R. Videtur agenda Commemoratio 1° Feriae, 2° Vigiliae et 3° Simplicis. „Etenim, inquit Janssens, *n. 43,* Feria simpliciter est dignior Vigilia; nam in occurrentia utriusque (si non occurrat Festum IX Lectionum) Officium fit de Feria.“ Objectioni autem exinde petitae, quod in Adventu Missa Vigiliae praefertur Missae de Feria, satisfit, *pag. 43.* Vid. *tom. I, p. 218, verb. dictum fuit.* Cs. Deherdt, *h. l. II.* Propter parem praeferentiam quae in Officio tribuitur Vigiliae relate ad Simplicem, Commemoratio Vigiliae juxta Janssens agenda est ante Simplicem, ita ut sub

Feriis hic comprehendantur Vigiliae. Attamen non omnes consentiunt, ut dicit Janssens, *n. 24.*

(4) *De Festo simplici ante Orationes,* quas supra nuncupavimus communes. Quae, cum sint communes, in Missa, sicuti in Officio, dicuntur post speciales, sed cum pertineant ad Missam, ponuntur ante Orationes votivas, seu Collectas. Hic non comprehenduntur Votivae, quae aliquando dicuntur cum Oratione Missae sub unica conclusione.

(5) *In Votivis servetur dignitas Orationum.* Hic applicatur regula data in Rub. Br. *tit. XI,* 2.

(6) *Et similiter in aliis:* id est, in Orationibus votivis, hic non enumeratis, similiter servandus est ordo dignitatis. Quod ad Orationes diversas attinet, convenienter servabitur ordo juxta quem ponuntur in fine Missalis.

Rub. 6. Si facienda sit Commemoratio pro Defunctis, semper ponitur penultimo loco (¹). In Missis autem Defunctorum nulla (²) fit Commemoratio pro Vivis, etiamsi Oratio esset communis pro Vivis, et Defunctis.

(1) *Si facienda sit .... semper ponitur penultimo loco.*

1º Rubrica praecedenti traditur ordo servandus inter Commemorationes speciales, inter Orationes communes et votivas; hic assignatur locus Commemorationi quae quandoque agenda est generaliter pro Defunctis, juxta *tit. V, 1 et 2.* Haec verba, *penultimo loco,* referuntur ad alias Commemorationes, quae forte occurrant, non autem ad Orationes communes aut Collectas. Etenim cum hic agatur de Commemoratione speciali, vi Rubricarum facienda, ea ex Rubrica praecedenti ponenda est ante Orationes communes, et a fortiori ante Votivas. Cf. pt. dec. 23 Mai. 1835, n. 4597, I, 4. Quaestio igitur tantum esse potest de loco quo ponenda sit inter Commemorationes ejusdem generis, scilicet speciales; et circa hoc ponenda erat peculiaris regula, quia praecedens Rubrica pro regula indicat ordinem qui fuit servatus in Officio: quae regula applicari nequit Commemorationi pro Defunctis. Si vero aliae non adsint, Commemorationes, tunc ex Rub. praec. ponenda erit 2º loco, scilicet ante Orationem communem et Votivas si adsint. Itaque praesens Rubrica explicat seu complet praecedentem, sed non ponit aliquam exceptionem pro Oratione Defunctorum.

2º Si autem Oratio pro Defunctis dicatur non ex prae-

scripto Rubricarum, sed arbitrio celebrantis ad normam *tit. IX, 12* et juxta dec. 2 Dec. 1684, n. 2924, 6, tunc, cum sit Votiva, ponenda erit, ex praec. Rub., post Orationes communes, et quidem *penultimo loco* inter Votivas seu Collectas, quia sicuti inter Commemorationes, ita inter Orationes votivas, penultimus locus congruit Orationi pro Defunctis. Cs. dec. cit. 23 Mai. 1835. Quando autem non dicitur altera Votiva, tunc ponitur loco ultimo, juxta Rub. praeced.

Objicitur auctoritas Cavalerii et aliorum, qui modo absoluto interpretantur haec verba, *semper ponitur penultimo loco,* docentes „Defunctorum Collectis (sunt verba Cavalerii, *tom. 3, dec. 73, n. 7*) penultimum deberi locum nedum relate ad Orationes a Rubricis praescriptas, sed etiam ad eas, quae de Superiorum mandato dicendae forent, aut ex celebrantis placito vel devotione adderentur.“ Cs. Janssens, *h. l. n. 54,* et dicunt suffragari admodum dictionem *semper.*

R. 1° Quamvis multo faciam auctoritatem horum virorum, hic tamen non invenio quo pacto sustineri possit eorum sententia, utpote nixa falsa hypothesi. Supponunt enim in hac Rubrica 6ª generatim assignari locum Orationi pro Defunctis quocumque casu dicatur, ac proinde poni exceptionem regulae, in Rubrica praec. datae de Commemorationibus specialibus dicendis ante Orationes communes. 2° Constat e contra tum ex contextu, tum ex materia subjecta, tum ex decreto 23 Mai. 1835, in hac Rubrica compleri et explicari praecedentem et tantummodo assignari locum, qui, inter Commemorationes speciales, tribuendus sit *Commemorationi* pro Defunctis: hic enim aliud significat vox *Commemoratio,* aliud vox *Oratio,* uti ex sola Rub. 5ª praec. palam fit. 3° Quo posito, sensus adverbii *semper,* hic est: Commemoratio facienda pro Defunctis *semper* penultimum tenet locum inter *Commemorationes.* Sic autem acceptum illud adverbium, allegari nullatenus potest favore sententiae Cavalerii.

Juxta Cavalieri, *l. c. n. 11,* occurrere potest casus quo Oratio pro Defunctis ponenda sit ante Orationem ipsius Officii. Sed „unicus casus, in quo id evenire queat, est, inquit, quoties Missa votiva diceretur in die, in quo occurrit Commemoratio Defunctorum facienda juxta Rubricas in prima die mensis non impedita, aut in Feriis secundis;

tunc enim, si nullus Sanctus simplex occurrat, optime secunda Oratio potest esse *Fidelium,* et tertia de eo, de quo fit Officium.“ Ad quod, notandum est Commemorationem pro Defunctis, non esse de praecepto in Missis privatis, ut dictum est, *tit. V,* ac proinde ex supra dictis non posse, in Votivis privatis, poni ante Orationem Officii, sed tantum inter Orationes votivas; secus autem videtur dicendum, si Missa votiva sit principalis, ut v. g. in Cathedralibus et Collegiatis.

Quaeritur ob quam rationem penultimus locus assignetur Commemorationi aut Orationi pro Defunctis?

R. Non eaedem ab omnibus afferuntur rationes. Ita fit, juxta Quarti, ad denotandum statum animarum Purgatorii non esse ultimum sed penultimum respectu viventium, id est, supra peccatores et infra omnes justos propter statum poenarum et carceris. Cf. Cav. *l. c. dec. 73, n. 5* et *seq.*, ubi haec addit. „Suarez, *part. 3, tom. 4, disput. 45, sect. 2,* in eo mysticas rationes alias agnoscit. Primo ut hinc designetur locum Purgatorii non esse ultimum, et in centro terrae, ubi est infernus, sed immediate supra infernum, et consequenter esse penultimum; 2° ut significetur Purgatorii poenas non esse extremas et ultimas, quibus cruciantur damnati, ob adnexam desperationem et aeternitatem, sed proximas ultimis et extremis, ob vehementes cruciatus adeoque veluti penultimas. Addi potest alia, nimirum quia eaedem animae sunt in statu proximo ad suprema Coeli gaudia, a quorum assecutione ad breve tempus retardantur per leves quasdam maculas.“

(2) *Nulla fit Commemoratio pro Vivis.* Quamvis expresse nominetur tantum Commemoratio, intelligenda tamen est quaecumque Oratio pro Vivis, v. g. imperata pro aliqua necessitate: eadem enim est utriusque ratio. „Plane aequum est, inquit Gav. *h. l.*, Defunctis suffragia dari in Missis Vivorum, et in Missis Defunctorum solis Defunctis operam dare, exclusis Vivis in Collectis, quibus omni tempore, et in primo *Memento* secrete, satis superque est provisum, etiam in Missa de Defunctis. Significatur etiam non posse Defunctos in Purgatorio juvare Viventes. Durandus, *lib. 4, cap. 5,* cujus sententia est probabilior...“ Circa ultimam rationem, notandum est, argumenta non spernenda afferri a Cav. *tom. 3, cap. 10, n. 20 sq.*, ad propugnandam intercessionem Animarum purgantium.

Rub. 7. Quando dicuntur plures Orationes, prima tantum [1], et ultima cum sua conclusione terminantur: et ante primam et secundam Orationem tantum dicitur *Oremus* [2]: ante primam dicitur etiam *Dominus vobiscum.*

(1) *Prima tantum et ultima.* „Et prima quidem terminatur, quia est propria Missae; ultima vero, quia comprehendit alias et quasi eas colligit... Quandoque prima et secunda Oratio sub una conclusione dicuntur, ut unica videatur Oratio in *Missa celebrari;* quod praesertim jubetur fieri in Collatione Ordinum, Consecratione Episcoporum..." Gav. *h. l.* Cf. Janssens, *h. l. n. 57.*

(2) *Oremus* dicitur ante Orationem ad invitandum alios ad orandum. De origine et sensu salutationis, *Dominus vobiscum,* agitur *tom. I, pag. 334 sq.* Cf. Merati, *h. l.* Episcopus ante Collectam dicit *Pax vobis. Tit. V, 1 rit. celeb. Miss.*

Rub. 8. Cum vero dicuntur plures Orationes, et una Oratio eadem [1] sit cum alia ibidem dicenda, Oratio hujusmodi [2], illa scilicet, quae eadem est, non aliae, commutetur cum alia de Communi vel Proprio [3] quae sit diversa. Idem servetur in Secretis, et Orationibus post Communionem.

(1) *Eadem.* Quandonam aliqua Oratio habenda sit eadem cum alia, inquisitum est *tom. I, pag. 214 sq.* Hic tamen aliqua differentia seu exceptio admittenda est, quando Missa SS. Cordis Jesu celebratur ad Altare in quo publice est expositum SS. Sacramentum; de hoc enim, in casu, potest dici Oratio ad modum Collectae. Dec. 22 Mai. 1841, n. 4774, 2.

(2) *Oratio hujusmodi, illa scilicet quae eadem est* cum praecedente. Rub. Brev. *tit. IX, 8.* Cs. dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 31. Unde quando a Superiore imperatur aliqua Oratio, quae tunc temporis occurrit dicenda 2° vel 3° loco v. g. Ecclesiae, non potest alterutra omitti, sed mutanda est. Vid. dicenda de Oratione imperata, *tit. IX, Rub. 2, n. 2 et in append.*

(3) *Commutetur cum alia de Communi vel Proprio.* Si, ut tradit Deherdt, *h. l. n. 24.* 5°, in Communi una tantum Oratio habeatur, ut pro Doctoribus, Abbatibus, Virginibus et non Virginibus, adhiberi potest pro Doctoribus et Abbatibus alia de communi Conf., et, pro Virginibus et non Virginibus sive Martyribus, *Indulgentiam* ex Missa *Me exspectaverunt;* item *Exaudi* ex Missa *Vultum tuum* de

communi Virg. tantum; similiter Secreta et Postcommunio, exprimendo tamen vel tacendo *Virginem* aut *Martyrem*, prout convenit vel non. Cf. S. R. C. 12 Sept. 1840, n. 4762, 1. Si casus occurrat in Dominica aut in Feria, sumatur Oratio alterius Dominicae vel Feriae. Si agatur de Orationibus diversis, sumatur alia quae magis congruit fini; sic v. g. loco Orationis *Deus refugium*, sumi poterit *Ne despicias*. Hujusmodi identitas occurrit in Secreta Septuagesimae, quando haec accidit ante Purificationem, vel in ipsa die Purificationis; item in Secreta S. Canuti, 19 Jan., et Secreta de Beata, pro illo tempore.

TITULUS VIII.

DE INTROITU, KYRIE ELEISON ET GLORIA IN EXCELSIS.

„Jam aggredimur, ait Gavantus, *h. l.*, partes integrantes Missae, quae in primordiis Ecclesiae, ordinante Petro et Apostolis, duae tantum fuerunt, scilicet, Consecratio cum verbis propriis, et Oratio Dominica. Gregorius Papa *in Epistola ad Joannem, Episcopum Syracusanum.* Cujus Missae quasi vestigium remanet in Parasceve, in qua tamen non fit consecratio. Idem Petrus Antiochiae addidit tres Orationes *(Innoc. III in Prol. ad lib. Myst. Missae)*: Collectam, Secretam et Postcommunionem, ex Lindano *ad Liturgiam S. Petri.* Crescente vero cultu Christianae Religionis adjecta sunt alia, quae visa sunt decentius convenire, quandoque alia dempta, alia mutata in melius. Lindanus autem *in Apologia* pro liturgia S. Petri Graeca, quae valde similis est Gregorianae, contendit probare a S. Petro fuisse praescriptam totam Missam latinam, paucis exceptis; et successores ejusdem vel firmasse aliqua Decretis, vel restituisse neglecta, quod et nos cum Baronio supra affirmavimus: ab initio autem non erat tutum moram longam trahere in Sacrificio, ex Simone Graeco *apud Lindanum ibidem.*“ Hic iterum apparet quam sapienter Ecclesia ordinaverit ea quae ad Liturgiam spectant. Initio et primis saeculis quaedam varietas in accidentalibus permissa est, pro variis circumstantiis (cf. *tom. I, p. 82, 3⁰)*; deinde cum satis tributum fuisset varietati, et periculum esset ne ex facultate Episcopis relicta variandi ritus et caeremonias, aliquid detrimenti caperet vel decor in cultu, vel unitas fidei, quam exprimit Liturgia, constituta est uniformis

Liturgia pro universa Ecclesia Romana, et ablata est ab Ordinis locorum facultas legislativa in Liturgia etc., atque provisum est ne iterum irreperet ablata et prohibita varietas, ut dictum est *tom. I,* et *supra sect. I.*

Rub. 1. Introitus semper eodem modo dicitur, cum *Gloria Patri*, ut in Ordinario, praeterquam tempore Passionis, et in Missis Defunctorum, ut etiam ibi annotatum est.

„*Introitus* dicitur, ait Bened. XIV. *sect. 1, de Sacrif. Miss. n. 99,* seu quod Missae principium est, seu quia a Choro cantabatur, cum Sacerdos ad Altare accederet. „Deinde tradit ut verisimilius, Auctorem Introitus fuisse S. Gregorium, qui Antiphonarium composuit, selectis e Psalmorum libro Antiphonis, aliis quidem ad Introitum, aliis ad Responsorium, aliis etiam ad Offertorium. Introitus autem fere omnes deprompti sunt ex Psalmis versionis Italicae; pauci aliunde desumuntur, ut v. g. *Puer natus est,* et plerumque e s. Scriptura; paucissimi vero, ait Janssens, *h. l. n. 2,* extra s. Scripturam Canonicam: sic Feria III post Pentecosten, Introitus est ex *libro IV Esdrae, cap. 2.* Cf. Bened. XIV, *l. c. n. 100,* et Bull. Clem. VIII.

Gloria Patri. Haec doxologia antiquior est Concilio Nicaeno et inde ab Apostolis fuit in usu apud Fideles. Cf. Bened. XIV, *de Festis n. 526 seq.*, et *de Sacrif. Miss. s. 1, n. 87.*

Praeterquam tempore Passionis. „Nam tunc omittitur laus Trinitatis, *Gloria Patri etc.*, tum quia Introitus sunt de Passione Christi, tum quia propter humiliationem Capitis nostri proximam, omittenda est glorificatio ss. Trinitatis, in qua Filius Dei est idem cum aliis Personis divinis." Gav. *h. l.* Cf. dicta *tom. I, p. 310 et 390.* — *Et in Missis Defunctorum.* „Indicia laetitiae omittuntur in his Missis ad imitationem Officiorum quae aguntur in Morte Domini." *Alcuin. Ap. Gav.*

Rub. 2. *Kyrie eleison* dicitur novies post Introitum alternatim cum Ministro, id est, ter *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, ter *Kyrie eleison.*

Kyrie eleison. „Haec precatio adhibetur in Liturgiis S. Jacobi Apostoli et veterum Graecorum Patrum... In Missa latina, verba graeca adhibentur *Kyrie eleison,* atque etiam quaedam Hebraica, *Amen, Alleluia, Sabaoth,* et *Hosanna;* ut eadem significetur esse Ecclesia, primum ex Hebraeis et Graecis, ac deinde e Latinis conflata." Bened. XIV,

sect. 1, n. 102. Vid. dicta, *tom. I, p. 335 de Amen* et *p. 403 de Alleluia.*

„*Post introitum* alternis a Sacerdote et Ministro ter dicitur, *Kyrie eleison*, ter *Christe eleison*, et rursus ter *Kyrie eleison.* S. Thomas in part. 3, quaest. 83, art. 4. *Misericordia*, inquit, *petitur dicendo Kyrie eleison, ter quidem pro persona Patris, ter autem pro persona Filii, cum dicitur Christe eleison, et ter pro persona Spiritus sancti, cum subditur Kyrie eleison, contra triplicem miseriam ignorantiae, culpae, et poenae; vel ad significandum, quod omnes Personae sunt in se invicem.* Olim non erat praefinitum, quoties dicendum esset *Kyrie eleison;* et in iis Missis omittebatur, quae post Litanias celebrarentur, in quibus id jam antea dictum fuerat." Bened. XIV, *l. c.*

℟ub. 3. Gloria in excelsis [1] dicitur, quandocumque in Matutino dictus est Hymnus *Te Deum*, praeterquam in Missa Feriae quintae in Coena Domini, et Sabbati sancti, in quibus *Gloria in excelsis* dicitur, quamvis in Officio non sit dictum *Te Deum.*

Gloria in excelsis. Hic Hymnus dicitur Angelicus, quia ejus principium ortum habet ab Angelis, qui nato Domino, cecinerunt *Gloria in excelsis etc.;* reliquum vero Hymnum homines composuerunt. Bened. XIV, *l. c. n. 103.* Viri autem docti quaerunt quis Auctor reliqua addiderit. Quam quaestionem expendit Bened. XIV, *l. c. n. 104 sq.*, ubi agit etiam de antiquo et hodierno usu dicti Hymni.

Dicitur quandocumque etc. Hoc intelligendum est de Missa quae correspondet Officio. Unde statim adjicitur exceptio pro Missa Feriae V in Coena Dom. et Sabbato sancto: hae namque Missae non sunt conformes Officio, sed Votivae solemnes, quae (ut in Rub. seq. ordinatur) habent *Gloria.* Addi potest hunc laetitiae Hymnum apprime congruere illis Missis. Ratio autem, propter quam in Missa, quae corre-

1) „Quidam quaerunt, quo sensu accipienda sint illa verba, *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam;* eaque interpretatio videtur aptior, saepenumero in sacris paginis Dei gloriam idem significare ac ejus gratiam, et misericordiam: *Omnes enim peccaverunt, et egent gloria Dei;* verba sunt Apostoli *ad Rom. cap. 3:* ideoque nos gratias agentes Deo propter ejus gloriam, gratias illi agimus propter ejus misericordiam erga nos, quae illi vertit in gloriam. Vide Le Brun, *tom. 1, pag. 183.*" Bened. XIV, *l. c. n. 107.*

spondet Officio, Hymnus Angelicus est correlativus Hymno *Te Deum*, est quia uterque plenus est laetitiae.

Rub. 4. In Missis votivis non dicitur, etiam tempore Paschali, vel infra Octavas, nisi in Missa B. Mariae in Sabbato, et Angelorum: et nisi Missa votiva solemniter dicenda sit pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa, dummodo non dicatur Missa cum paramentis violaceis. Neque dicitur in Missis Defunctorum.

In Missis votivis generatim *non dicitur*, ut aliqua appareat differentia inter Commemorationem et Solemnitatem; ac proinde dicitur si qua adsit Solemnitas seu Celebritas, puta vel quia est Sabbatum peculiari modo dedicatum B. M. V., vel quia est dies natalis aut infra Octavam Sancti, vel quia solemniter celebratur pro re gravi aut publica Ecclesiae causa. Cf. Gav.; item dec. n. 4011, 8, de Votiva B. M. V. infra Octavam ejusdem, et dec. n. 2390, 2, quoad Votivam de Simplice in ipsa die Festivitatis, de quo tamen non recitatur Officium.

Nisi in Missa B. Mariae in Sabbato. Non requiritur ut illo Sabbato recitetur Officium B. M. V.

Et Angelorum. Quia primi cecinerunt *Gloria in excelsis, etc.* Et cum eadem ratio militet qualibet die, ideo privilegium non limitatur ad aliquam diem, ut pro Missis de B. M. V.

Solemniter. Quae Missa hic habenda sit solemnis dictum est *pag. 45.*

TITULUS IX.

DE ORATIONIBUS.

Varia acceptio vocis *Oratio.* — Missae ritus dup., id est, Missae de Officio dup. aut Votivae solemnes, *per se* unicam habent Orationem; aliae vero, plures, scilicet: Missae ritus semid. tres, et Missae rit. simp. aut Fer. etiam tres, et, ad libitum, quinque aut septem. — Assignantur Orationes communes pro varietate Temporum et Officiorum. — *Rub. 16.* Cum faciendae sunt Commemorationes, omittuntur Orationes communes. — *Appendix.* Quando et quomodo dicendae sunt. I. Oratio de Venerabili, II. Collecta imperata, III. Oratio de Anniversariis Creationis Papae et Consecrationis Episcopi.

Nomen *Orationis* varie accipitur in Liturgia: nimirum, in sensu lato, stricto et strictiori. In sensu lato significat quamcumque precationem: in hoc sensu dicitur Oratio

Jeremiae, Oratio XL Horarum. In sensu stricto et juxta communiorem usum sumitur pro certis Precationibus quae dicuntur in Officio divino, in Missa, aliisque functionibus ecclesiasticis, abstractione facta, an hujusmodi Precationes sint Commemorationes, Orationes communes aut votivae. In sensu strictiori designat tantum aliquas ex praedictis Orationibus, illas nimirum quae non habent peculiare nomen; tales sunt Orationes communes, seu quae dicuntur 2° et 3° loco, quando nulla fit Commemoratio; talis dici etiam potest Oratio Missae: hoc tamen limitari solet ad Orationes quae dicuntur ante Epistolam, quia subsequentes vocantur *Secretae* et *Postcommuniones*.

Orationes, quae solent designari nomine peculiari, sunt sequentes: 1° Commemorationes; 2° Orationes votivae, quae etiam dicuntur Collectae; 3° Secretae et Postcommuniones, ita nuncupatae, quia illae dicuntur secreta voce, hae vero sequuntur communionem. De Commemorationibus et de Votivis vide dicta *tit. VII* et locis propriis, ubi, quantum opus sit, explicatur quo sensu accipiatur vox *Oratio.* Hic quaedam veniunt addenda de voce *Collecta.*

Collectae nomen plures significatus habet. 1° Significat eleemosynas collectas, ut *I Cor. XVI, 1;* 2° apud Ecclesiasticos Scriptores significat coetum Fidelium, in unum locum convenientium ad orandum, ut in Lect. 6ª S. Joannis Apost.; 3° denique Oratio, quae in Missa dicitur, *Collecta* etiam appellatur vel, inquit Bened. XIV, *l. c. n. 109,* quia Sacerdos, qui veluti mediator est inter Deum et homines, vota omnium colligit, vel quia brevis est Oratio, quam Sacerdos recitat super populum congregatum, vel quia omnes, collectis in se animis, cogitationes et affectus suos ad Deum elevant.

Collecta, sumpta pro Oratione, varios etiam significatus habet: aliquando, etsi raro, designat quamcumque Orationem (cf. Gav. *h. l.* et Fornici, *part. 1, c. 23*); aliquando Orationes Missae quae dicuntur ante Epistolam, ut *sect. 3, tit. XI, 1,* et dec. n. 4150, dub. 5; frequentius tamen et communius hoc nomen restringitur ad Orationes votivas. Cf. dec. S. R. C. n. 4410, 2, 4436, 2, 4597, I, 1 et 4.

De numero Orationum, sequentia veniunt notanda. Per se loquendo, seclusa speciali Commemoratione aut Collecta imperata, in Missa Orationes dicuntur numero impares, scilicet 1, 3, 5 aut 7. „Ecclesia enim, inquit Bened. XIV,

l. c. n. 110, unitatem et conjunctionem vehementer desiderat, quae per imparem numerum exprimitur, qui cum in aequas partes secari non possit, integritatem suam tuetur." Insuper numeri electi suas habent rationes mysticas. Certis Missis una tribuitur Oratio ad majorem Solemnitatem, et ad denotandum unitatis sacramentum. Aliis Missis plures tribuuntur, utpote minus solemnibus. „Tres autem Orationes dici praescribuntur in honorem ss. Trinitatis, et in memoriam Christi, qui tertia die resurrexit, et ter oravit in horto; quinque in Commemorationem quinque Plagarum ejusdem Christi; et septem, ob septem petitiones Orationis Dominicalis, vel propter septiformis gratiae spiritum." Cav. *tom. 3, dec. 78, n. 7.* Cs. Gav. *h. l. rub.* 2. Cf. dicta *pag. 22, v. Mysticus.*

De cognomine Sanctorum et nomine patriae ab Orationibus expungendis, dictum est *tom. I, pag. 338 sq.*

Rub. 1. In Festis duplicibus dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio, ut dictum est supra.

Per hanc Rubricam excluduntur a Duplicibus Orationes communes, et quae permittuntur *Rub. 12* ad libitum. De Oratione per decreta aut a Superiore imperata, non agit Rubrica; et agenda vel omittenda est, juxta regulas in decretis positas. Cf. dicenda *in append. ad hunc titulum.*

Nisi facienda sit etc. Eadem exceptio exprimitur *Rub. 10* pro die Octava, et *Rub. 16* generatim pro casibus in quibus assignantur Orationes communes.

Rub. 2. In Festis semiduplicibus occurrentibus ab Octava Pentecostes usque ad Adventum, et a Purificatione usque ad Quadragesimam, dicitur secunda Oratio *A cunctis* ([1]), tertia ad libitum ([2]).

In Missis de diebus semid., si excipias casus *Rub. 8* et *10*, tres saltem dicuntur Orationes, prima Officii, 2ª et 3ª communes, prout hic et infra ordinatur; excipe, cum *Rub. 16,* si occurrant Commemorationes. Sed plures tribus dicendae erunt, si adsit Oratio imperata; haec enim est Votiva et non potest tenere locum alicujus ex Orationibus per Rubricas assignatis. Cum tres tantum Orationes assignentur Semiduplicibus, ideo hic non possunt aliae addi ad arbitrium ut in Simplicibus. Forsitan tamen, quando, propter Commemorationes aut Collectas imperatas, Orationes dicendae sunt numero pares, tunc ex dec. n. 2924, 9, alia posset addi ad habendum numerum imparem. Cf. *Rub. 12.*

(1) *Secunda Oratio* A CUNCTIS. Haec Oratio, uti jam dictum est, respondere solet Suffragiis Sanctorum, quod etiam advertit Gavantus, *h. l.* [1], et *Rub. 4.* Unde quando omittuntur Suffragia Sanctorum, omittitur etiam Oratio *A cunctis*, ut observari potest in his Rubricis. Cs. Mer. *Rub. 4*, et Gav. *Rub. 6.*

In hac Oratione, ad litteram N. nominandus est S. Patronus Ecclesiae (dec. 26 Jan. 1793, n. 4299, 15), nec alius Sanctus ei subrogari aut addi potest. Dec. 23 Sept. 1837, n. 4666, X, 1. Si tamen plures sint Patroni aeque principales sive per modum unius, sive ex privilegio *(tom. I, p. 138 sq.)*, omnes sunt nominandi. Et, si celebretur in Oratorio privato aut publico quod s. Patronum non habet, tunc nominandus est Patronus proprii loci. Dec. 12 Sept. 1840, n. 4550, 2. Idem resolvendum est si celebretur in Ecclesia, cujus Patronus ignoretur.

Quando in hac Oratione jam exprimitur Patronus v. g. S. Petrus, vel Missa de eodem celebratur, tunc, ad cavendam suffragii iterationem, vel omittitur nova nominatio ad litteram N., vel ad poscenda Suffragia Sanctorum, alia sumitur Oratio, scilicet: *Concede quaesumus* (ex dec. 15 Mai. 1819, n. 4410, 3). Et, juxta Gavantum ac Guyetum, nominare etiam poteris vice Patroni alium pro tua devotione. De qua sententia, ita loquitur Gardellini, *n. 4410, 3 cit.* „Bene quidem: sed haec est privata Scriptorum sententia, quam S. Congregatio non rejicit, imo adprobat; tanti tamen non est ponderis, ut pro certa regula habenda sit. . . . .“ Advertendum est non posse nominari Beatum dumtaxat, juxta dicta *tit. IV*, neque Sanctum cujus jam habetur nomen expressum in Oratione aut de quo celebratur Missa.

Ex dec. gen. 17 Sept. 1815, n. 4370, permittitur addi nomen S. Josephi, Sponsi B. M. V. in praefata Oratione. Quoad ordinem servandum inter Sanctos, qui in hac Ora-

1) »Dices, inquit Gavantus *h. l.*, cur in Oratione *A cunctis*, in qua continentur omnia suffragia, seu communes Commemorationes Officii, ut dictum est, nulla mentio fiat de Cruce, de qua in Officio? Respondeo; non semper fieri de Cruce in Officio Commemorationem: et fuisse incommodum, modo eam demere, modo addere in Oratione *A cunctis*, pro varietate Missae ferialis vel de Sancto. Deinde tota Missa Commemoratio est de Cruce; qua etiam de causa, tempore paschali fit in Officio Commemor. de Cruce, non in Missa.«

tione nominantur, idem servetur, qui in Litaniis majoribus praescribitur. Dec. 11 Mai. 1743, n. 3994, 4.

(2) *Tertia ad libitum.* 1° Libitum respicit qualitatem Orationis 3° loco dicendae, non vero ejus omissionem. „Quae enim ad libitum dicitur, inquit Cavalieri, *tom. 3, dec. 73, n. 9,* non ita ad libitum est ut pro placito recitari vel omitti queat, sed solum quia unam potius quam aliam ad arbitrium Sacerdos potest dicere.“ Unde quando dicenda est Oratio *ad libitum* et habetur Collecta a Superiore imperata, haec non potest in illius vicem subrogari: „quia, ait Cav. *l. c.*, tam demandata, quam quae juxta Rubricas est *ad libitum*, sunt in praecepto.“ Cs. Merati etc. Cf. pt. dec. n. 4597, I, 2. — 2° Praeterea arbitrium Celebrantis nonnullis circumscribitur limitationibus; nam ut aliqua Oratio eligi possit, tria generatim requiruntur: *a)* ut Oratio sumatur e legitimo Missali, ut supra *pag. 3* (cs. Merati), et nihil contineat quod circumstantiis non congruat, ut v. g. accideret, si sumeretur Oratio Dominicae Resurrectionis; *b)* ut non sit de Beatificato dumtaxat; *c)* ut Sanctus, cujus sumitur Oratio, non nominetur in alia Oratione Missae, v. g. *A cunctis* aut in aliqua Commemoratione. Quibus concurrentibus, Oratio *ad libitum* desumi potest, ut tradit Merati, *h. t. Rub. 12*, aut de Tempore, aut de Proprio Sanctorum, aut de Communi, aut ex Orationibus diversis post Missas Votivas. „*Tertia Oratio dicenda ad libitum Sacerdotis potest esse*, ait dec. 2 Sept. 1741, n. 3970, 6, *vel de Sancto, vel de ss. Sacramento, vel de Patrono, de Passione, de Cruce etc.*“ Dum Oratio pro Defunctis licita sit in Missis Vivorum, ideo nihil obstat, quin talis assumatur pro Oratione *ad libitum*. Cs. Cav. *tom. 3, dec. 73, n. 8.* Cf. pt. decreta 2 Dec. 1684, n. 2924, 6, et 23 Mai. 1835, n. 4597, I, 4; eligi ergo posse videtur Oratio *Fidelium;* sed haec ponetur 2° loco, ex *tit. VII, 6.*

Rub. 3. In Festis semiduplicibus occurrentibus ab Octava Epiphaniae usque ad Purificationem, dicitur secunda Oratio *Deus qui salutis,* tertia *Ecclesiae,* vel pro Papa *Deus omnium Fidelium.*

Usque ad Purificationem, etiamsi transferatur. *Rub. pecul. Dom. Septuag.*

Deus qui salutis, ad recolendum partum B. M. V. Cf. adnot. ad *Rub. 6, Ecclesiae etc.* Non dicitur Oratio *A cunctis* quamvis facta sint in Officio Suffragia Sanctorum: ratio est

quia 2ª est de Beata, quae ideo non amplius nominari potest in Oratione *A cunctis*. Orationes *Ecclesiae* vel pro Papa convenienter alternatim dicuntur. Cf. *Rub. 9*.

Rub. 4. In Festis semiduplicibus a Feria IV Cinerum usque ad Dominicam Passionis, secunda Oratio de Feria, tertia *A cunctis*.

Rub. 5. In Semiduplicibus a Dominica Passionis usque ad Dominicam Palmarum, secunda Oratio de Feria, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa.

Huc pertinet dec. 10 Jan. 1693, n. 3152, 15.

Rub. 6. In Festis semiduplicibus ab Octava Paschae usque ad Ascensionem, secunda Oratio de Sancta Maria *Concede nos*, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa.

Quamvis cessent Suffragia Sanctorum et Oratio *A cunctis*, dicitur tamen Oratio de Beata: „quia, inquit Gavantus *h. l.*, B. Virgo nunquam cessat orare pro nobis, et Festa Filii sunt etiam Matris; neque a Sanctis quidquam obtinemus, quod a Deo per manus Mariae prius non donetur..."

Rub. 7. In Festis semiduplicibus infra Octavas occurrentibus, secunda Oratio dicitur de Octava, tertia quae secundo loco infra Octavam ponitur.

Hic applicatur Rubrica 16ª. Cf. *Rub. pecul. infra Octavam Conceptionis B. M. V.*, et dec. 23 Jun. 1736, n. 3895, 31.

Rub. 8. Infra Octavas Paschae et Pentecostes in Missa de Octava dicuntur duae tantum Orationes, una de die, alia *Ecclesiae* vel pro Papa.

„Valet hic ea ratio, quam affert Durandus *in Dominica de Passione*, in qua cessant Commemorationes Sanctorum in Officio; ut scilicet nostra intentio feratur in Christum solum, spes nostra elevetur ad unicum ejus singulare refugium. Addimus igitur in tempore Passionis, Paschatis et Pentecostes, aliam Orationem tantum pro Ecclesia, vel pro Papa, pro quibus praecipue orandum, nullo alio mediante Advocato, neque B. Virgine, quia Christus et Spiritus sanctus sunt tunc temporis supremi et unici Advocati nostri. Si in praedictis occurrat Commemoratio de Sancto, non dicitur tertia Oratio, ad sensum Rubricae." Gav. *h. l.* Cf. *Rub. 16*.

Rub. 9. Infra alias Octavas, et in Vigiliis (1), quae jejunantur (excepta Vigilia (2) Nativitatis Domini et Pentecostes), dicuntur tres Orationes, una de die, secunda de S. Maria (3), tertia *Ecclesiae* vel pro Papa. Sed infra Octavas

S. Mariae, et in Vigilia, et infra Octavam omnium Sanctorum, secunda Oratio (4) dicitur de Spiritu Sancto, *Deus qui corda*, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa.

(1) *Et in Vigiliis.* „Cur autem, ait Merati *h. l.*, non dicatur Oratio *A cunctis* in Vigiliis in quibus fiunt Commemorationes Sanctorum, ratio esse potest, quia in Vigiliis solent Fideles ferventius orare, mente per jejunium elevata; et ideo in Missa praescribuntur Orationes dicendae de Sancta Maria et pro Ecclesia, quae magis fovent devotionem et pietatem.“ Cf. dicta ad *Rub. 2 et 6.*

(2) *Excepta Vig. Nat. Dom. et Pentec.* Hae Vigiliae, ait Gavantus, habent rationem Festi duplicis et solemnioris.

(3) *Secunda de S. Maria,* sumenda pro varietate temporum.

(4) *Secunda de Spiritu Sancto.* „Quia, ait Gavantus *h. l.*, in prima Oratione vel explicite vel implicite, ut in Vigilia et infra Octavam omnium Sanctorum, Mariae merita imploramus; ideo in secunda Oratione eam denuo invocare non debemus: sit igitur secunda de Spiritu S., qui eam obumbravit et foecundam reddidit....“ Quia, subdit Merati cum Quarti, ipsa est sacrarium et singulare habitaculum Spiritus S. Cf. *Rub. 15.*

Rub. 10. In Dominicis infra Octavas occurrentibus dicuntur duae Orationes, una de Dominica, secunda de Octava: et in die Octava dicitur una tantum Oratio, nisi facienda sit aliqua Commemoratio.

Tertia omittitur, ad majorem Solemnitatem. Gav. Et hoc modo Solemnitas Festi duplicis tribuitur Dominicae infra Octavam.

Rub. 11. In Dominicis dicuntur tres, ut in Ordinario assignantur, quibusdam exceptis, ut suis etiam locis notatur.

Dicuntur tres, in honorem ss. Trinitatis et in memoriam ejus qui 3ª die resurrexit. *Pag. 119.* — *Quibusdem* solemnioribus exceptis: quales sunt Dominicae Passionis et Palmarum.

Rub. 12. In Festis simplicibus et Feriis per annum, nisi aliter in propriis locis notetur, dicuntur tres, ut in Semiduplicibus (1), aut quinque: possunt (2) etiam dici septem ad libitum.

(1) *Dicuntur tres ut in Semiduplicibus.* Inde colligitur, quod docet Merati cum Gav., Orationes in Semiduplicibus non posse dici plures tribus, nisi ratione Commemora-

tionum, aut praecepti Superioris; et nullam posse addi ad arbitrium celebrantis. Ideo decretum, n. 2924, 6, quod attinet ad Semiduplicia, limitandum est ad casum quo dicenda est Oratio *ad libitum*, vel etiam forte quo numerus est impar propter Collectas. Cf. *ibid. ad* 9, et *Rub.* 2 *supra.*

(2) *Possunt etiam dici septem.* Rubrica non consulit sed tantum permittit ut addantur Orationes, et modo non dicantur plures quam septem; imo neque convenit ut Celebrans promiscue utatur hujusmodi indulgentia; si vero utatur, eligantur circumstantiae in quibus non timeatur periculum taedio afficiendi adstantes. Cs. Cav. *tom.* 3, *dec.* 78, *n.* 7.

Ad libitum. Arbitrium, uti patet, non fertur in modum dicendi Orationes, sed in numerum earumdem, quatenus praeter praescriptas aliae dici possunt, modo tamen non excedatur numerus septenarius. Si addantur, dicendae sunt juxta *tit. VII*, 5, et sumendae, uti traditur ad *Rub.* 2 *h. t.*

Quinque aut *septem.* Per se loquendo, id est, seclusa Commemoratione aut Collecta imperata, Orationes in Missa dicuntur numero impari, et ideo hic cavetur ne, propter superadditas ad libitum, par numerus habeatur; si autem numerus par proveniat ex Commemorationibus aut Collectis imperatis, tunc non debet, sed potest alia addi, juxta dec. cit. *n.* 2924, 9.

Rub. 13. In Feriis Quatuor Temporum, et ubi plures leguntur Lectiones, hujusmodi plures Orationes dicuntur post ultimam Orationem ante Epistolam, ut suis locis in proprio Missarum de Tempore.

Rub. 14. In Missis votivis, quando solemniter dicuntur pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa, dicitur una tantum Oratio (1); sed in Missa pro gratiarum actione additur alia Oratio, ut in proprio loco notatur. In aliis autem dicuntur plures, ut in Festis simplicibus.

(1) *Dicitur una tantum Oratio,* ad Solemnitatem. Quod tamen intelligendum est, ut *Rubrica* 1ª, per oppositionem ad Orationes communes, subintelligendo, nisi facienda sit aliqua Commemoratio, juxta dicta *ad finem tit. VI.* In hac scilicet Rubrica indicitur numerus Orationum quae, per se loquendo, dicendae sunt in Votivis, uti factum est in superioribus Rubricis pro Missis de Festis, de Dominicis, de Octavis et de Feriis; et supponitur Commemorationibus satisfactum fuisse per Missam conventualem, aut de Officio

cantatam. Cs. Merati, *tit. 6, n. 44, cum Guyeto, ibi cit.* et Janssens, *h. t. n. 58 sq.* Itaque ubi non legitur Missa conventualis, nec cantatur de die, in Votiva solemni Commemorationes agendae erunt ut in Missa de Festo solemni, nempe de Dup. et Semid., de die Octava, de Dominica, de die infra Octavam privilegiatam et de Feria majori, juxta *tit. VII, 1.* Cs. Deherdt, *n. 3, III, R. 4°.* Et hoc intelligendum est non tantum de Ecclesiis choralibus sed etiam de aliis. Quoad Oratoria publica vide dicta *pag. 30 sq.* Missa autem privata de die non est causa sufficiens ut omitti possint praefatae Commemorationes. Haec definita sunt pro Missa Solemnitatis translatae. Dec. 22 Jul. 1848, n. 4976, et 12 Aug. 1854, *in Lucionen. ad V.* Cum vero eadem omnino ratio militet in utroque casu, videlicet ut de Officio diei fiat saltem Commemoratio in Missa solemni seu cantata, decreta sunt etiam applicanda ad Votivam solemnem pro re gravi. Cf. pt. dec. 18 Feb. 1794, n. 4362. Decreta, quae specietenus videntur contraria, supponunt fuisse celebratam Missam conventualem.

Rub. 15. In Votivis B. Mariae, secunda Oratio dicitur de Officio illius diei, et tertia de Spiritu Sancto (1): sed in Sabbato, quando de ea factum est Officium, secunda Oratio erit de Spiritu Sancto, tertia *Ecclesiae* vel pro Papa. In Votivis de Apostolis (2), quando ponitur Oratio *A cunctis,* ejus loco dicitur Oratio de Sancta Maria *Concede nos famulos.*

(1) *Tertia de Spiritu S.* Cf. dicta ad *Rub. 9.* Rubrica est generalis, et praefata Oratio semper dicitur, non excepto tempore Adventus, Passionis aut Paschali. Gavant.

(2) *In Votivis de Apostolis* SS. Petro et Paulo „non dicitur Oratio *A cunctis,* ne fiat nova mentio Apostolorum Petri et Pauli: nam de his Apostolis tantum Rubrica loquitur. Ne vero pereat deinde memoria Beatae Virginis, quae habetur in Oratione *A cunctis,* dicitur ejus loco *Concede,* de S. Maria. In aliis autem temporibus, quando non dicitur *A cunctis,* nulla accidit mutatio." Gav.

Rub. 16. Si, cum plures dicuntur Orationes, occurrat fieri Commemorationem alicujus Sancti, ea ponitur secundo loco, et tertia Oratio dicitur, quae alias secundo loco dicenda erat.

In Semiduplicibus aliisque Missis inferioris ritus, très Orationes requiruntur et sufficiunt (vid. *Rub. 2 et 12*); unde

una vel utraque Oratio communis omittitur, prout una vel altera facienda est Commemoratio. Cf. pt. dec. n. **3905, 1**.

Rub. 17. In conclusione Orationum hic modus servatur: si Oratio dirigatur ad Patrem [1], concluditur: *Per Dominum nostrum etc.;* si ad Filium: *Qui vivis et regnas cum Deo Patre;* si in principio Orationis fiat mentio Filii, concluditur: *Per eumdem Dominum nostrum;* si in fine Orationis ejus fiat mentio: *Qui tecum vivit;* si facta sit mentio Spiritus Sancti, in conclusione dicitur: *In unitate ejusdem Spiritus Sancti, etc.* Alia quoque in dicendis Orationibus serventur, quae superius in Rubrica de Commemorationibus dicta sunt.

(1) *Si dirigatur ad Patrem*, sine mentione Filii, *concluditur: Per Dominum etc.*

Haec Rubrica habetur etiam in Brev. *tit. 30, 4*, et exponitur *tom. I, pag. 336 sq.* Cf. ibi dicta. Cf. pt. etiam dec. n. **4598**. In Oratione Exultationis s. Crucis, fit quidem mentio Filii, sed nomine non expresso; nihilominus retinenda est conclusio: *Per eumdem.* Dec. n. **4416**, 5, et Gardellini *ibidem.*

De altera oratione quandoque dicenda sub una conclusione, agitur infra.

Appendix ad titulum IX.

Hucusque de Orationibus quae, pro qualitate Officii et Missae, dicuntur ad normam Rubricarum Missalis. Praeter illas Orationes, aliae quandoque occurrunt dicendae, quae supra referuntur ad Votivas: sunt scilicet Orationes quae propter circumstantias externas permittuntur vel praecipiuntur per Decreta aut ab Ordinariis locorum. Tales sunt: *a)* Oratio de Venerabili publice exposito, *b)* Oratio imperata pro aliqua necessitate ab Ordinario loci, *c)* Oratio dicenda in Anniversario Electionis etc. Papae aut Episcopi, et *d)* Oratio quae addi potest propter Solemnitatem Patroni in Dom. I Adv. et Quadrag. De hujusmodi Orationibus duo exponuntur, videlicet: quando, quo ordine et ratione dicendae sint.

I. *Oratio de Venerabili publice exposito.* Quaestio non est de Commemoratione ss. Sacramenti privatim expositi; haec enim Commemoratio non fit occasione hujusmodi expositionis, ex dec. 7 Mai. **1746**, n. **4032, 9**. Cs. Gardell. *ad Inst. Clem. §. 17, n. 33.* Agitur de expositione publica; sive cum

Ostensorio, sive cum Pyxide fiat. *Ibidem.* Occasione autem publicae expositionis praefata Commemoratio facienda est aut saltem permittitur in casibus sequentibus.

1. Ex regula universali facienda est in omnibus Missis quae, quocumque die, cantantur ad altare publicae expositionis. Dec. 23 Jul. 1736, n. 3900, 8, et 3 Mart. 1761, n. 4150, 6. Quibus Missis aequiparatur Missa cantata in qua consecratur hostia in fine Missae publicae venerationi exponenda. Dec. 15 Mai. 1819, n. 4411, 2. Ibi nominatur quidem Missa solemnis; sed quocumque sensu hic accipiatur vox *solemnis*, dubitari nequit eam Commemor. esse faciendam in Missa cantata absque Ministris sacris: eadem enim militat ratio, debita videlicet veneratio exhibenda ss. Sacramento mox palam exponendo publicae adorationi. Cf. Gardell. *ad hoc dec.*

2. Praefata Collecta, in casu, dicenda quidem est omni die; sed non semper eodem loco. Circa hoc distinguendum videtur ob quam rationem fiat haec Commemoratio de Venerabili. Porro fit vel ob solam expositionem, vel loco Votivae solemnis (puta per Inst. Clem. aut ad illius instar praescriptae), incidentis in diem impeditam. *a)* Commemoratio ob solam expositionem fit post Orationes Missae, juxta *tit. VII, 5,* et sub altera conclusione juxta *tit. VII, 7;* modo tamen non celebretur de Dup. I vel II Cl.: nam in Dup. I vel II Cl. (dec. 16 Feb. 1737, n. 3907, 8), quando facienda non est aliqua Commemoratio (dec. 3 Mart. 1761, n. 4150, 6), adjungitur Orationi diei sub unica conclusione. Cf. Janssens, *h. l. n. 71 sqq.* Notari potest unicam conclusionem in casu demandari ut, quantum fieri potest, servetur Solemnitas, cujus gratia unica recitatur Oratio in Missis solemnioribus: per unicam enim conclusionem, quasi dissimulatur pluralitas Orationum. Idem ac de Dup. I vel II Cl. resolvendum est de Vigiliis Nativ. Domini et Pentecostes, de Dom. Palmarum et de Votivis solemnibus. Cf. mox dicenda 3. *b)* Quando autem dicta Collecta tenet locum Votivae solemnis, per Inst. Clem. aut ad illius instar indictae, tunc semper dicenda est sub *unica conclusione,* uti ordinatur in dicta Inst. *§. 12.* Diebus impeditis, inquit, cantabitur Missa conventualis cum adjecta Oratione ss. Sacramenti *sub unica conclusione.* Circa quod duo veniunt inquirenda.

Q. 1. An in Dominicis et Feriis privilegiatis, in quibus

Collecta de Venerabili unitur primae Orationi sub unica conclusione, omittendae sint Orationes communes, dicendae 2° et 3° loco?

R. Non convenit inter AA. 1° Negat Janssens, *h. t. n. 68.* „Dum, inquit, Missae illius Oratio, et illa de Venerabili, vel de pace, aut alia (prout Missa alioquin Votive dicenda exigit) sub una conclusione est recitata, debent sub distincta conclusione superaddi aliae Orationes, illa die in Missa 2° et 3° loco praescriptae.“ Et *n. seq.* loquendo de hac Missa et aliis in quibus propriae Orationi alia adjungitur sub unica conclusione, sequentem affert suarum resolutionum rationem. „Ratio horum omnium est, inquit . . . quod in illis casibus Missa praescribatur, quae illa die occurrit, et quidem dicenda prout jacet si non conferrentur (seclusa Oratione addenda sub prima conclusione) ss. Ordines, aut non essent preces XL Horarum, etc. Adeoque dicenda est Missa cum omnibus Commemorationibus, et cum caeteris juxta Rubricas illa die in Missa dicendis. Per hoc autem, quod Celebranti ordinetur, ut ad Collectam Missae substantialem addat aliam sub una conclusione, non praescribitur ei, aut indulgetur, ut numerum Orationum per Rubricas praescriptum diminuat aut simpliciter omittat.“ Deinde ostendit per verba, *unica conclusione,* „excludi quidem distinctam seu secundam conclusionem ab Oratione de Venerabili, non vero ab aliis Orationibus, quae sunt in eadem Missa, vel ratione occurrentiae vel ratione temporis, 2° et 3° loco dicendae.“

2° Affirmat Gardellini, *§. 12 cit. n. 8* post Cavalieri, *tom. 4 ad eumdem §. 12, n. 3,* et Gardellinio adhaeret Baldeschi, *tom. 4, Append. art. 2.* Eorum autem ratio est, quia „Missae votivae quae pro re gravi decantantur solemniter, unicam Orationem admittunt juxta *Rubricam 9, num. 14,* quae licet agat de solis Missis votivis, idipsum tamen implicite faciendum satis indicat, si eadem de causa cantetur Missa occurrens, et haec in locum Missae votivae ob impedimentum subrogetur, ut evenit in casu nostro, in quo cantatur Missa diei, loco Votivae de Sacramento pro re gravi indicta.“ Gardell.

Huic tamen argumento opponi potest ratio quam allegat Janssens, nempe Missam diei praescribi prout jacet, si excipias Orationem de Venerabili addendam sub unica conclusione. Quod potest etiam ita confirmari: Missa diei

praefertur Missae votivae, qua magis privilegiata, ac proinde non est censenda induere indolem Missae votivae, sed propriam servare, non solum quoad *Gloria* et *Credo,* sed etiam quoad numerum Orationum. De *Gloria* et *Credo* notanda veniunt sequentia verba Gardellini, *l. c. n. 10.* „Equidem, ait, talis Missa succedit loco Missae votivae solemnis pro re gravi, quae exigit tam *Gloria,* quam *Credo:* sed non ideo consequitur quod idem servandus sit ritus in Missa de die, si hujus qualitas impedimento est ne Votiva dicatur; quae tamen cum ex indulto sit, et extra ordinem, nil commune habet cum Officio diei, nec proinde potest ritum Missae respondentis Officio alterare." Quaeri potest quare alterandus foret ritus in Orationibus, et *supponendum unicam implicite* praescribi?

Q. 2. Quando celebratur Missa de Festo currente et facienda est aliqua Commemoratio, v. g. de Dominica occurrente, an tunc etiam Collecta de Venerabili conjungenda sit Orationi Missae sub unica conclusione?

R. Affirmat Gardellini, *l. c. n. 9.* Et rationem dat, quia „Instructio non distinguit, non limitat, sed absolute jubet fieri Commemorationem sub unica conclusione, id est conjungendam esse cum Oratione de Festo occurrente, cui ob qualitatem ritus locum cedit Missa votiva, etiamsi facienda sit Commemoratio de Dominica, quae non impediret Votivam positam in praecepto, nisi occurrisset Festum dup. I vel II Classis." Cs. Janss. *l. c. n. 72.*

Haec de Missis cantatis ad altare expositionis publicae.

3. Quoad alias Missas quae celebrantur durante expositione facta ex publica causa, non habetur generale praeceptum, ac proinde distinguendum est an in loco vigeat necne Instructio Clem. aut simile particulare praeceptum. Si vigeat, agenda etiam est, sed quibusdam diebus exceptis, ut advertit Gardell. *n. 21 citando;* si non vigeat, tunc diebus liberis fieri potest ad libitum. Cf. *Inst. Clem. §. 17,* et Gardell. *h. l. n. 21,* dec. 7 Mai. 1746, n. 4032, 9 et 10. Cf. pt. dec. 2 Dec. 1684, n. 2924, 4, datum ante Inst. Clem., et dec. n. 3970, 5.

Advertendum est praefatam Commemorationem non fieri *a)* in Missis Defunctorum v. g. celebratis in paramentis violaceis die 2ª Novembris; neque *b)* in Missa de SS. Corde dec. 6 Sept. 1834, n. 4582.

Dies excepti seu impediti, pro Commemoratione agenda

in Missis, de quibus *n. 3,* sunt Festa dup. I et II Cl., ex dec. 2 Sept. 1741, n. 3970, 5. Cs. Gardell. *n. 21 cit.* Quibus adjungendae sunt Vigiliae Nativitatis Domini et Pentecostes, atque Dominica Palmarum. Quia, inquit Cavalieri a Gardelini *cit. eodem §. 17, n. 24,* Missae Dominicae Palmarum et Vigiliae Pentecostes per Rubricas adeo donata est privilegio unius Orationis, ut etiam occurrentium Simplicium Commemorationem expellat.... Gardellini *n. 24 cit.* arguit ex dec. 3 Mart. 1761, n. 4150, 5, juxta quod Oratio, a Superiore imperata, omittenda est in Vigilia Nativitatis Domini, „ob paritatem rationis, inquit, decretum comprehendit etiam Dominicam Palmarum et Vigiliam Pentecostes, in quibus proinde, ut in Vigilia Nativitatis Domini, Commemoratio SS^{mi} Sacramenti omitti debet."

Exceptio autem extendenda non est ad Dominicas I vel II Cl. aut ad ferialia Officia privilegiata: horum enim privilegium non consistit in ritu, qui Semiduplicem non excedit, sed in exclusione aliorum Officiorum, ut dictum est *tom. I, pag. 171;* unde in Missa plures assignantur Orationes. Cs. Gardell. *l. c. n. 23.*

II. *Oratio seu Collecta imperata.* 1° Imperata nuncupatur ea Oratio, quae non vi Rubricarum, sed particulari praecepto summi Pontificis aut Ordinarii loci dicenda est, ultra consuetas Missae Orationes. Quando praecipitur ab Ordinario loci, recitanda est etiam in Ecclesiis Regularium (dec. n. 4428, 1, 2); sed Praelati regulares non possunt, absque licentia Episcopi, eam praecipere suis subditis. Dec. n. 4244, 16. 2° Juxta dec. n. 4376, 22 et 23, Collecta imperari potest pro re gravi et pro re levi; et in priori casu dici potest in Dup. I Cl., sub unica conclusione. Unde duplex distinguenda esset Collecta imperata: *una* quae pro aliqua re gravi dicenda est in peculiari circumstantia et non per modum habitus, v. g. aliqua die assignata; *alia,* quae pro re, sive gravi sive levi, indicitur per aliquod tempus dicenda, quaeque solet intelligi quando simpliciter nominatur Oratio imperata. Attamen decretum cit. videtur revocatum per subsequentia n. 4410, 2 ac praesertim 23 Mai. 1835, n. 4597, 1, 3. Quod si inter se componi posse videantur, illud intelligendum erit de Collecta imperata in aliqua extraordinaria circumstantia, haec vero de Collecta imperata, prout fit communiter. Quare deinceps negligitur

illa distinctio, et quaestio est tantum de imperata in sensu communi accepta.

Quaeritur in quibus Missis permittatur Collecta imperata; quo ordine et sub qua conclusione sit dicenda?

R. Ad 1. *a)* Festis dup. I Cl. et diebus aeque privilegiatis, omittenda est in omni Missa. Dies autem, quae hic dicuntur privilegiatae ad instar Duplicium, sunt Vigiliae Nativitatis Domini et Pentecostes, atque Dominica Palmarum, juxta dicta *pag. praec.* et dec. n. 4436, 2. Idem resolvendum est de Missa votiva solemni pro re gravi, ut supra *p. 124*. *b)* Festis dup. II Cl. omittenda est, sicuti Commemoratio Simplicis, in Missa cantata, et in Conventuali etsi lecta tantum [1]; in aliis Missis, id est, in privatis dici vel omitti potest arbitrio Sacerdotis. Dec. n. 4410, 2, et n. 4597, I, 3. Ratio hujus regulae haec est: in Missis privatis de Dup. II Cl., permittitur Collecta imperata, quia in iisdem fit Commemoratio Simplicis; sed non praecipitur, quia tempore quo editum est decretum n. 4410, 2, varia erat Sacerdotum et Ecclesiarum praxis, ut tradit Gardellini *ad hunc num.* Quare, seclusa saltem consuetudine, consultius videtur dicere Collectam ad normam Commemorationis Simplicis.

R. Ad 2. Cum Collecta imperata sit votiva, ideo ponenda est post Orationes Missae, etiam communes, juxta *tit. VII, 5,* et concludenda est, prout ibi ordinatur *Rub. 7,* et hic *Rub. 17.* Attamen si hujusmodi Collecta teneat locum Missae votivae solemnis pro re gravi indictae, incidentis in diem impeditam, tunc idem resolvendum est ac de Collecta SS. Sacramenti quae aliquando additur Missae diei, subrogatae in locum Votivae solemnis pro Or. XL Horarum. Fortasse ad hujusmodi casum alludit dec. cit. n. 4376, 22 sq.

III. *Oratio dicenda diebus anniversariis Creationis et Coronationis Papae, Electionis seu Consecrationis Episcopi.* Supra *pag. 58*, dicitur quibus diebus permittatur Missa solemnis de Anniversario Consecrationis Episcopi celebranda in Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis. Hic dicendum est ubi, quando et quomodo agenda sit Commemoratio de praefato Anniversario et de Anniversariis Electionis et Coronationis

1) Est enim vere conventualis. Dec. 14 Feb. 1705, n. 3561, 8 et 27 Mart. 1779, n. 4244, 18.

Papae. 1° Commemoratio, in Ecclesiis ad praedictam solemnem Missam obligatis, fit loco Votivae in Dominicis et Dup. II Cl. sub unica conclusione; 2° in aliis autem Missis, sive in illis Ecclesiis, sive alibi celebratis, agenda vel omittenda est ut sequitur. De Anniversariis Electionis et Coronationis Papae agenda est ubique (dec. n. 4628, 11); de Anniversario Consecrationis Episcopi, in Dioecesi (dec. n. 4597, 7), dummodo non occurrant Dominicis aut Duplicibus I Cl. aut diebus aeque privilegiatis. Utraque, Dominicis et Dup. II Cl., fit sub unica conclusione (dec. n. 4782, ad aliud dub. et n. 4764, 3), nisi facienda sit aliqua Commemoratio; in Dom. minoribus et Dup. maj. aut diebus inferioris ritus, fit sub altera conclusione. Cf. dec. cit. et dicta de Collecta dicenda de Venerabili publicae venerationi exposito.

TITULUS X.

DE EPISTOLA, GRADUALI, ALLELUIA, ET TRACTU, AC DE EVANGELIO.

Rub. 1. Post ultimam Orationem dicitur Epistola (1); qua finita, a Ministris respondetur *Deo gratias* (2). Et similiter quando leguntur plures Lectiones, post singulas dicitur *Deo gratias,* praeterquam (3) in fine quintae Lectionis Danielis, in Sabbatis Quatuor Temporum, et in fine Lectionum Feriae sextae in Parasceve, et Sabbati Sancti.

(1) *Epistola.* Ejus nomen et finis. „In vetustis codicibus, Epistola dicitur Lectio *ex Apostolo,* quae etsi interdum ex aliis quoque veteris [1] novique Testamenti

1) „Primis Ecclesiae saeculis non Prophetarum modo et Apostolorum scripta, sed interdum Episcoporum etiam summorumque Pontificum Litterae in Ecclesia legi consueverant, praesertim quae *Pacificae,* seu *Communicatoriae* dicebantur...“ Bened. XIV, *l. c. n. 116.* Legere Epistolam non fuit semper munus Diaconi: Martene putat Subdiaconos coepisse in Ecclesiis legere Epistolam saeculo 8. *Ibid. n. 117.* Hinc promovendos ad Ordinem Lectoratus, ita Pontifex alloquitur: „Quod autem ore legitis, corde credatis, atque opere compleatis; quatenus auditores vestros, verbo pariter et exemplo vestro docere possitis. Ideoque, dum legitis, in alto Ecclesiae loco stetis, ut ab omnibus audiamini, et videamini figurantes positione corporali, vos in alto virtutum gradu debere conversari; quatenus cunctis, a quibus audimini, coelestis vitae formam praebeatis...“ Explicationis gratia hic advertendum est, cum Fornici *c. 23 fin.,* quod Epistola

libris [1], plerumque tamen ex Epistolis D. Pauli desumitur; atque inde lectioni post Collectam *Epistolae* nomen est inditum." Bened. XIV. *De Sacrif. M. S. I. n. 115.* Legitur autem ad instructionem Fidelium. Cf. Bened. XIV, *l. c.* n. *114* et S. Thom. *part. 3, q. 83, a. 4.* De initiis Epistolarum, *in diebus illis, Fratres Charissimi,* cf. Gav. *h. l.*

(2) *Deo gratias.* „Quam vocem vetustissimam esse inquit Bened. XIV, *l. c. n. 118,* inde ostenditur, quod S. Benedictus *cap. 66* Regulae suae eam commemoret tanquam a suis Monachis saepe adhibitam; et S. Augustinus exprobrat Donatistis quod illam Catholicorum vocem irriderent, *Deo gratias.*" Post Epistolam gratias agimus Deo, quod doctrinae suae panem nobis frangere dignetur. Gav. cum Rupert. Cf. *not. tom. I, tit. XXVI, 11.*

(3) *Praeterquam in fine 5ae lectionis,* ne interrumpatur textus et sensus, ut ibidem legenti patet, inquit Gavantus. In Parasceve autem a Sabbato S. etiam omittitur, quia sunt dies luctus. Idem.

Rub. 2. Post Epistolam dicitur Graduale [2], quod semper dicitur praeterquam Tempore Paschali [3], cujus loco tunc dicuntur duo versus, ut habetur in Rubrica in Sabbato in Albis.

Rub. 3. Post Graduale dicuntur duo *Alleluia* ([1]), deinde Versus, et post Versum unum *Alleluia.* Tempore Paschali, quando non dicitur Graduale, dicitur aliud *Alleluia* post secundum Versum: et quando dicitur Sequentia ([2]), non dicitur post ultimum Versum sed post Sequentiam.

(1) Vox *Alleluia* explicatur *tom. I, pag. 403.* Cf. etiam Bened. XIV, *l. c. n. 221.* „Ejus vocis, inquit, auctorem fuisse David Regem, e Psalmis colligitur... Ea vox est

(sicuti a Diacono Evangelium) antiquitus legebatur a Subdiacono in ambone seu pulpito, ex quo etiam Episcopus conciones habebat. Adhuc Romae exstant veteres ambonum formae in Ecclesiis SS. Clementis, Pancratii et Laurentii extra muros, etc.

1) „Certe in Dominicis Epistola solet esse de novo Testamento, quia Dominicus dies Resurrectionem Domini, et tempus Gratiae repraesentat." Cav. cum Durand. Vid. apud eumdem Gav. cur Epistola legatur ante Evangelium.

2) Dicitur Gradale, seu Graduale, ex loco ubi cantabantur olim hujusmodi versus, nimirum a gradibus Altaris, vel juxta gradus ambonis, cum Diaconus pergeret ad cantandum Evangelium. Merati.

3) Tempore autem Paschali omittitur Graduale, quia hoc est signum doloris et laboris; illud vero tempus exaltationis. *Ibid.*

etiam *Tobiae cap. 13,* nec usquam alibi reperitur in Veteri Testamento. In Nova autem Lege S. Joannes *Apocalypsis cap. 19,* narrat se audivisse choros Angelorum in coelo canentium *Alleluia;* unde licet conjicere, pulcherrimum illud Canticum e coelo in Ecclesiam deductum...."

Nomen *Versus* explicatur, *tom. I, p. 311, not. 3.*

(2) „*Sequentia* Rhythmus est, ait Bened. XIV, *l. c. n. 123,* qui post Épistolam canitur; et appellatur *Jubilatio,* atque etiam *Prosa,* quod in ea nulla carminis lex aut mensura servetur. *Sequentiae* autem nomen illi inditum, quia Graduale consequitur.... Quatuor Sequentiis utitur Romana Ecclesia; quarum prima est *Victimae Paschali* in die Paschae: eam Durandus *lib. 4, cap. 22* tradit compositam saeculo XI a Roberto Francorum Rege: secunda est *Veni Sancte Spiritus* in die Pentecostes, cujus B. Hermannus Contractus saeculo item IX Auctor fuisse creditur: tertia est *Lauda Sion* in Festo Corporis Christi quae D. Thomae Aquinati tribuitur: quarta denique est *Dies irae dies illa* in Missis Mortuorum quam scripsisse existimatur Latinus Cardinalis Ursinus seu Frangipanis Ordinis Praedicatorum, qui mortuus est anno 1294...."

Rub. 4. A Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum non dicitur *Alleluia:* neque dicitur in Missis de Feria, in Adventu, Quatuor Temporibus, et Vigiliis quae jejunantur, exceptis Vigilia Nativ. Domini, si venerit in Dominica, et Vig. Paschae et Pentecostes, ac Quatuor Temporibus Pentecostes. Nec dicitur in Festo SS. Innocentium, nisi venerit in Dominica.

Quare in Adventu partim, et a Septuagesima ad Sabb. S. omnino omittatur *Alleluia,* dictum est *tom. I, l. prop.* „Denique, ait Bened. XIV, *n. 124,* in Festo SS. Innocentium *Alleluia* omittitur, quod Ecclesia miserarum matrum commiserescat, quae ante ora sua lactentes filios viderint trucidari, ut bene animadvertit Amalarius." Exceptio pro Dominica explicatur *tom. I, tit. XXXI, 1.* Cf. Bened. IX, *n. cit.*

Rub. 5. A Septuagesima usque ad Pascha, ejus loco dicitur Tractus: qui Tractus praedicto tempore in aliquibus Feriis non dicitur, ut suis locis ponitur. Nec dicitur in Feriis a Septuagesima usque ad Quadragesimam, quando repetitur Missa Dominicae.

Tractus. „Quidam e Scriptura versiculi, qui post Epistolam recitantur, appellantur *Tractus,* cujus etymologia

vocis est a *trahendo;* nam tractim et cum asperitate vocum et prolixitate verborum canitur...“ Bened. XIV, *n. 122* [1].

Notandum est Versum Gradualis, in Missa *Vultum tuum* pro Virgine tantum, eumdem esse ac initium Tractus. Ideo ex S. R. C. dec. n. 4376, 24, praetermittendum est initium et prosequendum a vers. *Vultum tuum.*

Rub. 6. Dicto Graduali, seu *Alleluia,* seu Tractu, dicitur Evangelium. Et in principio Evangelii dicitur *Dominus vobiscum.* R. *Et cum Spiritu tuo.* Deinde *Sequentia Sancti Evangelii secundum N.* R. *Gloria tibi Domine.* In fine Evangelii a Ministro respondetur, *Laus tibi Christe:* quod etiam dicitur in fine illius partis Passionis, quae legitur in tono Evangelii, praeterquam in Parasceve. Postea, si dicendum est, dicitur Credo.

Evangelium, a graeco εὖ et ἀγγελιη, idem sonat ac *bonum nuntium.* „Morem legendi Evangelium in Missa ab Ap stolorum temporibus descendere omnes liturgiae, atque primaevae antiquitatis Patres testantur.“ Fornici, *c. 25.* Cs. Bened. XIV, *l. c. n. 136.* Olim legebatur ab aliquo Lectore; sed postea id munus, in Evangelii honorem, demandatum fuit Diaconis. Graeci tamen etiamnum vetustum retinent morem, ut Evangelium publice legatur a Lectoribus. Bened. XIV, *n. 125.* Cf. Mer. *n. 7.*

Dicitur Dominus vobiscum, ut populus, inquit *Ordo Romanus,* silentium praebeat, attentus et benevolus fiat; quod ostendit ille per ea verba: *Et cum Spiritu tuo...* Gav. Sacerdos aut Diaconus non se vertit ad populum, causa reverentiae erga S. Evangelium. Vid. dicta de eadem salutatione, *tom. I, p. II, tit. XXX, 2,* et nota eam non praemitti lectioni Passionis.

Sequentia, id est, quae sequuntur in Textu Evangelii.

1) „Omnes Rubricarum interpretes conveniunt cum Gavanto, circa hujus nominis *Tractus* etymologiam, cum vere dicatur a *trahendo:* quia revera continuata serie modulationis (ut ait Card. Thomasius) unius cantoris, non interrupta responsionibus aliorum intercinentium, peragеretur: sic enim *tractim canere* dicitur cantor, quemadmodum Latini *tractim dicere, tractim tangere,* etc., a trahendo, scilicet in longum sine intermissione, non interrumpendo seriem Orationis, aut percussionis vel susurri. Amalarius, *lib. 3, cap. 12.* Hoc autem est discrimen inter Responsorium et Tractum, quod primo Chorus respondet; Tractui vero nemo.“ Merati, *n. 5.*

Dicitur vel *Sequentia* vel *Initium*, prout, quod legitur, sumptum est e corpore, aut ex initio Evangelii. Cum dicitur *Sequentia*, inquit Fornici, fere additur *in illo tempore*. Haec verba addi solent quando dicitur *Sequentia S. Evangelii*, et indicant tempus rerum gestarum, quarum tunc legitur prosecutio et continuatio. Cf. Fornici.

Gloria tibi Domine. „Dicat qui promptior non est, ut cum fructu capiat verba Evangelii, *Gloria tibi Domine;* vel qui capiunt, glorificent Dominum, qui mittit Verbum salutis. . .“ Ap. Gav.

Laus tibi Christe. Olim quidam respondebant *Amen;* alii *Deo gratias;* alii *Benedictus qui venit in nomine Domini.* Nos Christum laudamus, de quo narratum est in Evangelio: sed verba non sunt antiquiora Burchardo, qui ea refert, et ante eum nemo. *Ibid.*

Praeterquam in Parasceve, quae Christo fuit dies improperii, non laudis; illa enim die improperiis opprobriisque saturatus est. Gav. et Bened. XIV.

Dicitur Credo, nisi sit praedicandum. *Sect. III, tit. VI, 6.*

TITULUS XI.

DE SYMBOLO.

Post Evangelium dicitur Symbolum Constantinopolitanum. — Ad tres reducuntur causae propter quas dicitur. — Dicitur in omnibus Dominicis, in Festis et Octavis Domini, B. M. V., SS. Apostolorum, Doctorum, Patroni et Dedicationis; item generatim in Votivis solemnibus.

Rub. 1. **Symbolum dicitur post Evangelium in omnibus Dominicis (1) per annum, etiamsi in illis fiat de Festo in quo alias non diceretur, vel Dominica vacet. In tribus Missis de Nativitate Domini, et deinceps usque ad Oct. S. Joannis Apostoli inclusive. In Epiph. et per Oct. Feria V in Coena Domini. In Paschate Resurrectionis, et per Octavam (2). In Ascensione Domini, et per Octavam. In Pentecoste, et per Octavam. In Festo Corporis Christi, et per Octavam (3). In omnibus Festis B. Mariae, et per Octavas. In Festis duodecim Apostolorum et Evangelistarum, et per Oct. In utraque Cathedra S. Petri, et in Festo S. Petri ad Vincula. In Festis Conversionis et Commemorationis S. Pauli Apostoli. In Festo S. Joannis ante Portam Latinam. In Festo S. Barnabae Apostoli. In Festis Inventionis et Exal-**

tationis S. Crucis. In transfiguratione Domini. In Festis Angelorum. In Festo S. Mariae Magdalenae ([4]). In Festis quatuor Doctorum, videlicet, Gregorii, Ambrosii, Augustini, et Hieronymi: additis Festis S. Thomae de Aquino, S. Bonaventurae, S. Leonis Papae, et S. Anselmi. Item in Festis Sanctorum Doctorum Athanasii, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Joannis Chrysostomi, Isidori, Petri Chrysologi, Bernardi, et Petri Damiani ([5]). In die Octavarum S. Joannis Baptistae, et S. Laurentii ([6]). In Festo omnium Sanctorum, et per Oct. In dedicationibus SS. Salvatoris, et SS. Apostolorum Petri et Pauli. In Anniversario Dedicationis propriae Ecclesiae ([7]), et per Oct. In die Consecrationis Ecclesiae, vel Altaris. In Festis Sanctorum quibus dedicata est Ecclesia ([8]), et ubi habetur Corpus ([9]), vel insignis Reliquia Sancti, de quo agitur. In die ([10]) Creationis et Coronationis Summi Pontificis, et in Anniversario ejusdem diei. In die et in Anniversario Electionis et Consecrationis Episcopi. Item in omnibus Festis ([11]), quae in Dominicis, et infra Octavas celebrantur, in quibus ratione Dominicae et Octavae dici debet. Item in Festo Patroni alicujus loci, vel Tituli Ecclesiae (non autem alicujus Capellae ([12]), vel Altaris), et in Festis principalibus Ordinum ([13]), et per eorum Octavas, in Ecclesiis tantum illius Ordinis. Item dicitur Credo in Missis votivis ([14]), quae solemniter pro re gravi, vel pro publica Ecclesiae causa celebrantur, etiamsi dicantur in paramentis violaceis in Dominica.

Praesens Rubrica recenset singula Festa et dies in quibus dicendum est Symbolum, sicque implicite ordinat illud in aliis esse omittendum, secluso speciali indulto S. Sedis, quamvis aliquis Sanctus, hic non recensitus (uti olim S. Leo), habeat 8um Responsorium *In medio*. Cf. Cav. *tom. 5, c. 12, n. 23*, quem ita claudit: „Quamvis enim Sancti, quicumque ii sint, in Fidei disseminationem et propugnationem, verbo et scripto elaboraverint, nostrum esse non potest eos in classe Doctorum Ecclesiae collocare; aperte enim ex adductis exemplis conspicere possumus, hoc nonnisi per specialia decreta evenire.“

Pariter, ad dicendum Symbolum extra casus recensitos, non sufficit vel Ritus dup. I Cl., vel populi concursus; etenim omittitur in Festo dup. I Cl. S. Joan. Bap., ubi non est Patronus, et in Missa Rogationum, non obstante

concursu, extra diem Dominicam. „Solus autem concursus populi, ait Gav. *lit. l.*, sine alio Solemnitatis titulo, non facit, ut legitime dicatur *Credo*, ex Rubricis: alioquin in Ecclesiis ruralibus in omnibus Festis diceretur *Credo*."

„Causae illud dicendi certis diebus prae aliis, tres recensentur a Guyeto, *lib. 3, cap. 28, q. 3. Mysterium* nempe, *Doctrina* et *Celebritas*. Ratione Mysterii dicitur in omnibus Festis Christi Domini et Beatae Mariae Virginis, quippe quorum mysteria in eo implicite vel explicite continentur. Ratione Doctrinae fidei, verbo et scripto traditae, dicitur in Festis Apostolorum atque Doctorum. Denique ratione Celebritatis dicitur in Festis Patronorum et aliis propriis locorum seu Ecclesiarum, ad quas, inquit Gavantus, fit concursus populi, quamquam non ex hoc concursu praecise petatur ratio dicendi Symbolum." Fornici. Cs. Merati, *h. l.*, Cav. *l. c. n. 11*, qui singillatim examinant et explicant quomodo dictae rationes verificentur in unoquoque casu.

Symbolum [1] Constantinopolitanum [2] dicitur post Evangelium, ut per S. Evangelium corde credatur ad justitiam, et per Symbolum ore fiat confessio ad salutem. Gav. Cs. S. Thomas, *III, q. 83, art. 4, in corpore* [3].

1) Quatuor sunt Symbola: *Apostolicum*, quod Apostoli condidere; *Nicaenum*, in Concilio Nicaeno compositum an. 325; *Constantinopolitanum*, in Constantinop. Concilio an. 381 editum; et *Athanasianum*, quod S. Athanasio tribuitur. Symbola Apostolicum, Nicaenum et Constantinopolitanum inter se non discrepant, nisi quatenus haec duo uberius explicant ea quae in Symbylo Apostolico ab Arianis et Macedonianis oppugnabantur. Cf. Bened. XIV, *n. 148* et *n. 158*. Quis omnium primus Symbolum Liturgiae inseruerit, incertum est. In Ecclesiis Orientalibus, in quibus haereses, quarum occasione factae fuerunt in Symbolo memoratae additiones, potissimum insurrexerunt, multo antequam in Occidentalibus, Symbolum in Missa recitari coeptum fuisse testatur Theodorus Lector. Quo tempore postea praecise Symbolum in Missa coeptum sit recitari apud Romanam Ecclesiam, quaestio est circa quam in diversa abierunt placita Auctores. Id juxta alios saeculo IX accidit, et juxta alios saeculo XI. Fornici, *cap. 25.*

2) „Cardinalis Bona assignat rationem cur in Missa modo recitetur Symbolum Constantinopolitanum, et ait, nullam aliam esse, nisi quia in ipso clarius exponuntur orthodoxi articuli ad profligandas haereses." Cav. *tom. 5, c. 12, n. 8.*

3) „Perfecte autem, ait S. Thomas *l. c.*, populus instruitur per doctrinam Christi in Evangelio contentam, quae a summis

(1) *In omnibus Dominicis,* sive de Dominica, sive de Festo Missa celebretur. Et ratio est, quia in Symbolo fit mentio Resurrectionis Christi quae recolitur omnibus Dominicis. Cf. dicta *tom. I, p. 352*, 2. Cs. Cav. *h. l. n. 15* cum Innoc. III. Ut autem Symbolum dicendum sit ad normam praesentis Rubricae, duo concurrere debent, nimirum: ut sit dies Dominica et celebretur Missa de Dominica, aut de Festo. Defectu prioris conditionis omittitur in Missa Dominicae anticipatae juxta *tit. XIV seq.;* et defectu posterioris, omittitur die Dominica in Missa Rogationum, cum Festum S. Marci in ea occurrit; dec. 25 Sept. 1688, n. 3020.

Quaeritur an dicendum sit *Credo* in Missis de Vigiliis *Nativitatis Domini* et *Epiphaniae*, dum cadunt in Dominicam?

Resp. cum Janssens, *h. t. n. 6.* „Gavantus, *h. l.* et *p. 4, tit. 3, n. 1 et 14,* repondet affirmative, cui astipulantur omnes Ritualistae, ait Merati, in suis Calendariis. Ratio videtur, quia Officium Vigiliae *Nativitatis* Domini a Laudibus est duplex, et illud de Vigilia *Epiphaniae* semiduplex. Adeoque et Missa de illis dicitur ritu Festis dup. et semidup. proprio; et hac ratione possunt dici Missae *de Festis quae in diebus Dominicis celebrantur,* in quibus diebus Rubrica concedit Credo." Cs. Cav. *tom. 5, c. 12, n. 18.*

(2) *Per Octavam* Resurrectionis, praeterquam in Missa Rogationum, in Festo S. Marci. Dec. 5 Jul. 1798, n. 3328, 17.

(3) *In Festo Corporis Christi ... In Festis B. M. V.* Cum Rubrica nominet *Festa* et *Octavas,* non est applicanda ad Missas de Officiis votivis, etiam duplicibus, SS. Sacramenti et B. M. V. Hinc, per dec. 26 Aug. 1752, n. 4078, 1, generatim denegatur Symbolum Missis Officiorum votivorum. Cs. dec. n. 4315. Sed dicitur in novis Festis Domini, ut de SS. Corde etc.

In Festis duodecim Apostolorum. „Hinc, inquit Janssens *h. l. n. 18,* si qui alii Sancti sint aut vocentur *Apostoli,* ut plures in Epistolis S. Pauli et in Martyrologio Romano (de quibus merito videndus est Ben. XIV, *l. 4, de Serv.*

Ministris legitur, scilicet a Diaconibus. Et quia Christo credimus tanquam divinae veritati .... lecto Evangelio, Symbolum fidei cantatur, in qua populus ostendit, se per fidem Christi doctrinae assentire. Cantatur autem hoc Symbolum in Festis de quibus fit aliqua mentio in Symbolo, sicuti in Festis Christi et beatae Virginis et Apostolorum (qui hanc fidem fundaverunt), et aliis hujusmodi."

Dei Beatif. p. 3, c. 11 n.), nullus eorum, vi tituli *Apostoli*, potest in Missa habere *Credo*, nisi illud ipsi aliunde sit debitum." Cavalieri tamen distinguit, et Symbolum titulo *Apostoli* tribuit Sanctis qui, praeter nomen, habent etiam Officium Apostoli, vi legitimae consuetudinis. Cf. adnotata *tom. I, pag. 440,* Bened. XIV, *l. c. n. 7,* et S. R. C. 21 Apr. 1646, n. 1407, 5.

(4) *In Festo S. Mariae Magdalenae.* „Ipsa namque, ut advertit Innocentius III, fuit Apostolorum Apostola, cum fuerit omnium prima, quae Resurrectionis gaudium nuntiavit Apostolis." Cav. *n. 22.*

(5) *In Festis S. Bernardi* ex dec. 20 Aug. 1830, n. 4510, et *S. Petri Damiani,* ex dec. 1 Oct. 1828, n. 4489, et insuper (novum Miss.) *S. Hilarii,* qui ex dec. 29 Mart. 1851, in universali Ecclesia colitur titulo Doctoris sub ritu dup.

(6) In die Octavarum S. Jo. Bapt. et S. Laurentii, propter Octavas infra quas occurrunt, scilicet SS. Apost. Petri et Pauli et Assumptionis.

(7) *In Anniversario propriae Ecclesiae,* et etiam Cathedralis, quia, ut arguit Cavalieri, *n. 28,* cum Guyeto, par est ratio: Symbolum scilicet in hoc Anniversario dicitur, non ratione localis circumstantiae, sed ratione ipsius Officii, ut in Dedicatione Basilicarum S. Salvatoris et SS. Petri et Pauli. Propter eamdem rationem recitandum etiam est in aliena Ecclesia, si Missa celebretur conformis proprio Officio de hujusmodi Anniversario. — Verba autem, *propriae Ecclesiae,* adduntur in Rubrica, quia, inquit Janssens, *h. l. n. 33,* nemo, dum haec Rubrica fuit confecta, nisi propriae, de cujus gremio est, Ecclesiae Dedicationem (exceptis Basilicis S. Salv. et SS. Ap. Petri et Pauli) celebrare poterat.

(8) *In Festis Sanctorum quibus dedicata est Ecclesia.* Hic agitur de *Patronis* Ecclesiarum; infra vero, de Patronis principalibus (dec. 22 Aug. 1744, n. 4011, 10) locorum et de Titulis Ecclesiarum. Cf. pt. Cav. *n. 56.* Quid sit Titulus, Titularis, aut Patronus; qui, quot et quomodo constituantur etc., dictum est *tom. I, sect. III, tit. I, 1.* De Titulo Oratorii publici agitur *ibid. tit. IX, 3.*

(9) *Et ubi habetur Corpus* etc. De Officio recitando ratione Reliquiae dicitur *tom. I, p. 96* et *132.*

Quod vero attinet ad Symbolum recitandum ex praerogativa Titularis aut Patroni, vel ratione Reliquiae, quae-

ritur 1° ubi, 2° in quibus Festis sit dicendum, et 3° an infra Octavam?

R. Ad 1, distinguendo an Sacerdos celebret in propria vel in aliena Ecclesia, in proprio loco aut alibi. Si celebret in propria Ecclesia, in proprio loco, nulla est difficultas (cf. pt. dec. 6 Sept. 1845, n. 4886); secus autem si extra propriam Ecclesiam, extra proprium locum, celebret, quando recitavit Officium de Titulari suae Ecclesiae aut de Patrono loci proprii. Juxta Cav. *l. c. n. 29* et *33* [1], Janssens, *n. 41 sq.*, Deherdt, *n. 31, annot. 4*, 3°, aliosque, Symbolum in casu foret omittendum, quia in hac Rubrica indicitur ratione celebritatis; quae celebritas non habetur extra propriam Ecclesiam, extra proprium locum. Attamen ex dec. 11 Apr. 1840, n. 4731, 6, videtur posse dici arbitrio Sacerdotis. Secus autem, ex eodem decreto, quando Symbolum dicitur ratione Reliquiae: tunc enim omittendum est extra propriam Ecclesiam.

Notandum est sententiam Cavalerii et aliorum non probari ex decretis 23 Mart. 1709, n. 3655, 1, et 6 Sept. 1845, n. 4886: ibi enim exprimitur regula generalis, juxta quam *Credo* non dicitur extra Ecclesiam Titularis, ab iis qui non sunt de gremio; quae regula, juxta dec. cit. n. 4731, 6, non comprehendit casum quo quis de gremio Ecclesiae alibi celebret: si enim hic casus comprehenderetur, de illo mentionem faceret praefatum decretum, sicuti de casu quo Symbolum recitatur ratione Reliquiae.

Resp. Ad 2. Quando habetur insignis Reliquia alicujus Sancti, non videtur distinguendum an Festum sit primarium aut secundarium: Rubrica enim requirit tantum, ut recitetur Officium talis Sancti. (Cs. Deherdt; contradicit Cav. *l. c. n. 55.*) Et propter eamdem rationem dicendum erit in Festis Beatificatorum dumtaxat, quorum in Ecclesia habentur insignes Reliquiae. Cs. Deherdt etc. In Festis autem Titularium aut Patronorum quae non gaudent praerogativa Titularis aut Patroni ut, v. g. in Festis secunda-

1) „Quod si Patronorum principalium Missam extra locum, vel regnum, ubi sunt Patroni, contingeret celebrari, haud refragarer sine Symbolo esse faciendam, quemadmodum dicebamus de Titularibus, quorum celebritas, quia non protenditur extra Ecclesiam propriam, seu cujus sunt Titulares, eorum Missa sine Symbolo fieri debet, si extra eamdem Ecclesiam habeatur; quae omnia late confirmata remanent per sequens decretum.“ Agitur hic de dec. 22 Aug. 1744, n. 4011, 10.

riis, non dicitur Symbolum, juxta dec. 11 Mai. 1743, n. 3994, 6. Cf. Cav. *n. cit.*

Quod ad Beatos attinet, Cav. *l. c. n. 61,* docet de illis idem esse resolvendum ac de Sanctis, si Officium legitime de illis instituatur ratione Tituli, Patroni aut insignis Reliquiae.

Resp. Ad 3. Affirmative, cum Janssens *n. 75,* Cav. *n. 65* et communi. Et ratio est, quia Octava est ipsius Festi continuatio.

(10) *In die et in Anniversario etc.* Quod intelligendum est de Missa solemni tantum. Dec. n. 4762, 1.

(11) *Item in omnibus Festis etc.,* quamvis de Octava non fiat Commemoratio. Janss. *n. 55.* Cum hic nominentur Festa et non Feriae, inde concludendum est cum Janss. *n. 59 sqq.* Missas feriales, quae celebrantur infra aliquam Octavam communem, non habere Symbolum.

(12) *Non autem alicujus Capellae etc.* Poterit tamen dici *Credo,* alia ratione, nimirum, si Missa solemniter celebretur ratione concursus. Dec. n. 2011.

(13) *In Festis principalibus Ordinum.* Agitur tantum de Festis Fundatorum Ordinis. Dec. n. 4623, 3. Cs. dec. n. 4964, 3.

In Ecclesiis tantum illius Ordinis. Quae verba, etsi clara, diverso tamen sensu accipiuntur. Et dissensio inde oritur quod alii affirmant ea esse applicanda etiam ad casum, quo Regularis extra propriam Ecclesiam celebret; alii vero id negant.

Ea ita exponit Guyetus, *lib. 3, c. 28, q. 3, 5°.* „Quod autem addit Rubrica. *In Ecclesiis tantum illorum Ordinum,* sic explicat Caeremoniale monasticum *lib. 3, c. 13, n. 26,* ut non de Regularibus Ordinis dictum intelligatur, quibus utique, etiam extra suas Ecclesias celebrantibus, Symbolum in suis festivitatibus recitare fas est; sed de aliis qui celebrant Missam de Patrono Ordinis, cujus ipsi non sunt membra. Hi enim non debent dicere Symbolum, nisi celebrent intra Ecclesiam ejusdem Ordinis.“ Cs. Janss. *n. 84.* „Verum, inquit Cav. *l. c. n. 38,* cum Festa hujusmodi, non minus ac Festa Titularium et Patronorum, Symbolo, ratione Solemnitatis, donentur, idcirco in pari causa, tu idem judicium facito; ac consequenter, quod sicuti Titularium et Patronorum Festa extra propriam Ecclesiam vel locum sine Symbolo celebranda esse diximus, ita et allegata

Festa extra Ecclesias Ordinum, a quocumque Missa celebretur; et praesertim quia in nostro casu limitationem praedictam diserte habet Rubrica, ubi nihil ejusmodi tenet, ubi agit de Festis Patroni vel Tituli."

Idem revera videtur resolvendum ac de Festis Titularium, quia utrisque Festis Symbolum tribuitur ratione Solemnitatis seu circumstantiae localis. Haec tamen verba, *in Ecclesiis tantum illius Ordinis*, quaestionem non solvunt; supponunt enim Sacerdotem celebrare in propria Ecclesia, quasi diceretur: propter hanc rationem, Symbolum non est recitandum in omnibus Ecclesiis ubi aguntur Festa de praedictis Sanctis, sed tantum in Ecclesiis illius Ordinis. Quid autem agendum sit Regulari in aliena Ecclesia celebranti, traditur dec. gen. 25 Sept. 1706, n. 3505, 1; et dec. 18 Dec. 1779, n. 4246, 7, juxta quod recitari potest Symbolum. Cf. dec. 11 Apr. 1840 cit. et dicta p. 29 sqq.

(14) *In Missis votivis quae solemniter etc.* Talis est quae indicitur occasione XL Hor. aut Adorationis perpetuae. Pariter dicitur in Missa quae celebratur, juxta *tit. VI*, ob concursum populi. Dec. n. 2011 et 2390, 3. In casu autem dicitur non praecise propter concursum, sed propter Solemnitatem. De Missa Solemnitatis translatae ad Dom., quaestio esse non potest, tum quia Festum de quo celebratur habet Symbolum, tum quia in Dominica celebratur.

In Dominica. Extra Dominicam omittitur in Votivis quae celebrantur in paramentis violaceis.

Memoriae juvandae causa, circa Symboli recitationem in Festis Sanctorum, excogitatae sunt sequentes regulae: *DA credit; MUC,* per se, *non credit.* Per *Da* intelliguntur Doctores et Apostoli; per *MUC*, Martyres, Virgines et non Virgines, atque Confessores; subaudiendae autem sunt exceptiones, supra expressae.

TITULUS XII.

DE OFFERTORIO, SECRETIS, PRAEFATIONIBUS, ET CANONE.

Offertorium, ita dictum ab *offerendo*, sumitur late et stricte. Nomine Offertorii late accepti ea omnia continentur, ait Ben. XIV, *sect. 1, n. 161,* quae fiunt a Sacerdote et Ministris, quaeque recitantur ab illis verbis *Dominus vobiscum*, usque ad clausulam secretae Orationis, cum Sacerdos elata

voce dicit *Per omnia saecula saeculorum*. Cs. Fornici *c.* 25 *fin.* In sensu autem strictiori, ut hoc loco, Offertorium idem sonat ac Antiphona [1], quam Sacerdos recitat, dicto *Oremus*.

1) De origine tam oblationis quam Antiphonae, sequentia scribit Bened. XIV, *l. c. n. 162.* »Id modo dicimus, eam Missae partem, quae Offertorium vocatur, ex eo nomen traxisse, quod Fideles veteri consuetudine panem et vinum in Sacrificii usum offerrent, ut observant Walafridus *cap. 22,* et Micrologus *cap. 10,* et quanquam usque ad 4 saeculum ejusmodi oblationis tempore nihil recitabatur aut canebatur; tamen in Ecclesia Carthaginensi a S. Augustini usque temporibus mos introductus fuit, ut interea versiculi aliquot canerentur ex Psalmis.« Tam oblationem quam Antiphonam, sic exprimit Ordo Romanus II. »Transit deinde Sacerdos ad suscipiendas oblationes, interim cantores cantant Offertorium cum versibus, et populus dat oblationes suas, id est, panem et vinum, et offerunt cum fanonibus candidis, primo masculi, deinde feminae.« Ap. Cav. *l. c. cap. 13, n. 1.* »Quae oblationes, inquit Cav. *l. c.,* non fiebant indiscriminatim in omnibus Missis et Ecclesiis, sed solummodo in Missis publicis, et solemnibus, et in Ecclesiis majoribus, Titularibus seu Matricibus ad quas totus populus iisdem subjectus, cujuscumque esset gradus, sexus vel professionis conveniebat, atque communicabat; tunc namque offerre et communicare erant correlativa. In Missis autem privatis, sicut populus non communicabat, ita nec offerebat, et ideo materia consecrationis ad eas aliunde deportabatur.... Ubi desierunt oblationes, Offertoria quoque abbreviata fuere, atque redacta ad simplicem Antiphonam, qualis nunc legitur, uno excepto Offertorio Defunctorum Missae, quod cum suo versu ad nos usque pertransiit.« Praefati Offertorii duplex expositio datur et refertur a Bened. XIV, *l. c. n. 162 sqq.* »In Missa Defunctorum, ait *n. 163,* habetur Offertorium in Responsorii modum compositum cum suis versibus, ubi sunt quaedam verba digna quae considerentur: *Domine libera animas omnium Fidelium defunctorum, de poenis Inferni, de profundo lacu, de ore leonis, ne absorbeat eas Tartarus, ne cadant in obscurum;* quibus verbis non pro iis rogat Ecclesia, qui perpetuis Inferorum poenis addicti sunt; neque ignorat, numquam futurum ut animae in Purgatorio detentae ad Inferos dejiciantur.« Et *n. 164* »quidam, inquit, considerant eam Antiphonam legi consuevisse, cum aegrotus aliquis in eo esset, ut jam jam amitteret animam; ac putant deinde Ecclesiam in Missis et funeribus mortuorum eam adhibere coepisse retrotrahendo preces ad punctum illud temporis, quo animae corporibus sunt egressae. Sed (subdit ipse *n. 166*), ut aliquid statuamus, dicendum videtur, Ecclesiam, ea Antiphona seu Offertorio in Missis Defunctorum, Purgatorii poenas intelligere, et Purgatorium ideo Infernum appellare, quod idem utrobique sit ignis; orare ut animae liberentur *de pro-*

Rub. 1. Post Symbolum, vel, si non sit dicendum, post Evangelium dicitur *Dominus vobiscum, Oremus;* deinde Offertorium. Postea fit oblatio cum Orationibus, ut in Ordine Missae. Qua oblatione facta, dicuntur Orationes secretae (1), secundum numerum Orationum, quae clara voce in principio dictae sunt: sed ante primam Orationem non dicitur *Dominus vobiscum* (2), nec aliquid aliud, sed dicto *Suscipiat Dominus sacrificium,* absolute dicuntur; neque etiam ante secundam Orationem dicitur *Oremus* (3). Terminantur autem prima et ultima Oratio, ut dictum est supra in Rubrica de Orationibus: et secreto dicuntur usque ad illa verba in conclusione, *Per omnia saecula saeculorum,* quae clara voce proferuntur, et incipitur Praefatio.

(1) *Orationes secretae,* ita vocantur quia secreta voce dicuntur. Congruum est, inquit Fornici *c. 27,* ut dum Fideles satagunt opportunum gratiae auxilium Sacerdoti impetrare, Sacerdos ipse Fidelium vota, et sua Deo sub silentio commendet.

(2) *Non dicitur Dominus vobiscum.* „Jam enim dixit sacerdos, *Dominus vobiscum* et *Oremus,* ante Offertorium: quae salutatio et invitatio olim erat ordinata ad Orationem secretam, et ante illam ab Offertorio nulla prorsus interponebatur Oratio, ut notat Micolog. *cap. 11,* secundum usum Romanum. Orationes enim quae nunc dicuntur in Oblatione, habent originem a Gallicana Ecclesia.“ Gav.

(3) *Neque dicitur Oremus,* tum quia dictum est ante Offertorium, tum quia ejus vice proxime ante dicitur *Orate fratres,* Gav.

Rub. 2. Praefationes (1) autem dicuntur, ut in Ordine Missae (2) annotatum est: et quae in Quadragesima, tempore Passionis, et Paschali, et infra Octavas propriae assignantur (3), dicuntur etiam in Dominicis, et Festis (4), quae illis temporibus celebrantur, nisi illa Festa propriam Praefationem habeant (5).

(1) *Praefationis nomen et origo.* „Praefatio, inquit

fundo lacu, et de ore leonis, hoc est de carcere illo subterraneo, ubi justorum animae expiantur: denique Ecclesiam a Deo petere, ne absorbeat eas tartarus, ne cadant in obscurum, id est, ne in illo tenebricoso carcere tot cruciatibus conflictatae diutius detineantur; atque ita orationem illam intelligendam post Azorium probat Valentia, *tom. 3, disp. 6, art. 2, punct. 8. . . .*“ Cs. Cav. *l. c. cap. 13, n. 3.*

Ben. XIV, *l. c.*, ex eo etymologiam trahit, quod sacro praeeat Canoni ac praeparatio quaedam sit ad Sacrificium... Gav. Card. Bona, Meratus aliique melioris notae viri docti.... docent Praefationis institutionem vel sanctis Apostolis, vel Apostolicorum temporum viris esse tribuendam."

(2) *In Ordine Missae* undecim habentur Praefationes, nempe: 1ª de Nativ. Dom., 2ª de Epiph., 3ª Quadragesimalis, 4ª de Cruce, 5ª Paschalis, 6ª de Ascens. Domini, 7ª de Pentecoste, 8ª de SS. Trinitate, 9ª de B. M. V., 10ª de Apostolis, et 11ª tandem communis. In Ordine Missae et locis propriis notatur quandonam unaquaeque sit dicenda.

(3) *Et infra Octavas propriae assignantur.* In die Octava S. Stephani non assignatur Praefatio Apostolorum, sed de Nativitate. Cf. Cav. statim citand.

(4) *Etiam in Dominicis et Festis.* Feriae non nominantur, quia in eis regulariter Praefatio de tempore aut Communis. „In Missis tamen Feriarum et Vigiliarum, quae celebrantur infra Octavam propriam Praefationem habentem, et in quibus fit Commemoratio Octavae, dicitur quoque Praefatio Octavae, ut patet ex Rubrica in Missali posita 14 Decembris; si autem non fiat Commemoratio Octavae, ut ubi celebrantur duae Missae conventuales, dicitur semper de tempore vel communis, ut patet ex Rubrica posita 15 Decembris et dec. 23 Jun. 1736, n. 3895, 31. — Cav. *tom. 5. cap. 14, n. 60 et 62.*" Deherdt, *n. 32, II, 2°.*

(5) *Nisi illa Festa propriam, etc.* Habetur exceptio in Festo S. Joannis Apost., pro quo annotatur Praefatio de Nativitate, et non de Apostolis. Cf. pt. dec. 16 Feb. 1781, n. 4252, 3. De ratione hujus exceptionis, cf. Cav. *tom. 5, c. 14, n. 27 sq.*, cum Guyeto *ibi citato.*

Rub. 3. Si infra Octavam alicujus Festi, quod habet Praefationem propriam, occurrat Festum ex majoribus, non habens propriam Praefationem, dicitur Praefatio de Octava, quamvis de ea nulla fiat Commemoratio in Missa.

Rub. 4. In Missis votivis dicitur etiam Praefatio propria, si propriam habeant; si vero non habuerint, dicitur Praefatio de tempore, vel de Octava, infra quam contigerit hujusmodi Missas celebrari: alioquin [1] Praefatio communis. Et quando aliqua Missa votiva pro causa publica solemniter celebratur, dicitur in cantu solemni, ut in Dup. In Missis Defunctorum quocumque tempore, semper dicitur Praefatio communis.

(1) *Alioquin.* Non excipitur casus, quo Festum, illa die occurrens, habeat Praefationem propriam, ac proinde haec Praefatio praeferenda non est communi. Cs. dec. 2 Dec. 1684, n. 2924, 8; Janss. *h. l. n. 36 sqq.* et alii.

Rub. 5. In Dominicis per annum ([1]), quando non habetur Praefatio propria, dicitur Praefatio de Trinitate, ut annotatum jam est in Ordine Missae.

Haec Rubrica constituta est decreto gen. Clem. XIII, 3 Jan. 1759, et ideo non reperitur in antiquis Missalibus.

(1) *In Dominicis per annum,* scilicet extra tempora quae propriam habent Praefationem, juxta Rub. 2. Cs. dec. 18 Dec. 1779, n. 4246, 19.

Rub. 6. Post Praefationem incipitur Canon Missae secreto: in quo serventur omnia, ut in Ordine Missae. Ubi vero infra actionem *Communicantes* et *Hanc igitur,* vel alia variari contingit, suo loco in propriis Missis annotatur.

Quando infra Octavam assignantur *Communicantes* et *Hanc igitur* propria, dicenda sunt in omni Missa quae non est *de Requiem:* sive sit de Festo, dec. n. 560, 2, sive Votiva, dec. 16 Jun. 1663, n. 2076, 3, et quamvis Missa propriam habeat Praefationem et quamvis in Missa omittatur Commemoratio Octavae *(Rub. 3).* Et ratio est, quia, ut dicit dec. 16 Jun. 1663, *Communicantes* est proprium de illo tempore infra Octavam.

TITULUS XIII.

DE COMMUNIONE, ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM, ITE MISSA EST, VEL BENEDICAMUS DOMINO, DE BENEDICTIONE, ET EVANGELIO S. JOANNIS.

Rub. 1. Expleto Canone, et aliis omnibus usque ad Communionem, ea peracta, dicitur Communio ([1]), et Orationes post Communionem ([2]), eodem modo et ordine, ut in principio Missae: et repetito *Dominus vobiscum* ([3]), dicitur *Ite Missa est* ([4]), vel *Benedicamus Domino* ([5]), pro temporis ratione. *Ite Missa est* dicitur, quandocumque dictum est *Gloria in excelsis.* Cum non dicitur, ejus loco dicitur *Benedicamus Domino.* R. *Deo gratias.* In Missis Defunctorum dicitur *Requiescant in pace.* R. *Amen.*

(1) *Communio,* id est Antiphona, quam recitat Celebrans, peracta Communione. „Eo quia olim in actuali Populi communione alternatim in signum laetitiae et gratiarum actionis canebatur Psalmus, praecipue 33, *Benedicam Do-*

minum in omni tempore, uti refert S. Clemens *lib. 8, Constit. Apostolic. cap. 13,* Antiphona haec *Communio* nuncupatur; cantus autem versiculorum praedicti Psalmi continuabatur usque dum, absoluta adstantium communione, diceretur *Gloria Patri, etc.* quoque cum cantu, ac procederetur ad illas Orationes canendas, quae persolvebantur immediate post Eucharistiae distributionem, qua ratione *Postcommunio* inscribebantur.« Cav. *cap. 25, n. 1.* Hunc Ritum S. Thom., *part. 3, q. 83, art. 4,* confert cum Hymno a Christo et Apostolis dicto post Coenam [1].

(2) *Orationes post Communionem* inscribuntur *Postcommuniones.* „Dicuntur autem, inquit Cavalieri *l. c. n. 2,* ad gratias Deo Altissimo peragendas pro tantis mysteriis, quorum nos benigne participes esse concessit; et ad postulanda simul auxilia quibus eorumdem mysteriorum fructum conservemus, et sanctificationem nostram pro viribus semper magis ac magis operemur.«

(3) *Dominus vobiscum.* „Hanc ultimam salutationem populo exhibet Sacerdos, antequam istum abire sinat, cupiens ut recedentes a Templo, a Domino non recedant...« Cav. *l. c. n. 3.*

(4) *Ite, Missa est.* Horum verborum sensus est: Vobis abire licet, nam fit Missa, id est dimissio. Bened. XIV, *op. c. n. 388.* Hae vel similes voces duplici vice olim proferebantur in SS. Missae Sacrificio, et nomen *Missae* originem habuisse videtur, ut dictum est *pag. 8,* ab ultima [2] dimissione, de qua in h. t., et quae olim fiebat etiam his verbis: *Ite in pace.* Cf. Cav. *h. l. c. 25, n. 4.* Ante hanc dimissionem olim non licebat Fidelibus ab Ecclesia discedere, ut videre est, inquit Cav. *l. c.,* in Concilio Agatensi, *cap. 47,* et Aurelianensi, *cap. 28 de Consecr.*

(5) *Vel Benedicamus Domino ... Requiescant in pace.* Hujus discriminis „ratio est, inquit Cav. *l. c.,* quia olim cum expleta Missa populus ab Ecclesia abibat, Celebrans in fine dicebat, *Ite Missa est;* quando vero absoluta Missa,

1) „Ultimo autem, inquit S. Doctor, tota Missae celebratio in gratiarum actione terminatur, populo exultante pro sumptione Mysterii (quod significat cantus post Communionem) et Sacerdote per Orationem gratias offerente, sicut et Christus, celebrata Coena cum discipulis, Hymnum dixit, ut dicitur Matthaei vigesimo sexto.«

2) „Altera dimissione, inquit Ben. XIV, *n. 68,* Diaconus Catechumenos et Infideles post Evangelium et Concionem dimittebat.«

populus adhuc tenebatur Horarum canonicarum recitationem exspectare; potius quam illum dimittere, hunc cohortabatur sistere ad gratias ibi de expleto Sacrificio Deo agendas verbis illis, *Benedicamus Domino*, hoc est prosequamur adhuc ad Deum benedicendum. Eadem prorsus de causa *Ite Missa est* omittitur in Defunctorum Missis, quia scilicet expleta Missa adhuc supererant absolvenda pro Defunctis suffragia; unde Diaconus illis verbis, *Requiescant in pace*, adstantes excitabat, ut Orationibus insisterent ad requiem Defunctis a Deo impetrandam.“ Cs. Bona *ap. Merati*. Bellarminus vero, *lib. 2, de Missa c. 27,* ait: videtur nescio quid lugubre praeseferre, quod non publica denunciatur dimissio, sed unusquisque per se discedit. *Ap. Merati.*

Rub. 2. Dicto *Placeat,* datur Benedictio (1); quae a Celebrante semper datur in Missa, praeterquam in Missis Defunctorum. Deinde legitur Evangelium S. Joannis, *In principio* (2), praemisso *Dominus vobiscum*, et *Initium*, ut moris est; quod Evangelium numquam praetermittitur in Missa (3), nisi quando fit de Festo in aliqua Dominica vel Feria (4), quae habet Evangelium proprium, quod legitur ejus loco. Excipitur Dominica IV Adventus, cujus Evangelium non legitur in fine Missae, quando in ea occurrit Vigilia Nativ. Domini, quia nec in Officio lectum est. In tertia (5) Missa de die Nativitatis Domini legitur in fine Evangelium de Epiphania, *Cum natus esset Jesus.* Et in Dominica Palmarum in Missis privatis (6) legitur Evangelium, quod ponitur in benedictione Palmarum, quod etiam lectum est in Officio. In Vigiliis (7), quae occurrunt in Quadragesima, vel Quatuor Temporibus, non legitur Evangelium Vigiliae in fine Missae. Et similiter in Missis votivis (8) numquam legitur in fine aliud Evangelium, nisi S. Joannis.

(1) *Datur Benedictio.* Quae Benedictio refertur, a Cavalieri cum Porrecta, ad eam quam Christus Dominus in coelum ascendens impertivit Apostolis suis, ut habetur, Lucae ultimo, *Elevatis manibus benedixit eis.* Ex quo infertur, prosequitur Cav. *l. c. c. 25, n. 7,* quam graviter in hac impertienda benedictione sese gerere debeat Celebrans, reminiscens, quod hic agit tanquam si esset Domini sui manus, quae benedictionem hanc impertiret. . . .

(2) *Legitur Evangelium S. Joannis.* „S. Pius V, inquit Merati *n. 6,* in sua reformati Missalis Romani editione,

dictum S. Joannis Evangelium regulariter legendum esse praescripsit ad jugem recordationem Incarnationis Verbi Divini; de quo fusim Suarez, *disput. 83, sect. 1;* antea vero sine certa lege ex sola consuetudine a quibusdam dici, ab aliis vero omitti pro cujusque arbitrio solebat."

(3) *Numquam praetermittitur.* Huic generali regulae statim apponuntur nonnullae limitationes, quarum 1ª occurrit *quando fit de Festo in aliqua Dominica* etc. „Tunc ejus loco legitur Evangelium, quod in Officio lectum est pro 9 lectione, ut Missa concordet cum Officio, et nullum Evangelium in Missali positum praetermittatur, quin aliquo modo publicetur Populo in Missa, saltem per Commemorationem in fine Missae." Gav. Secus si Missa non sit *de Festo,* sed vel de Vigilia, vel Votiva, ut infra tradit Rubrica.

Excipiendae non sunt Missae quae celebrantur *de Festo* translato ad normam *tit. VI,* vel de Festo suppresso per indultum an. 1801. Illae enim Missae, uti jam dictum est, sunt revera festivae seu de Festo, et hoc tantum commune habent cum Votivis, quod celebrantur extra ordinem Officii, id est de Festo, cujus Officium non recitatur illa die; et ideo dicuntur celebrari *de Festo, more votivo.* Quoad Missam Solemnitatis translatae, probatur ex resp. 12 Aug. 1854, *in Lucionen. ad 7.* Nec obstat quod in hoc 7° dubio habetur verbum *potest,* non vero *debet.* Nam *a)* illud *potest* non fuit appositum a S. C., sed ab Oratore, et *b)* insuper nullatenus infirmat illationem quam deducimus ex Responso S. C. Etenim si in casu legi potest Evangelium Dominicae, eo ipso legendum est, quia tunc non datur locus exceptioni, ac proinde servanda est regula generalis. Cf. dicta *pag. 34 sq.* Supponitur tamen fieri Commemorationem Dominicae; secus enim, si haec omittitur, puta si cantatur Missa conformis Officio. Responsum cit. militat etiam pro Missa de Festo translato: eadem enim est utriusque Missae ratio: utraque scilicet ordinatur *ad Solemnitatem in populo recolendam.*

(4) *In aliqua Dominica* etc. „Dicitur etiam Evangelium S. Joannis in fine Missae de Festo, in quo nulla fit Commemoratio Feriae privilegiatae, ut in *tit. VIII,* 2, quando scilicet dicuntur duae Missae, de Festo et de Feria, sine utrorumque Commemoratione." Gav.

Vel Feria. Sub Feria comprehenditur etiam Vigilia,

puta occurrens in Adventu, extra IV Tempora. Dec. 16 Feb. 1781, n. 4252, 4.

(5) *In tertia Missa* etc. „Ne in eadem Missa legatur bis idem Evangelium, legitur illud Epiphaniae; quod et convenit Nativitati Christi, et in fine occasionem praebet adorandi cum genuflexione, ut ad ea verba: *Et Verbum caro factum est*, quando nimirum dicitur: *Et procidentes adoraverunt eum.*" Gavantus.

(6) *In Missis privatis*, quibus scilicet non praemittitur benedictio Palmarum, legitur Evangelium benedictionis. In aliis omittitur, ne bis legatur in eadem Missa.

(7) *In Vigiliis quae occurrunt* etc. Ratio hujus omissionis est, juxta Gav., quia Evangelium Vigiliae non fuit lectum in Officio. Hanc autem rationem non admittit Janssens *h. l. n.* 28: et revera Evangelium Vigiliae legitur in Missa de Festo IX LL. occurrente in Adventu extra IV Tempora, quamvis lectum non fuerit in Officio. Juxta Janssens ratio non consistit in mera omissione Evangelii in Officio, sed in ipsa Officii natura, illius Evangelii lectionem respuentis, utpote habentis nonum responsorium.

De Vigiliis occurrentibus in Adventu nulla fit mentio, quia in casu Missa celebratur de Vigilia.

(8) *In Missis votivis*. „Quia Votivae discordant ab Officio, cujus Evangelium vel nobiliori loco legendum est, vel omittendum." Gav. Quoad Missas, de Festo celebratas more votivo, vide adnot. 3.

TITULUS XIV.

DE ORDINANDA MISSA EX SUPRADICTIS RUBRICIS.

Rub. Supradictis Rubricis (1) cognitis, si quis velit ordinare Missam diei, recurrat ad Ordinarium Missarum (2) de Tempore vel de Sanctis, secundum qualitatem Officii. Si proprium non habeat, recurrat ad Commune Sanctorum. Si de Feria agendum sit, et propria Missa non fuerit de Feria, dicatur Missa praecedentis Dominicae, omissis *Gloria in Excelsis* et *Symbolo*, praeterquam Temp. Pasch. in quo semper dicitur *Gloria in Excelsis*, ut supra, excepta Missa Rogationum: et in Adventu praetermittitur *Alleluia* post Graduale cum suo Versu. Si dicenda sit Missa votiva, requiratur post Commune Sanctorum suo loco (3). Si plures Orationes dicendae sint, requirantur post Missas votivas (4)

suo loco de singulis rebus singulae. Si pro Defunctis (5) dicenda sit Missa, habetur post Missas votivas, cum Collectis diversis circa finem Missalis. Ordo totius Missae, cum Praefationibus, Canone, et aliis dicendis, habetur suo loco, cum proprio Missarum de Tempore.

(1) *Supradictis Rubricis.* Agitur de ordinanda Missa juxta Missale Romanum, et quidem in propria Ecclesia. De prohibitione legendi Missas aut partes Missarum quae non reperiuntur in Missali Romano, neque sunt legitima consuetudine introductae, aut a S. Sede pro ipso Celebrante approbatae, actum est *pag. 27 sqq.;* ibi pariter dictum est quomodo ordinanda sit Missa Sacerdoti qui in aliena Ecclesia celebrat. De distributione Missalis sequentia adnotat Gavantus *h. t.* „Ex his colligitur Ordo Missalis quam optime constitutus sit; in quo primum habentur Missae de Tempore ab Adventu ad Pascha, a Paschate ad Adventum: hae sunt Missae, ut ita dicam, de vita Christi per annum distributae. Deinde Missae de Sanctis, ab Adventu item ad Adventum, sive finem Novembris, et hae sunt propriae. Tunc Commune de iisdem. Quarto loco Votivae, et pro variis necessitatibus. Postremo loco pro Defunctis, qui extremum in pace clauserunt diem. Canon vero medium Missalis jure occupat locum cum Ordine Missae, qui communis est omnibus Missis.“ Cf. *Prooem. pag. 1.*

(2) *Ad Ordinarium Missarum,* vel ad calcem Missalis, si agatur de Missis propriis alicui Ecclesiae etc., aut de recens concessis.

(3) *Votiva ... suo loco.* Si autem non habeatur inter Votivas, tunc sumatur Missa de Festo, saltem si de Sanctis agatur, et mutentur mutanda, juxta dicta *tit. IV.*

(4) *Requirantur post Missas votivas,* ubi apponuntur *Orationes diversae.* Possunt tamen quandoque aliae sumi Orationes juxta dicta *tit. IX.* Quando Orationes dicendae, duplici loco reperiuntur, puta inter diversas et in corpore Missalis, ut v. g. Or. SS. Sacramenti et *A cunctis,* tunc ad commodiorem usum sumatur e loco qui vicinior est Missae in qua dicuntur.

(5) *Si pro Defunctis.* Missae Defunctorum ad commodiorem usum Celebrantis seorsim impressae sunt et Collectae in parvo Missali. Hujusmodi Missale, non secus ac Missale integrum, cudi nequit absque approbatione; si tamen haec omissa fuerit, suppleri potest, ut traditur *tom. I, pag. 112 sq.*

TITULUS XV.

DE HORA CELEBRANDI MISSAM.

Rub. 1. Missae privatae celebrantur ab aurora ad meridiem. Sed initium aurorae ac tempus meridiei *a)* determinandum est *moraliter*, et *b)* praeterea quaedam indulgetur moralis latitudo, puta 20 minutorum. Causae excusantes. — *Rub. 2 ad 5.* Ordo celebrandi Missam conventualem. Exceptio pro unica Missa solemni in Natali Domini. Exceptio non extenditur ad alias Missas, neque ad distributionem S. Synaxis: praxis contraria est abusiva; ubi autem viget, cum prudentia et circumspectione est procedendum.

Rub. 1. **Missa privata saltem post Matutinum et Laudes quacumque hora ab aurora usque ad meridiem dici potest.**

1. *Post Matutinum et Laudes quacumque hora.* Pro Missis privatis, secus ac pro Missis conventualibus, nulla praefinita est hora: sufficit ut celebrentur, post Matutinum et Laudes, intra tempus assignatum, nempe ab aurora ad meridiem. De obligatione recitandi Matutinum et Laudes ante Missas privatas agitur *sect. III, tit. I.* Sed circa tempus celebrandi Missam privatam, hic nonnulla sunt exponenda, videlicet: quid sit aurora; qua ratione et latitudine hic accipiatur tam aurora quam meridies; qua de causa liceat incipere ante auroram aut post meridiem.

I. Per auroram, seu crespusculum matutinum, intelligitur *a)* quaedam imperfecta claritas, paulatim crescens, qua gradatim de tenebris noctis transitus fit ad lumen diei; et *b)* ipsum tempus quo durat hujusmodi claritas, tempus scilicet quod currit a fine noctis ad initium diei seu ad ortum solis; hocque tempus accipitur vel juxta strictam et physicam determinationem, vel juxta communem hominum aestimationem, et cum aliqua morali latitudine. Dicta claritas initio vix a nocte distinguitur, et in fine fere confunditur cum die, in quem desinit. Producitur autem per radios solis, nondum orti, ad nos imperfecte transmissos, mediante, uti dicunt, *refractione,* et maxime *repercussione.*

Qui primi radii, juxta sententiam communiter receptam [1],

1) Quidam, loco gradus 18^{i}, alios assignarunt v. g. 24um, 16um. Unde necesse est, ut notabiliter discrepent in definiendo aurorae initio, ita quidem ut juxta hos multo citius adveniat, et juxta illos multo tardius. Sed moderni Astronomi calculum non

tunc ad nos perveniunt, quando sol attingit gradum 18[um] infra horizontem. Unde *a)* dantur loca, ubi, certis anni temporibus, non habetur aurora [1], et *b)* illius tempus variat, pro varietate locorum et temporum. Ad dignoscendum initium physicum aurorae, variae confectae sunt tabellae, ratione habita latitudinis locorum. Tabellae hujusmodi, quas, circa medium saec. 17, pro Italia (id est, pro gradibus 39—42 latitudinis) confecit Theodosius de Rubeis, exhibentur a Gavanto *part. V;* ad alia tamen loca applicari non possunt nisi habeatur ratio locorum et modi computandi diem in Italia, ut explicat Merati *l. c.*

Apud Deherdt, *h. l. n. 36*, habetur tabella, accommodata ad latitudinem 51 graduum ac consequenter ad Belgium. Cum ea (ut mihi testatus est vir in scientiis mathematicis apprime versatus) confecta sit juxta communem sententiam, ideo fere integra hic exscribitur. Dico, *fere* integra, quia *a)* cum aurora non sit, in hac Rubrica, mathematice computanda, initium ejus non assignatur quinquies cum Deherdt pro singulo mense, sed bis, ter, quater aut quinquies, ratione habita minoris majorisve varietatis; et *b)* indicatur (col. 4[a]) varietas in initio aurorae ab una data ad alteram.

TABELLA INDICANS INITIUM AURORE AD LATITUD. 51 GRADUUM.

JANUARIO.				FEBRUARIO.			
Die	hora	cum minut.	Variet.	Die	hora	cum minut.	Variet.
3	5	58		7	5	21	16
15	5	49	9	19	5	1	20
26	5	37	12	25	4	51	10

adjiciunt hujusmodi opinionibus. Dicta tamen dissensio notanda hic est, quo melius intelligatur auroram, in praesenti Rubrica, non physice, sed moraliter accipi.

1) Ad regiones, ubi certis anni temporibus continuae sunt tenebrae aut lux, alludit *tit. X, 1, de defectibus,* dicendo, *ab aurora usque ad meridiem communiter.* Cf. S. R. C. in causa *Missalis Romani,* 18 Sept. et 2 Nov. 1634, n. 860. „Quoad regiones, inquit S. C., carentes aurora, intelligitur moraliter de tempore quod aequivalet, et correspondet aurorae, hoc est de exordio diei civilis, moralis et usualis, in quo homines diluculo surgere solent ad opera, juxta receptas et approbatas regionum consuetudines.“ Cf. caetera *ibidem.*

MARTIO.

Die	hora	cum minut.	Variet.
3	4	39	12
15	4	18	21
21	4	2	16
27	3	48	14

APRILI.

Die	hora	cum minut.	Variet.
2	3	33	15
9	3	19	14
15	2	59	20
21	2	42	17
27	2	24	18

MAIO.

Die	hora	cum minut.	Variet.
3	2	5	19
9	1	45	20
15	1	22	23
21	0	49	33
26	0	0	49

Cessat nox usque ad 19 Julii.

JULIO.

Die	hora	cum minut.	Variet.
24	0	51	
30	1	22	31

AUGUSTO.

Die	hora	cum minut.	Variet.
5	1	45	23
11	2	6	21
18	2	29	23
24	2	45	16
30	3	2	17

SEPTEMBRI.

Die	hora	cum minut.	Variet.
5	3	19	17
11	3	33	14
18	3	50	17
24	4	10	20

OCTOBRI.

Die	hora	cum minut.	Variet.
5	4	28	18
17	4	52	24
29	5	12	20

NOVEMBRI.

Die	hora	cum minut.	Variet.
11	4	32	20
23	5	45	13

DECEMBRI.

Die	hora	cum minut.	Variet.
5	5	55	10
28	6	3	8

II. Hucusque exposita pertinent ad auroram physice et stricte acceptam, de qua non est intelligenda praesens Rubrica: hic enim agitur de aurora et meridie moraliter et late acceptis, ut notatur cum Ben. XIV [1]. Cf. Quarti, *h. t. dub.* 2.

1) „Decessores nostri, inquit Bened. XIV, *Inst. 13, n. 12,* tabulam proposuerunt, in qua aurorae, meridiei ac vesperae tempus, et ipsae minutissimae horarum partes accurato studio describuntur; sed cum, pro Ecclesiae praeceptis observandis, horas juxta proborum hominum opinionem metiri satis sit; et cum plurimos religio incesseret, et magnopere torqueret, eo quod aurorae, meridiei ac vesperae tempus juxta minutissimas horarum partes exacte designaretur; cum insuper Romae, aliisque in praeclaris Italiae civitatibus res tota in quadrantes digeratur, hanc tabulam in lucem edimus, quae initium aurorae, et meridiei, mediaeque noctis tempora moderetur." In dicta tabula varietas aurorae assignatur etiam per quadrantes.

Q. 1. Quid est aurora seu meridies moraliter et late accepta?

R. Cum aurora vel meridies dicitur *moraliter* et non physice accipi, hoc intelligitur in duplici sensu: 1° quatenus hujusmodi aurora seu meridies non significat illud physicum punctum, in quo physice occurrit, sed tempus medium, seu quoddam spatium morali aestimatione designatum, intra quod, fere saltem, reperitur praedictum punctum physicum; 2° quatenus neque haec ipsa moralis assignatio stricte servanda est, sed quamdam patitur latitudinem. Unde observari potest vocem *moraliter* in priori acceptione significare *non physice*, in posteriori vero, non tantum non physice, sed etiam *non stricte;* quasi diceretur: *a)* aurora seu meridies, de qua hic, non est punctum physicum, sed quoddam morale spatium, *b)* quinimo spatium, ita morali aestimatione assignatum pro aurorà vel meridiè, non est stricte et rigorose servandum, sed Missa incipi aut terminari potest paulo ante aut paulo post illud spatium, illud tempus medium.

Apud Auctores praedicta vox *moraliter* sumitur quidem duplici illo sensu; sed non raro uterque confunditur. Inde autem necessario oritur confusio et, partim saltem, dissensio in resolvendis casibus practicis, v. g. in assignanda materia gravi, uti videre est apud S. Lig. *Theol. mor. lib. 6, n. 346. Ibidem n. 341,* vox *aurora* et *meridies* sumitur in duplici illa acceptione morali. „Omnes, ait S. Doctor, conveniunt .... quod nulla sit culpa Missas terminare in aurora, et eas incipere parum ante meridiem; ratio, quia tempus tam aurorae, quam meridiei, non mathematice, sed moraliter accipiendum." Sensus enim est: tempus aurorae, *morali* quidem aestimatione assignatae, v. g. in tabella ab Ordinario edicta, non rigorose, sed cum quadam latitudine est servandum. Bened. XIV, cit. *in nota p. praec.* loquitur de priore sensu, seu de morali assignatione aurorae, meridiei et vesperae, et *sect. 2, n. 54 de Sacrif. Miss.* sequentia scribit de latitudine permissa pro servanda aurora, morali aestimatione assignata: „Aequitate quadam, ait, juxta eam quae etiam Romae viget praxim, tolerari solet, ut Missa horae triente ante auroram, et post meridiem celebretur, ut videre est *in Edicto nostro 13, Edit. Lat.,* atque etiam in nostro Edicto 68..." In hac 68 Inst. *n. 12,* loquendo de altera, scilicet 13, de utraque morali latitudine

sequentia profert: „In ipsa Inst. 13 tertiam horae partem ante auroram pro inchoandis Missis, exemplo Romanae Urbis, statuimus; absolvendas vero jussimus, cum tertia pars post meridiem effluxerit. Post idem Calendarium imprimi curavimus tabellam quae surgentis aurorae initium, ac meridiei tempus indicaret. ." Cf. *Inst. 13, n. 2 sqq.*

Q. 2. Quomodo dignoscitur tempus medium seu spatium morale aurorae vel meridiei?

R. 1° Per tabellam, jussu Ordinarii editam. Talis tabella, pro Clero Romano confecta, reperitur ad calcem Ordinis Officii divini ad usum illius Cleri. Ad calcem Inst. 13, Ben. XIV, legitur ea quam suo Clero edixit dictus Pontifex, dum erat Archiepiscopus Bononiensis.

R. 2° Deficiente hujusmodi tabella, recurrendum est ad aliam in qua tempus aurorae vel meridiei, physice sumptae, assignatur pro varietate temporum et locorum. Hoc autem tempus accipiendum erit, ut supra, cum quadam morali latitudine. Attendi etiam poterit communis hominum aestimatio et loci consuetudo.

Quantum sit peccatum transgressio hujus Rubricae, et quod tempus constituat materiam gravem, tradunt Theologi. Cf. Busembaum et S. Lig. *l. c. n. 345 sq.*, sed prae oculis habendum est agi de aurora et meridie *moraliter* et *late* accepta.

III. *Causae excusantes.* Dantur causae, propter quas Missa licite anticipatur aut differtur, et quidem plus minusve, pro qualitate causae. Vid. S. Lig. *l. c. n. 433.* „Communiter, inquit Deherdt, *h. l. n. 36, V,* allegantur sequentes causae.

„1. Necessitas communicandi infirmum, alioquin sine Viatico moriturum: quo casu post mediam quidem noctem posse celebrari plures censent. Si sit necessarium ut populus audiat Missam diebus praeceptis, alioquin eam non auditurus. Item si persecutionis tempore necesse sit ante auroram celebrare.

„2. Quaelibet justa et rationabilis causa, ut itineris, publicae supplicationis, funeris alicujus magnatis, concionis, collationis Ordinum, excusare potest ad celebrandum per horam ante auroram vel post meridiem.

„3. Consuetudo rationabilis, v. g. ut operarii et famuli summo mane possint audire Sacrum, antequam ad opera

sua pergant, uti in quibusdam locis obtinuit consuetudo tempore hyemali celebrandi ab hora quinta matutina."

Per consuetudinem rationabilem hic intelligenda non est consuetudo quae vim habeat praescribendi contra Rubricam, sed quae eamdem interpretatur, attenta praedicta rationabili causa. Hinc sequitur praefatam anticipationem esse licitam ratione ipsius causae, ac proinde, hac concurrente, permitti quamvis nondum existat consuetudo.

„4. Privilegium post Concilium Tridentinum concessum. S. Alph. de Lig. *lib. 6, n. 342.* Qui tamen hoc privilegio gaudet, *eo cautissime uti debet,* inquit Ben. XIV, *Inst. 13, n. 2.*

„5. Dispensatio Episcopi ex aliqua causa rationabili. *Quarti p. 1, tit. 15, dub. 5. — S. Alph. de Lig. loc. cit. n. 344, ad 7.*"

Quaeritur quare Missis privatis assignetur tempus ab aurora ad meridiem?

R. Datur tum ratio congruentiae naturalis, tum ratio mystica. 1° *Ratio congruentiae naturalis. Ab aurora,* quia tempus noctis occasionem praeberet multis incommodis et peccatis, et, quia generatim in nocte cum minori reverentia et devotione celebrarentur divina Mysteria. *Ad meridiem,* non tantum, inquit Deherdt, quia requiritur jejunium naturale, sed et ut tollantur confabulationes aliaeque irreverentiae post meridiem sequi natae. — 2° *Ratio mystica.* „Quia, ait Paulus III apud Ben. XIV cit. *Inst. 13, n. 2,* cum in Altaris Ministerio immoletur D. N. J. C. Dei Filius, qui candor est lucis aeternae, congruit, hoc non in noctis tenebris fieri, sed in luce." Cf. S. Th. *p. 3, q. 83, a. 2, ad 4.*

Rub. 2. Missa autem conventualis (1), et solemnis sequenti ordine dici debet. In Festis duplicibus et semiduplicibus, in Dominicis, et infra Octavas dicta in Choro Hora Tertia (2). In Festis simplicibus, et in Feriis per annum, dicta Sexta. In Adventu, Quadragesima, Quatuor Temporibus, etiam infra Octavam Pentecostes, et Vigiliis quae jejunantur, quamvis sint dies solemnes, Missa de Tempore (3) debet cantari post Nonam.

(1) *Missa conventualis* hic dicitur solemnis, quia celebratur in cantu et cum Ministris sacris, *tit. XVI, 3.* Agitur enim de Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis; non autem de Conventualibus, ubi Missa conventualis satis communiter legitur. Attamen ordo temporis hic assignatus pro

Cathedralibus et Collegiatis, laudabiliter servabitur in omnibus Ecclesiis Choralibus, juxta dicta *pag. 42.*

(2) Dictis Horis *Tertia, Sexta, Nona.* „Cujus rei ratio assignatur a D. Th. *p. 3, q. 83, a. 2, ad 3* et ab aliis communiter, quia decet Missam solemnem celebrare illis praecipue horis quae correspondent tempori praecipuorum mysteriorum Passionis Christi. Quia ergo Christus Hora Tertia damnatus fuit ad mortem, et linguis Judaeorum crucifixus, hora Sexta crucifixus fuit manibus militum, et hora Nona expiravit, ideo etc.“ Quarti *h. l.* Quare autem celebretur in Duplicibus etc., post Tertiam; in Simplicibus, post Sextam; in Adventu etc., post Nonam, explicatur apud Gavantum et praesertim apud Quarti *h. l.*

(3) *Missa de Tempore.* Si praeterea celebranda sit Missa de Festo, haec cantatur post Tertiam. *Tit. III, 1.* Si tres occurrant cantandae, vide Merati *h. l.*

Rub. 3. Missa autem Defunctorum dici debet post Primam [1] diei; ubi vero dicuntur eorum Vigiliae mane post Matutinum diei, dictis hujusmodi Vigiliis cum Laudibus, immediate dici potest Missa pro Defunctis. Sed in die Commemorationis omnium Fidelium defunctorum Missa conventualis dicitur post Nonam, quia eo die est principalis. In die autem Depositionis Defuncti, vel Tertio, Septimo, Trigesimo, aut Anniversario solemni, in quo fit concursus populi, poterit similiter dici ultimo loco post Nonam.

Rub. 4. Excipiuntur (1) ab hoc ordine dicendi Missam conventualem, Missae in Nativitate Domini, quarum prima dicitur post mediam noctem, finito *Te Deum laudamus* in Matutino; secunda in aurora, dictis Laudibus et Prima, tertia vero in die post Tertiam, vel ubi aliter ex dispensatione Apostolica disponatur.

(1) *Excipiuntur etc.* 1° Ordo dicendi Missam conventualem, praescriptus pro Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis laudabiliter servatur in aliis Ecclesiis Choralibus, ut dictum est *ad Rub. 2,* ac proinde etiam praesens exceptio. Cf. *dec. citand.* Pariter in eadem nocte permissa videtur Missa solemniter cantata in Ecclesiis Parochialibus

1) „*Post primam.* Properandum enim est in Suffragiis Defunctorum; at in diebus aliis, de quibus in hoc numero, recte post Nonam: tum quia discordat ab Officio: tum quia hora nona et ipse Christus emisit spiritum; tum quia hora nona (propter Christi mortem) moeroris est, ut in die jejunii.“ Gav.

vel Oratoriis publicis (nisi tamen aliter visum fuerit Ordinario loci); nulla enim apparet ratio, quare hujusmodi Missa solemnis permitteretur in Ecclesiis (publicis nempe) Regularium, ad exclusionem Parochialium, ad quas parochiani confluunt. „In Ecclesiis, inquit Deherdt, in quibus Officium publice non agitur, tres Missae solemnes eodem tempore (ut in Cathedralibus) laudabiliter celebrantur; lex enim non prohibet; adeoque horae statutae laudabiliter servantur: in pluribus tamen locis prima Missa solemnis celebratur summo mane, scilicet hora quarta aut quinta ad obviandum pluribus malis et excessibus, qui occasione Missae in media nocte non raro committuntur.“ *Part. V, n. 2, IV.*

2° Praesens autem exceptio, seu facultas cantandi Missam in nocte Nativitatis Domini, limitatur ad unicam Missam in qualibet Ecclesia. Aliae enim omnes dicendae sunt ab aurora, prout disponitur in hac et in 1ª Rub. Et cum agatur de Rubrica Missalis contra quam nulla consuetudo praescribere valet *(tom. I, pag. 41 sqq.)*, sequitur praxim legendi Missas aut plures cantandi ante auroram esse corruptelam, nullaque consuetudine cohonestandam, nisi accesserit S. Sedis approbatio aut tolerantia. Confirmari potest multis S. R. C. decretis. Cf. dec. 20 Apr. 1641, n. 1172, 7 Dec. 1641, n. 1213, 3 Dec. 1701, n. 3458. Cf. pt. alia decreta, in quibus idem resolvitur scilicet dec. n. 2654, 2820, 2956, 3499, 4255.

3° In citatis decretis (cf. praesertim n. 3458), eodem tenore declaratur prohibita S. Communionis distributio Fidelibus in hac sacratissima Nocte; et ratio est, quia regulariter S. Eucharistiae ministratio permittitur tantum, uti Missae celebratio, ab aurora ad meridiem. Cf. dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 37.

4° Generatim igitur in nocte Natalis Domini prohibentur et Missae, praeter unam solemnem, et S. Communionis distributio Fidelibus. Indulto tamen quandoque permittitur tum celebratio Missae privatae, tum distributio S. Eucharistiae. Sic quotannis solet hujusmodi indultum rogari et impetrari a Sanctitate Sua, pro Religiosis Urbis.

5° Quod vero attinet ad consuetudinem, ea numquam fuit a S. Sede approbata; quinimo constanter reprobatur a S. R. C. ut videre est in decretis supra citatis. Nihilominus paucis abhinc annis, quidam Episcopus, in cujus

Dioecesi ab immemoriali vigebat hujusmodi consuetudo, sui muneris pastoralis esse duxit a S. Sede exquirere an tollenda vel toleranda esset ista consuetudo; precibusque exceptis, res commissa fuit examini S. Congregationis Episcoporum et Regularium. Rescriptum est ad Episcopum Oratorem, pro ampliore informatione et voto, consultis etiam ad hoc Episcopis vicinis; deinde rationum momentis accurate pro et contra adductis, matureque, juxta morem, libratis, praefata S. C., mense Septembri 1851, rescribendum censuit: *Dilata.* Unde praedictae consuetudini applicari posse videntur ea quae Gardellini scribit n. 4444, 9 de simili rescripto, *Dilata*, a S. R. C. dato, de consuetudine ministrandi S. Synaxim infra Missas Defunctorum cum hostiis praeconsecratis, scilicet istam consuetudinem, ubi ab immemoriali existit, per se servari posse usquedum aliud statuatur a S. Sede. Dicitur tamen *per se*, quia accidere potest ut abroganda sit propter incommoda, quibus occasionem praebet, uti queritur Romsée, *tom. 3, a. 2, n. 13, in not. ad q. 1.*

6° *Tria consectaria.* Ex hucusque expositis tria fluunt consectaria. 1. Ubi non existit illa consuetudo, non potest introduci: constat siquidem eam adversari Rubricis, et incertum est an aliquando approbanda sit a S. Sede. 2. Ubi viget ab immemoriali, ad Ordinarium loci pertinet examinare quid magis expediat, vel eam penitus abolere, vel potius tolerare, praesertim in domibus religiosis, usquedum ab Apostolica Sede latum fuerit judicium definitivum; sed si toleretur, providendum erit ut praecaveantur amoveanturve incommoda inde sequi rata. 3. Parochi vero, aliive Ecclesiarum Rectores nihil innovent, inconsulto Superiore, et, casu occurrente, ei exponant rationes quae ipsis videntur aliquam postulare innovationem, seu reformationem. Cf. dicta *part. I, de abusibus tollendis aut tolerandis in Liturgia.*

7° Tribus Missis quae in Nativitate Domini celebrantur, indicantur tres ortus Christi, nempe in sinu Patris, in utero B. M. V., et in animis nostris, ut dictum est, *tom. I, p. 380,* cum Bened. XIV. Pariter mysterio non carent horae quae singulis Missis assignantur, uti explicat S. Thomas, *part. 3, q. 83, art. 2, ad 2.* Cf. Quarti, *h. l.* ubi, inter alia, sequentia habet: „Dici etiam potest, ex Telesphoro *de consecratione dist. 1, cap. nocte, primam* dici in nocte, quia

Christus natus est in nocte; *secundam* in Aurora, quia Pastores eadem hora creduntur adorasse Christum natum; *tertiam* clara luce, quia Deus visibiliter corporaliter apparuit."

Rub. 5. Missae votivae, quia non correspondent Officio, si solemniter celebrentur pro re gravi, vel publica Ecclesiae causà cum populi frequentia, dicantur post Nonam ([1]).

(1) *Post Nonam.* Si in casu Missa diei sit etiam cantanda post Nonam, haec ante illam cantetur. Cf. dec. n. 2698, 2. De usu cantandi Missam Conventualem, non servato ordine hic praescripto, et de casu quo hoc fiat propter Processionem in Festo SS. Corporis Christi, cf. pt. dec. 22 Jan. 1678, n. 2707, 5, 6, 7.

TITULUS XVI.

DE HIS QUAE CLARA VOCE, AUT SECRETO DICENDA SUNT IN MISSA.

Missa legitur voce clara et secreta; vox clara est alta vel media. — Ratio variandi vocem in Missa. — *Rub. 1.* Quae in Missa privata dicuntur clara (alta vel media), aut secreta voce. — *Rub. 2.* Quomodo legenda est Missa. — *Rub. 3.* Quae in Missa solemni cantanda sunt a Celebrante, a Choro vel a Cantoribus.

Rub. 1. In Missa privata ([1]) clara voce ([2]) dicuntur Antiphona et Psalmus ad Introitum, Confessio, et quae sequuntur, excepta Oratione *Aufer a nobis* et *Oramus te Domine per merita Sanctorum tuorum etc.* Item Introitus, *Kyrie eleison, Gloria in excelsis, Dominus vobiscum, Oremus, Flectamus genua, Levate,* Oratio vel Orationes, Prophetiae, Epistola, Graduale, Versus, Tractus, Sequentia, Evangelium, *Credo,* Offertorium, *Orate fratres,* solum haec duo verba; Praefatio *Nobis quoque peccatoribus,* solum haec tria verba. Item, *Per omnia saecula saeculorum etc.* cum *Pater Noster, Per omnia saecula saeculorum, Pax Domini, Agnus Dei, Domine non sum dignus,* haec quatuor verba tantum; Communio, Oratio vel Orationes post Communionem, *Humiliate capita vestra Deo, Ite Missa est,* vel *Benedicamus Domino,* vel *Requiescant in pace,* Benedictio et Evangelium *In principio,* vel aliud Evangelium. Alia omnia dicuntur secreto.

(1) In Rubricis h. t. duplex distinguitur vox, *clara* scilicet et *secreta.* Vox autem clara, quae etiam alta dicitur *(Rub. seq. et sect. 3, tit. VIII, 7)*, subdividitur in *simpliciter claram,* et in *mediocriter claram,* juxta Rub. 2. „Praeter

enim ea quae in Missa submisse dicenda sunt, alia recitanda sunt voce alta, et alia voce mediocri, et omnia haec ita elate recitari debent, ut a circumstantibus audiantur." S. Lig. *Th. mor. lib. VI, n. 415.* Illa in Missali nuncupatur clara, alta, intelligibilis; haec vero, submissa, mediocris, aliquantulum elevata. Sed notandum est vocem, *submissa*, non semper stricte accipi, et quandoque idem sonare ac *secreta*, ut hic in citatis verbis S. Alphonsi, et in Trid. cit. *pag. 14* (cf. Bened. XIV, *sect. 1, n. 373*), apud Janssens *h. l. n. 4,* et Quarti *infra cit.* Ad vitandam istam aequivocationem, in decursu hujus expositionis vox *submissa* sumitur in sensu stricto pro voce *mediocriter elata,* nuncupata etiam *media:* hoc enim nomine ea congrue designatur, cum medium teneat inter vocem altam et secretam. Vox autem simpliciter clara, seu alta, nuncupatur *clara.*

(2) Vox clara non quidem distinguitur a media per quamdam mathematicam mensuram; quae tamen sit clara, quae media, satis describitur in Rub. 2, juxta quam utraque potest, cum Janssens et communi, declarari sequenti aut aequivalenti modo: „Vox autem *simpliciter clara* seu *alta* (ut vocatur in Ordinario Missae post *Orate fratres*) est, quae commode a circumstantibus omnibus intelligibiliter audiri potest. Vox vero *minus* seu *mediocriter clara,* est uno tono depressa, sic ut a ministris, et aliquibus tantum circumstantibus percipi possit." Cf. dec. n. 4376, 14. Advertenda autem sunt verba *audiri potest* etc.; sufficit scilicet ut circumstantes audire, percipere valeant, secluso impedimento exteriori, v. g. secluso strepitu, tussi etc.

Quaeritur quare Ecclesia praecipiat, ut quaedam voce clara, nonnulla voce media, et alia voce secreta legantur in Missa?

R. Propter plures rationes, quarum aliae sunt de congruentia, aliae mysticae. Ratio generalis congruentiae affertur a Trid. *sess. 22, cit. supra pag. 14;* his nempe adminiculis Fidelium mentes ad divinarum rerum meditationem sustolluntur. Unde 1° publice orat Sacerdos, ut populus audiens instruatur, et primo auribus corporis verba Dei percipiat; et secreto, ut populus ea quae audivit, corde interius ruminet, ut melius se colligere possit et, juxta propriam devotionem, Deum deprecari. Quarti *h. l.* 2° Illa varietas in voce magis delectat, taediumque propellit, praesertim Ministro populove respondente Celebranti. 3° „Ne

11 *

ipsa verba in Sacrificio potissima assiduitate aurium vilescant: nam repetuntur in omni Missa et memoriae facile mandarentur: quod de Canone praesertim intellige..." Gav. cum Alcuin. Haec tamen ratio non est nimis urgenda. Cf. S. Lig. *l. c. n. 416 fin.* 4° Quaedam nec alta, nec secreta, sed media voce dicuntur, interdum ad varietatem, ut supra, aut ad majorem reverentiam exprimendam, v. g. *ad Sanctus,* et quandoque etiam ne perturbentur alii Celebrantes aut Cantores.

Variae rationes mysticae assignantur. „Sacerdos in altari, inquit Quarti *h. l.*, mystice repraesentat personam ipsius Christi Domini praesertim in Cruce. Quando autem Christus in Cruce semetipsum obtulit in sacrificium, nunc alta voce orabat, *Pater ignosce illis etc.*, vel ad adstantes loquebatur, *Mulier ecce filius tuus;* nunc vero tacebat et intra se orabat. Ita etiam Sacerdos in Missa, nunc ad populum loquitur clara voce; nunc Deum secreto orat. Ipsas etiam preces, quas ad Deum fundit, nunc alta, nunc submissa voce pronuntiat; quia eodem modo Christus in Horto, et in Cruce orabat." „Vel, ait S. Thomas, secrete aliqua Sacerdos dicit, in signum quod, circa Christi passionem, disciputi non nisi occulte confitebantur Christum." *Part. III, q. 83, a. 4, ad 6.* Cf. integer *art. 6 et seq.*

Rub. 2. Sacerdos autem maxime curare debet, ut ea quae clara voce (1) dicenda sunt, distincte et apposite proferat, non admodum festinanter, ut advertere possit quae legit; nec nimis morose, ne audientes taedio afficiat; neque etiam voce nimis elata (2), ne perturbet alios (3), qui fortasse in eadem Ecclesia tunc temporis celebrant; neque tam submissa, ut a circumstantibus audiri non possit, sed mediocri et gravi, quae et devotionem moveat, et audientibus ita sit accommodata, ut quae leguntur, intelligant. Quae vero secrete dicenda sunt, ita pronuntiet, ut et ipsemet se audiat, et a circumstantibus non audiatur.

(1) *Clara voce*, id est, sive alta, sive media. Quae hic monentur circa claram pronunciationem, servanda etiam sunt in secreta, quamvis in clara magis urgeant propter populi aedificationem, et ideo de illa in specie fiat mentio.

(2) *Neque voce nimis elata.* 1° Excessus in elevatione vocis semper quidem est vitandus, quia vox nimis elata, seu clamor, apta non est movere devotionem, sed turbare alios qui forte celebrant in eadem Ecclesia. 2° Tempore

vero quo simul ad plura altaria vicina celebratur, non solum vitandus est excessus, ved vox videtur etiam paululum deprimenda, ob rationem allatam in Rubrica. Attamen si una ex Missis simul celebratis, sit publica seu pro aliqua communitate, altera vero privata, tunc plus in hac quam in illa vox est deprimenda.

(3) *Ne perturbet alios.* Per haec verba satis insinuatur Missam esse legendam tono depressiori, quando simul celebratur ad altaria vicina.

Caetera sunt aperta, nulloque egent commentario; et solummodo monendus est Sacerdos, ut ea bene ruminet et accurate servet. Recolantur superius dicta de tempore impendendo in celebratione SS. Missae Sacrificii.

Rub. 3. In Missa solemni, quando dici debent a Celebrante *Gloria in excelsis* et *Credo,* intonantur et cantantur *Dominus vobiscum,* et Orationes (1) ante Epistolam, *Dominus vobiscum, Oremus* ante Orationes, et ante Offertorium, Praefatio, *Per omnia saecula saeculorum* cum *Pater noster, Per omnia saecula saeculorum* cum *Pax Domini,* et Orationes post Communionem. Alia (2) quae in Missa privata dicuntur clara voce, in Missa solemni a Celebrante dicuntur submissa voce.

(1) *Orationes ante Epistolam:* excipi tamen possunt quae praecedunt Lectiones. „In quatuor temporibus vel alias, quando dicendae sunt plures Orationes et Lectiones post *Kyrie eleison,* hae quidem possunt sed non debent cantari, quia hic inter cantanda non enumerantur, et in ritu celebrandi Missam *tit. V, n. 5,* tantum dicendae praescribuntur." Deherdt *h. l. I.*

(2) *Alia*, excepta tamen Benedictione in fine Missae, *tit. XII, 7.*

Clara voce, alta vel media.

Submissa voce, scilicet media.

De cantu in Ecclesiis intra et extra Officia divina actum est *tom. I, p. 368 sqq.;* ibi dicitur qua ratione cantus planus aut musicus instituendus sit in Ecclesiis, qua ratione permittantur moteta et instrumenta musicorum, atque pulsandum sit Organum. Hic quaedam addenda veniunt in specie de cantu infra Missam, respectu tam ad Celebrantem, quam ad Chorum.

I. *Quae cantanda sunt a Celebrante,* expresse assignantur

in praesenti Rubrica, ita ut de his duae tantum occurrant quaestiones.

Q. 1. An a Celebrante servandus sit cantus, qui in Missali habetur?

R. Generatim, affirmative. „Nam, uti arguit Deherdt, *h. l.* S. Pius V in Bulla Missali praefixa praecipit omnibus, ut Missam juxta ritum, modum ac normam, quae per Missale traditur, decantent. Unde Sacerdotes saeculares, qui Missali Rom. utuntur, non possunt assumere cantum Regularium, sive *ad Gloria*, aut *Credo*, sive ad *Ite Missa est*, aut alia."

Dicitur *generatim;* etenim usus invaluit, saltem hisce in regionibus, ut *Gloria* et *Credo* intonentur juxta cantum Chori, et pro *Ite Missa est* idem usurpetur cantus qui pro *Kyrie eleison* adhibitus est. Qui usus non videtur reprobandus: eo enim ipso quod in Ecclesia varii admittuntur cantus pro *Kyrie, Gloria* etc. (cf. dicta *tom. I de cantu musico*), iidem implicite permittuntur Celebranti; quin congruit ut, ad normam Missalis Romani, idem *Gloria*, idem *Credo* intonetur a Celebrante, quod in Choro continuandum est; et pariter congruit ut *Ite Missa est* cantetur juxta cantum *Kyrie eleison*, prout observatur in eodem Missali.

Q. 2. An Celebranti liceat Missam prosequi, dum in Choro cantantur *Kyrie*, *Gloria* aut *Credo*?

R. Negative. Non enim licet invertere ordinem Missae, aut tantum legere quae sunt cantanda, v. g. *Dominus vobiscum, Oremus*. Confirmatur dec. n. 3228, et n. 4957, 2.

II. *De iis quae cantanda sunt in Choro.* 1. Quando non pulsatur Organum, a Choro cantantur ea quae in libro Graduali ponuntur, videlicet: Introitus, Kyrie, Gloria, Graduale, Alleluia, Tractus, Sequentia, Credo, Offertorium, Sanctus, Agnus Dei, Communio, et alia quae Chorus respondet Celebranti, aut Diacono.

Si vero pulsetur Organum, tunc nonnulla possunt integre aut partim per illud suppleri, ut traditur in Caerem. Ep. *cit. tom. I, p. 375.* Symbolum tamen ne partim quidem potest suppleri per Organum, ut ibi dicitur *n. 10;* etiamsi adsit usus contrarius, dec. n. 1670, 3.

Quaeritur an partes cantandae, v. g. *Introitus, Kyrie,* possint praetermitti?

R. Praeter illa quae per Organum licite supplentur, nihil a Choro potest omitti ex iis quae notantur cantanda: hujus-

modi enim omissio nullibi permittitur; e contra partes cantandae satis indicantur in Graduali a Clemente VIII recognito, et in Caerem. Ep. *l. c. n. 9.* Confirmatur dec. 14 Apr. 1753, n. 4084, 2, 5 Jul. 1631, n. 1676, 5, et 11 Sept. 1847, n. 4957, 2, quorum primum est de Missa conventuali, et alia de Missis Defunctorum. De consuetudine pulsandi Organum in Missis Defunctorum contra ordinationem Caeremonialis *l. c.*, cf. dec. 31 Mart. 1629, n. 660.

2. Cantores non possunt incipere Introitum antequam Celebrans ad altare pervenerit. Dec. 14 Apr. 1653, n. 4084, 7, datum ad normam *Caerem. Ep. l. 2, c. 8, n. 3.*

De usu juxta quem Chorista seu Cantor, cum baculo incedens, ad Celebrantem accedit, ei praeintonaturus *Gloria*, omnino silet Caerem. Ep. Cf. S. R. C. responsum 31 Jul. 1665, n. 2198. Hic notetur nullibi indulgeri Cantoribus privilegium omittendi genuflexiones aliis praescriptas, ac proinde nulli ex Cantoribus licere solam inclinationem facere tabernaculo SS. Sacramenti, loco genuflexionis. Cf. dicta *tom. I,* cum Caerem. *n. 3*, et in *Rit. celeb. tit. IV, 6.*

De *Sanctus* etc., ita ordinat Caerem. Ep. *l. 2, c. 8, n. 70 sq.:* Dicto *Sanctus* a Celebrante „Chorus prosequitur cantum usque ad *Benedictus qui venit* etc. exclusive, quo finito, et non prius, elevatur Sacramentum. Tunc silet Chorus, et cum aliis adorat. Organum vero, si habetur, cum omni tunc melodia, et gravitate pulsandum est. Elevato Sacramento, Chorus prosequitur cantum, *Benedictus qui venit* etc.“ Ad haec ita Cavalieri, *tom. 3, c. 12, n. 10,* et *tom. 5, c. 14, n. 70,* „.... quem ritum in choris omnibus servandum esse consequenter edocent Gavantus, *part. 2, tit. 7, lit. q.*, et Meratus *ibid. n. 88.* Quia tamen hic ritus non praescribitur a Missali, quod est in communibus choris agendorum regula, quinimo magis oppositum .... videtur erui, scite advertit Quarti, *part. 2, tit. 7, n. 2,* non esse damnandos illos, qui eamdem laudem unitim canunt ante consecrationem, absente Episcopo... At quoniam dilationis praedictae nec ratio deest, neque mysterium, priores namque versus, *Sanctus*, et *Plena*, sunt Angelorum voces, *Isai. VI, 3,* et spectant ad Divinitatis arcanum; posterior vero est vox hominum, *Matth. XXI, 9,* et *Marc. XI, 10,* et ad mysterium Incarnationis refertur, ideo cum laus ista *Benedictus* addita fuerit post Christi Incarnationem, laudemus, opus non est, earum Ecclesiarum usum, quae eamdem dicendam differunt

post realem Christi adventum, et praesertim in Sacramento. Quae dicta sunto de Missis omnibus Vivorum et Mortuorum in quibus organa non pulsantur; nam in iis, in quibus est usus organi, fortasse non minus congrue praedicta laus praemittitur, ne interrumpatur sonus gravis circa consecrationem adhiberi praescriptus, et eum necesse sit in alium immutari." In his supponitur silentium servari infra elevationem uti praescribitur in Caerem. cit. Et revera cum hujusmodi silentium ordinetur ratione adorationis SS. Sacramento exhibendae, non est cur limitetur ad Ecclesias Cathedrales; et ideo „Ecclesiae Romanae mos est, inquit Bened. XIV, dum Hostia elevatur et Calix, silere et Christum tacite adorare." Usus contrarius viguit in quibusdam Galliae Ecclesiis [1]. Hujusmodi praxi favere videtur dec. 14 Apr. 1753, n. 4084, 6. Attamen cum ea sit contra praescriptum Caerem. Ep., ideo hoc decretum potius intelligendum est, cum Deherdt *h. l. n. 4, IV,* de tempore elevationem subsequente, vel limitandum erit ad casum particularem. Usus vero cantandi Antiphonam in honorem SS. Sacramenti *post* elevationem servari posse videtur, juxta dicta *tom. I de motetis.* Cavendum tamen est ne hujusmodi cantus nimis protrahatur et Celebrans debeat exspectare, ita ut non musica Missae, sed Missa musicae famulet. Vid. dicta *tom. I, p. 373, 5,* cum Bened. XIV, et dec. 21 Feb. 1643, n. 1285.

TITULUS XVII.

DE ORDINE GENUFLECTENDI, SEDENDI ET STANDI IN MISSA PRIVATA ET SOLEMNI.

Rub. 1. In Missa privata Sacerdos genuflectit, quando legit Evangelium S. Joannis *In principio,* ad illa verba ([1]) *Et Verbum caro factum est,* et in Evangelio Epiphaniae *Cum natus esset Jesus,* ad illa verba *Et procidentes adoraverunt eum.* Item in Evangelio Fer. IV post Dominicam quartam Quadragesimae, ad illa verba in fine *Et procidens adoravit eum.* Item genuflectit in Dominica Palmarum, et in Missis de Cruce, ad illa verba in Epistola *In*

1) „In quibusdam Galliae Ecclesiis, ait Bened. XIV *l. c.*, cum elevatur Hostia, populus canit: *O salutaris Hostia,* quem morem induci postulavit ab ejus Regni Episcopis Ludovicus XII, ad Dei opem implorandum in bellis, quibus Princeps ille premebatur, ut referunt Bona, Thiers..."

nomine Jesu omne genu flectatur, etc. et quando legitur Passio ad illa verba *Exspiravit* vel *Emisit spiritum*, ut suis locis notatur (2). Item genuflectit, cum dicit *Flectamus genua.* Item quando in Quadragesima dicit (3) in Tractu, Vers. *Adjuva nos Deus* etc., et in omnibus Missis de Spiritu Sancto, cum dicit V. *Veni Sancte Spiritus, reple,* etc. Item quando Sacramentum in altari discoopertum apparet, genuflectit quoties ante illud transit (4) in medio altaris: et quandocumque in Ordine Missae, et in ritu servando in celebratione Missae notatur, quod debeat genuflectere.

Usus genua flectendi ortum habet ab antiquis. Triplex est illius finis seu significatus. Significat nempe actum adorationis, poenitentiae et orationis. Gav. Quarti etc. Ibidem explicant quo sensu fiat unaquaeque ex genuflexionibus hujus Rubricae.

Quae genuflexiones, si excipiantur praescriptae ad finem Passionis, omnes faciendae sunt unico genu: genuflectendum enim est sine mora. „Genuflectit Celebrans unico genu in Missa privata, juxta communem usum, quando illi genuflectendum est, ut facilius et commodius surgat." Vinitor. Cs. Janss. *h. t. n. 4.* Cf. dicta *sect. I, p. 18.*

(1) *Ad illa verba.* Unde genuflexio incipienda est ad prima verba, et terminanda cum ultimis. Cf. *sect. III, tit. VI, 3.*

(2) *Ut suis locis notatur,* scilicet *genuflectitur et pausatur aliquantulum.* Quibus verbis aperte indicitur genuflexio utriusque genu. Hujus pausae autem mora non indicatur in Missali, nec in Caerem. Ep. sed communiter assignatur spatium unius *Pater noster,* ex Caerem. Papae. Cf. Vinitor.

(3) *Quando dicit in Tractu,* Vers. *Adjuva nos Deus.* Voces, *Quando dicit in Tractu,* satis declarant genuflectendum esse tantummodo ad prima verba Versus. Quod praeterea constat ex Rub. 3 seq. Idem dicendum est de Vers. *Veni Sancte Spiritus.*

(4) *Item genuflectit* unico genu, *quoties ante illud transit in medio altaris.* Hic agitur de genuflexionibus a Celebrante faciendis infra Missam, et non de illis quae ordinantur in accessu et recessu, aut in transitu extra Missam. Cf. *pag. 18 cit.*

Rub. 2. Circumstantes autem in Missis privatis semper genua flectunt, etiam tempore Paschali, praeterquam dum legitur Evangelium.

Semper genuflectunt. Haec Rubrica est tantum directiva.

Cf. Deherdt *n. 48* et Janss. *h. t. n. 6*. „In spiritu humilitatis, et propriam agnoscentes vilitatem semper genuflectunt, opem et subsidium a Sacerdote per Sacrificium exspectantes, etiam tempore Paschali." Quarti.

Etiam tempore Paschali. Hoc exprimitur tempus, quia regulariter infra illud, sicuti in Dominicis, ad significandam libertatem, Christi resurrectione nobis donatam, non genuflectitur. De Dominicis, quamvis non fiat specialis mentio, idem est resolvendum, ac de tempore Paschali: Rubrica enim est generalis, eas non excipit.

Praeterquam etc. Tunc enim stant „ut promptos se exhibeant ad obediendum Evangelio, et insuper, in ejus defensionem, paratos ad certamen et praelium..." Quarti.

In Missa solemni, circumstantes convenienter sese conformant Choro, genuflectendo, sedendo vel stando juxta Rub. sqq.

Rub. 3. In Missa solemni Celebrans genuflectit (1) ad omnia supradicta, praeterquam (2) ad *Flectamus genua*, et tunc ipse solus stat, Diaconus vero et Subdiaconus, et omnes alii genuflectunt. Ad Versum vero *Adjuva nos Deus*, et ad Versum *Veni Sancte Spiritus*, etc. genuflectit usque ad finem (3). Item genuflectit in die Annuntiationis (4) B. Mariae, et in tribus Missis Nativitatis Domini, quando cantatur in choro, *Et incarnatus est* etc. Aliis Diebus si sedeat, cum cantantur ea verba, non genuflectit, sed caput tantum (5) profunde inclinat apertum, et, si non sedet (6), genuflectit.

(1) *Genuflectit ad omnia supradicta,* cum ea privatim legit, et iterum quando publice dicuntur, sicuti fit ad verba: *Et incarnatus est* etc., in Symbolo privato, et publico, si non sedet Celebrans Gav.

(2) *Praeterquam.* „In Missa privata ipsemet Sacerdos dicit *Flectamus;* et genuflectens, exemplo suo docere debet alios. In solemni sufficit, ut Diaconus invitans populum, idem faciat. Sacerdos autem Deum orans, regulariter stare debet, qui praefert personam Christi stantis, *Act. VI,* et orantis Patrem in coelis." Gav. cum Amalar. et Durand.

(3) *Ad Versum .... genuflectit* utroque genu in medio altaris *usque ad finem.* Hujus discriminis, inter Missam solemnem et privatam, ratio est „quod in privata debet Sacerdos commode posse legere Versum in libro, et ideo sufficit ut genuflectat ad prima verba; in solemni ea cantat

Chorus, neque Celebrans est in aliis tunc occupatus: genuflectit autem Celebrans utroque genu in medio altaris post lectum a se Evangelium.“ Gav.

(4) *Annuntiationis* B. M. V. etc., ut nimirum his diebus majori cum veneratione adoretur mysterium Articuli et Festi propriissimum. Gav.

Janss. *part. 2, tit. 2, n. 9,* hanc Rubricam applicat Missae *Aureae* solemniter cantatae. Hoc tamen non videtur consonum ipsi Rubricae, quae statim per verba, *aliis diebus,* quamcumque excludit exceptionem, praeter eas quas exprimit.

(5) *Caput tantum.* Quia jam genuflexit, in submissa recitatione; caput autem inclinat apertum. Idem praestare debent Ministri qui cum Celebrante sedent. Gav.

(6) *Si non sedet, genuflectit,* in superiori Altaris gradu: neque vero stare convenit ad verba tantae Filii Dei humilitatis; sedere potius convenit quam stare, quia sedendo, addita capitis profunda inclinatione, contrahitur et minoratur homo. Gav. Pariter genuflectere debet Celebrans, qui Missam cantat sine Ministris sacris *(sect. III, tit. VI, 8).* Cf. Mer. *tit. 6 cit.*

Rub. 4. Ministri semper (¹) genuflectunt [1] cum Celebrante, praeterquam (²) Subdiaconus tenens librum ad Evangelium, et Acolythi tenentes candelabra, qui tunc non genuflectunt. Et cum Diaconus cantat illa verba, ad quae est genuflectendum, ipse versus librum [2], Celebrans et omnes alii versus altare genuflectunt.

(1) *Ministri semper genuflectunt cum Celebrante.* „Cum, ait Janssens *part. 2, tit. 2, n. 12,* nec Rubrica hoc loco nec alibi (prout nec Caerem. Ep., neque ullum S. R. C. decretum) ab hac sua regula generali excipiat Subdiaconum, dum tenet Patenam, ex praesenti Rubrica sequi videtur

1) „Ratio mystica est, ne vel doctrina Evangelica, vel geminum veritatis lumen antiqui Testamenti, id est Legis et Prophetarum, quae duobus candelabris designantur, deflecti posse aut cadere videantur. Ubi etiam breviter adnotamus librum Evangelii constitui in medio, id est, inter duo candelabra, quia doctrina Evangelica dignior est, et testimonium accipit a Lege et Prophetis: sicut in Transfiguratione Christus apparuit medius inter Moysen et Eliam.“ Quarti.

2) „Quare autem solus Diaconus versus librum genuflectit? Dic quia ejusdem libri, seu doctrinae, quae in eo continetur, est peculiari modo custos et defensor, et debet illum prae oculis habere.“ Quarti.

contra *Gavantum tit. 7* [1], et *Merati t. 7, n. 60,* ac alios, quod Subdiaconus, etiam tempore quo tenet Patenam, toties flectere debeat, quoties id vi Rubricarum facere tenetur Celebrans. *Caerem. Prov. nostrae f. 50, n. 13.*" Cf. *n. sqq. 14 et 15.* Gavanto adhaeret Cavalieri *tom. 5, c. 13, n. 57.* Eamdem sententiam implicite sequitur Romsée, *tom. 1, part. 1, a. 5 fin.;* imo expresse *ibid. part. 3, a. 2, n. 3,* de Missa coram Venerabili exposito. Horum AA. sententiae favere videtur dec. 11 Feb. 1764, n. 4173, 1, quo declaratur Subdiacono, Patenam tenenti, non esse genuflectendum quando Celebrans post Offertorium genuflexus thurificat SS. Sacramentum; „sed, inquit Deherdt *part. 2, n. 47,* cum exinde quoad alios casus, in quibus unico genu et sine mora genuflectitur, nihil deduci queat, quisque in aliis casibus consuetudini suae Ecclesiae se conformare potest." Vid. *sect. III, tit. IX, 4.* Quidquid autem sit de valore utriusque sententiae, advertendum est, Subdiacono, teneat necne Patenam, genuflectendum non esse, nisi et Diaconus genuflectat. Quod vero attinet ad Missam coram Venerabili patenter exposito, vide dicta prop. loco.

(2) *Praeterquam Subdiaconus etc.* Secus si nec Subdiaconus librum, nec Acolythi candelabra teneant. Cf. *not. 1.*

Rub. 5. In Choro genuflectitur ab iis, qui non sunt Praelati ([1]), ad Confessionem cum suo psalmo. In Missis autem Feriarum Adventus, Quadragesimae, Quat. Temp. et Vigiliarum, quae jejunantur, ac in Missis Defunctorum, genuflectunt omnes etiam ad Orationes ([2]), et dicto per Celebrantem *Sanctus* usque ad *Pax Domini* ([3]), et ad Orationes post Communionem, et *super populum,* excepta vigilia Paschae ([4]) et Pentecostes, ac Nativitatis Domini, et Quatuor Temporibus Pentecostes. Et similiter ([5]) ab omnibus genuflectitur, quando elevatur Sacramentum.

1) „Idem praeterea docet Gavantus, *part. 2, tit. 11, lit. n.* „Regula vero est, inquit, quod Diaconus (non alii) cum Celebrante genuflectente genuflectat, si solus eidem assistit." Per verba, *non alii,* alludit ad Subdiaconum et ad Caeremoniarios. Cf. Merati, *ibi n. 10.* In hac sententia, to *semper* limitatur ad genuflexiones de quibus expresse agitur *h. t.,* quae scilicet fiunt propter verba prolata; aliae vero faciendae erunt non juxta hanc Rubricam, sed juxta Rubricas proprias quas tradit *Ritus celebrandi Missam,* puta prout Ministri assistunt Celebranti, aut transeunt de uno loco ad alterum.

(1) *Praelati* excipiuntur propter eorum dignitatem. Pariter excipiuntur Canonici aliique parati. „Canonici parati, ait Caerem. *l. 2, c. 8, n. 3,* stantes in suis locis faciunt simul confessionem bini; similiter alii, si qui erunt parati, alias genuflexi, prout etiam laïci omnes tunc genuflectunt.“ Cantores autem, ait Gavantus, si tunc cantant Introitum, non genuflectunt, quia stare debent ad lectorile.

(2) *Ad Orationes.* Quod intelligendum est cum Janssens, *p. 2, tit. 2, n. 24,* „de illis solis, quae cantantur post *Dominus vobiscum;* nam ad alias Orationes, quae Fer. IV et Sabb. in IV Temp., et Fer. IV ante Dom. Passionis et in Hebdomada S^a, post *Kyrie,* et ante *Dominus vobiscum* cantantur, responso a Diacono *Levate,* omnes de Choro se levant; ac proinde Oratio immediate cantatur, Choro stante. Merati *p. 2, t. 5, n. 19,* qui addit: sed advertere debent Ministri omnes, quod ad Orationem Sacerdotis tunc inclinati stare debeant, et manibus junctis.“

(3) *Usque ad Pax Domini.* „Si enim danda est pax, a Clero stante est danda, *Caerem. Ep. l. 1, c. 24.* Sed et *Pax Domini,* in hoc loco Missae, Resurrectionem Christi significat, ob quam standum est, ut in Dominicis et tempore Paschali.“ Gav. In aliis Missis surgitur post elevationem.

(4) *Vigilia Paschae etc.* Hae vigiliae sunt festivae et solemnes per modum Duplicis celebratae; insuper quaedam pertinent ad tempus Paschale. Ex Gav.

(5) *Et similiter ab omnibus.* Expositis exceptionibus pro Missis ferialibus et *de Requiem,* sermo redit de Missis festivis, et indicitur secunda genuflexio. Juxta Caerem. Ep. *l. 2, c. 8, n. 69 sq.* ab incoepto Canone „omnes, tam in choro quam extra, genuflectunt, praeter Presbyterum et Diaconos assistentes, et Diaconum ac Subdiaconum, qui non nisi cum Celebrante genuflectunt. . . . Elevato Sacramento . . . . omnes surgunt, et stant usque ad Communionem inclusive.“

Modus, a Cantoribus servandus in suis genuflexionibus, traditur in dec. 8 Mart. 1738, n. 3924, 5.

Rub. 6. In Missa item solemni Celebrans medius inter Diaconum et Subdiaconum sedere potest a cornu Epistolae juxta altare, cum cantatur *Kyrie eleison, Gloria in excelsis* et *Credo:* alio tempore stat ad altare, vel genuflectit ut supra.

Sedere potest, cum Ministris capite cooperto, a cornu

Epistolae, quia a parte Evangelii, utpote nobiliori, sedere solet Episcopus. Cf. Quarti.

Dum cantatur Kyrie etc. „Licebit eis etiam sedere dum cantatur Epistola a Subdiacono, et Graduale a Cantoribus." Dec. 16 Mart. 1591, *in suppl. n. 15, 7.* Idem resolvendum est de tempore quo cantatur Sequentia. De sessione coram SS. Sacramento publicae venerationi exposito, dicitur proprio loco.

Quaeritur an super scamnum sedere debeant Celebrans et Ministri?

R. 1° Certo affirmandum est pro Ecclesiis Cathedralibus et Collegiatis, ex Caerem. Ep. *l. 1, c. 12, n. 22.* Ibi traditur quid observandum sit circa altaris et Ecclesiae ornatum in praefatis Ecclesiis, cum Episcopus nec celebrat nec assistit. Inter alia hoc ordinatur: „satis erit scamnum oblongum, coopertum aliquo tapete aut panno, aptari a latere Epistolae, in quo sedeat Sacerdos celebrans cum Diacono et Subdiacono."

R. 2° Item pro omnibus Ecclesiis, subjectis Instructioni Clem. pro LX Horarum, ut expresse ordinatur *§. 25.*

R. 3° Quod vero ad alias attinet Ecclesias, non semper una fuit omnum sententia, ut videre est apud Gardellini, *§. cit. n. 1.* Nunc tamen amplius dubitari nequit praedictam Caeremonialis et Instructionis regulam ubique esse servandam. „Quamquam enim, ait Gardellini *l. c. n. 2,* haec lex, si una spectetur *Instructio*, sit ordinata tantummodo pro Ecclesiis Urbis, occasione Orationis XL Hor., universalis tamen censenda est, quia ab *Caeremoniali Ep.* indicta, et a successivis S. R. C. decretis confirmata." Multis citatis decretis, ita prosequitur adnotator: „Atque haec est regula tanto cum rigore servanda, ut ad eam relaxandam nec prosit consuetudo, etiamsi invaluisset ante acceptationem Caeremonialis, ut in *Turritana* decretum vidimus. Vix ab eadem declinandum tantisper censuit eadem S. C. favore Canonicorum et Dignitatum Cathedralis extra eam... Dec. 29 Mart. 1659, n. 1825, 4." De stricta observantia praefatae regulae, vid. dec. gen. 27 Sept. 1822, n. 4440, 3, 4, 6, 7: quod decretum „publici juris fieri mandavit Pius VII, Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut omnimodam illius observantiam urgeant."

Lex igitur est certa, et cuilibet consuetudini resistit, ac proinde usus contrarius est abusus. Si autem quaeratur

an statim et a quo tollendus sit, breviter respondeo servanda esse monita passim tradita et praesertim *tom. I, pag. 43 sqq.* de abusibus contra Rubricas tollendis vel ad tempus tolerandis.

Rub. 7. In Choro non sedent (1), qui actu cantant; reliqui autem possunt sedere, quando Celebrans sedet, et praeterea dum cantantur Epistola, et Prophetiae, Graduale, Tractus, vel *Alleluia*, cum Versu, ac Sequentia: et ab Offertorio usque ad incensationem Chori, et si non incensatur, usque ad Praefationem, et ad Antiphonam, quae dicitur *Communio.* Ad alia (2) stant vel genuflectunt ut supra.

(1) *In Choro non sedent* etc. Haec Rubrica non respicit Officium divinum, infra quod cantores sedere possunt. Sed quoad Missam, generalis est, nullumque excipit casum.

(2) *Ad alia,* id est, cantores ad ea quae non cantantur, et reliqui ad ea quae hic non recensentur, *stant vel genuflectunt:* sic *ad elevationem Sacramenti*, ab omnibus, non exceptis cantoribus, genuflectitur, ut supra; *ad Benedictionem* in fine Canonici se profunde inclinant, alii autem genuflectunt. Dec. 4633, 6.

Solent Rubricistae hic tractare de inclinationibus, tum quia inclinationes et genuflexiones pertinent ad idem genus, ad reverentias scilicet, tum quia inclinationibus nullus assignatur specialis titulus, sed sparsim reperiuntur in diversis titulis, praesertim in ritu celebrandi Missam. Nos de iis quaedam generatim diximus *p. 13 sqq.;* reliqua traduntur propriis locis.

TITULUS XVIII.

DE COLORIBUS PARAMENTORUM.

Rub. 1. Paramenta altaris (1), Celebrantis (2) et Ministrorum debent (3) esse coloris convenientis (4) Officio et Missae diei secundum usum [1] Romanae Ecclesiae, quae

1) „Quarti saeculi initio, pacatis Ecclesiae rebus, non aliae vestes quam coloris albi adhibebantur... Apud Graecos, usque ad 13 saeculum, non plures quam duo colores fuerunt: albus et rubeus... In Occidentali vero Ecclesia 12 saeculo Inn. III... scripsit fuisse tunc temporis colores quibus Romana uteretur Ecclesia, album... rubeum... nigrum... et viridem. Violaceum non commemorat Innocentius; perinde ac color niger adhibebatur. Bened. XIV, *sect. 1, n. 52. Ibidem n. 44,* variis relatis sententiis circa tempus quo Manipulus fuerit sudariolo substi-

quinque ([5]) coloribus uti consuevit: Albo, Rubeo, Viridi, Violaceo et Nigro.

(1) *Paramenta altaris.* Praesens Rubrica supponit Missam dici conformem Officio. Si secus fiat, tunc quaeri potest de colore pallii altaris, utrum cum Missa aut cum Officio diei convenire debeat? „Quoties, inquit Cavalieri *tom. 3, dec. 79, n. 8,* Missa discordat ab Officio, color pallii seu altaris sequitur Officium, vestium Sacerdotis Missam. Pro Missa vero solemni convenit, ut pallium etiam altaris concordet cum colore paramentorum Missae, ut ex Ruizio adnotavit Gavantus *part. 2, tit. 18, lit. a.*" Cavalieri tamen non dubitat quod, in die Commem. omnium Defunctorum, pallia quaelibet debeant esse lugubria praeter illud altaris, ad quod celebratur Missa Octavae. Quarti vero *h. t. dub. 3* putat decentius esse ut pallium altaris sit coloris convenientis Missae, quando commode mutari potest. An praesens Rubrica de colore altaris applicanda sit etiam ad conopeum quo cooperitur tabernaculum SS. Sacramenti, AA. non conveniunt. Cavalieri, *l. c.* et *tom. 5, dec. 103, n. 2 sq.,* affirmat cum Gavanto, contra Baruffaldi *ad Rit. Rom. tit. de Euch. n. 64.* Le Vavasseur *part. 1, sect. 2, c. 1, n. 12,* docet ex S. C. 21 Jul. 1856, *in Briocen.* melius adhiberi colorem diei [1]. Numquam tamen, nequidem in die Commem. omnium Fidel. def., usurpari potest color niger pro tabernaculo SS. Sacramenti; in casu, juxta Cavalieri, color violaceus inservire posset loco nigri.

(2) *Celebrantis.* Hic non comprehenditur cingulum: hoc enim potest, sed non debet esse coloris paramentorum. Dec. 8 Jun. 1709, n. 3660, 4. De Sacerdote extero dicitur *pag. 29 sqq.*

(3) *Debent.* Haec vox per se denotat praeceptum, non

tutus, sequentem critices regulam subdit: „De hac re sua stet cuique sententia: perdifficile est enim ejusmodi Epochas constituere: ac de hujusmodi rebus aliisque id genus, quae paulatim in morem invectae sunt, arbitramur omnium veras esse sententias, non quidem quoad universalem usum, sed quoad eorum tantum locorum usum, unde afferuntur documenta." Cf. Fornici, *cap. XIV.*

1) „Ipsum Tabernaculum conopeo instar tentorii contegatur, quod concolor sit indumentis, quibus ad Sacra peragenda utitur Ecclesia, vel saltem album, ubi aliter ob census tenuitatem fieri nequit, nigro semper excepto." Card. Lambruschini in sua Syn. Dioec. pag. 30.

vero merum consilium, nisi contrarium aliunde eruatur. Quod ad pallium attinet, vid. *tit. XX.*

Quoad paramenta Celebrantis et Ministrorum, vis propria vocis *debent* nedum aliunde minuitur, roboratur et confirmatur, tum Bulla S. Pii V, tum decretis S. R. C. 1° Bulla S. Pii V praecipit Missam juxta *ritum, modum* ac *normam,* quae per Missale Rom. traditur, decantari ac legi; et 2° S. R. C. 12 Nov. 1831, n. 4520, 54 (cf. dec. n. 4535) mandat ut „servetur strictim Rubrica quoad colorem paramentorum." Cf. dec. 19 Dec. 1829, n. 4506, 16 Mart. 1833, n. 4558, 4, et 23 Sept. 1837, n. 4666, VIII, 1. Si, his non obstantibus, adhuc aliqua et vera probabilitas tribuenda sit opinioni eorum Theologorum, qui velint hanc Rubricam esse mere directivam, ego non invenio quodnam medium Ecclesiae relinquatur, quo valeat verum praeceptum edicere de Rubricis. Cf. dicta *tom. I, de obligatione Rubricarum.*

Ab hac tamen lege excipiendus est casus necessitatis. Secluso enim scandalo, melius est Sacrum celebrare, non servato debito colore, quam illud omittere, defectu debiti coloris. Cf. S. Lig. *de Euch. n. 378, dub. 5.* Cf. etiam dicta de Sacerdote extero. Insuper Ecclesiarum paupertas potest inducere S. Sedem ut usum paramentorum, in quibus colores confunduntur, permittat, donec consumantur, ut dec. n. 4506.

(4) *Coloris convenientis Officio et Missae.* Per haec verba excluduntur paramenta sive variorum colorum, sive flavi coloris: patet enim hujusmodi paramenta non esse nec dici posse *coloris convenientis Officio et Missae,* quidquid fuerit, ad tuendum illorum usum, subtiliter allegatum, puta quia in variis coloribus reperitur color conveniens, vel quia color flavus omnibus aequivalet coloribus.

Attamen non reprobatur quaedam admixtio aliorum colorum per modum ornamenti, dummodo „unus color, v. g. albus, sic praedominetur, inquit Janss. *h. t. n. 2,* ut in communi hominum aestimatione Casula dicatur alba, licet totaliter istius coloris opus non sit." Parce autem adhibendus est istiusmodi ornatus. Cf. Cav. *tom. 3, dec. 79, n. 7.*

Sub colore flavo comprehendendus non videtur color auri, seu potius pannus aureus; hic enim, utpote pretiosior, adhiberi potest, juxta quosdam, pro albo et rubeo; imo juxta Fornici aliosque, etiam pro viridi. Cf. Cav. *l. c. n. 6.*

Ex hucusque expositis duo fluunt consectaria. 1. Ecclesiarum Rectores, cum paramenta emunt, tenentur eligere quae confecta sunt juxta Rubricas, quidquid venditores jactitent de aliis. 2. Cônsultum non est ut emantur paramenta quae tantummodo tolerantur.

(5) *Quinque coloribus.* Significatus cujusque coloris explicatur ad singulam Rubricam, prout opportunum videtur.

Rub. 2. Albo (1) colore utitur a Vesperis (2) Vigiliae Nativitatis Domini, usque ad Oct. Epiph. inclusive, exceptis Festis Martyrum, quae infra eam veniunt. In Festo SS. Nominis Jesu. Feria V in Coena Domini (3) et Sabbato Sancto in Officio Missae, et ab illo die usque ad Sabbatum in Vigilia Pentec. ad Nonam, in Officio de Tempore, praeterquam in Missa Litaniarum et Rogationum. In Festo SS. Trinitatis. In Festo Corporis Christi (4). In Festo Transfigurationis Domini. In Festis B. M. Virginis, praeterquam in benedictione Candelarum, et Processione, quae fit in Festo Purificationis ejusdem. In Festis Angelorum. In Nativitate S. Joannis Baptistae (5). In principali Festo S. Joannis Evangelistae, quod celebratur infra Oct. Nativit. Domini. In utraque Cathedra S. Petri. In Festo S. Petri ad vincula. In Conversione S. Pauli [1]. In Festo omnium Sanctorum. In Festis Confessorum Pontificum et non Pontificum, et Doctorum. In Festis SS. Virginum non Martyrum, et nec Virginum nec Martyrum. In Dedicatione et Consecratione Ecclesiae vel Altaris, ac in Consecratione Summi Pontificis, et in Anniversario Creationis, et Coronationis ejusdem, et Electionis, et Consecrationis Episcopi. Item per Octavas praedictorum Festorum, quae Octavas habent, quando dicitur Missa de Octava, et in Dominicis infra eas occurrentibus, quando in eis fit Officium de Dominica, praeterquam in aliis Dominicis, quibus tributus est color violaceus. In Missis votivis supradictorum Festorum, quocumque tempore dicantur: et in Missa pro Sponso et Sponsa (6).

(1) Color Albus significat 1° puritatem, et vitae innocentiam, *Thren. IV, 7: candidiores Nazaraei ejus;* qua ratione congruit Festis Confessorum et aliorum Sanctorum non Martyrum: et imprimis candorem virginitatis designat (cf. *Apoc. III, 4; ambulabunt mecum in albis*); 2° gloriam

1) Addit edit. Hanicquiana: In Festo SS. Stigmat. S. Francisci.

et gaudium, et hac ratione adhibetur in Festis Christi et tempore Paschali. Ex Quarti.

(2) *A Vesperis.* „Regula vero in mutandis coloribus est, ut mutatio fiat in primis Vesperis Festi. Si autem Vesperae non sint integrae, is color adhibendus est initio Vesperarum, qui congruit illi de quo dicitur Capitulum." Gav. *h. t. Rub. 6.*

(3) *In Coena Domini.* Propter confectionem Chrismatis, quod mundationi animarum deservit; et in Evangelio Missae de lavandis pedibus agitur; et quia, ex Baronio, vestis coenatoria Christi fuit albi coloris. Gav. Adde hac die recoli institutionem S. Eucharistiae.

(4) *Corporis Christi.* Ratio est obvia. De colore in expositione SS. Sacramenti, in Processionibus, in Benedictionibus et in distributione S. Synaxis, agitur propriis locis. Interim cf. *Rub. seq. 5.*

(5) *S. Joan. Ev.,* de quo tanquam de Virgine, et Virginis altero filio, fit Festum, nascente Christo primogenito Virginis.

(6) *Pro Sponso et Sponsa.* Quia supponitur in Sponsa benedicenda carnis integritas: unde viduae nuptias non benedicimus. Gav.

Rub. 3. Rubeo (1) colore utitur a Vigilia Pentec. in Missa usque ad Sabbatum sequens, finita Nona et Missa. In Festis S. Crucis. In Decollatione S. Joannis Baptistae. In Natali Apostolorum Petri et Pauli, et in Festis aliorum Apostolorum (2) (exceptis Festo principali S. Joannis Evang. post Nativitatem, et Festis Conversionis S. Pauli, et Cathedrae S. Petri, et ejus Vinculorum). In Festo S. Joannis ante Portam Latinam. In Commemoratione S. Pauli Apostoli. In Festis Martyrum, excepto Festo SS. Innocentium (3), quando non venerit in Dominica: si autem in Dominica venerit, utitur Rubeo, in ejus vero die Octava semper utitur Rubeo; quocumque die occurrat. In Festis SS. Virginum Martyrum et Martyrum non Virginum. Item per Octavas praedictorum Festorum, quae Octavas habent, quando fit de Octava, et in Dominicis infra eas Octavas occurrentibus, eodem modo, ut dictum est supra de colore Albo. Item in Missis votivis supradictorum Festorum, et in Missa pro eligendo Summo Pontifice.

(1) Color rubeus 1° significat fortitudinem in effusione sanguinis pro Christo: *Hi sunt qui venerunt de tribulatione*

magna, et laverunt stolas suas et dealbaverunt eas in sanguine Agni. Apoc. VII, 14. Qua ratione eo utitur Ecclesia in Festis Martyrum, et S. Crucis, Christi Sanguine decoratae. Excipitur Festum SS. Innocentium propter afflictionem et ululatum matrum, et propter horrorem intempestivae persecutionis, quibus congruit color moestitiae, id est, violaceus. 2° Significat fervorem spiritus, quatenus accedit ad colorem ignis, et hac ratione convenit Festo Pentecostes, in quo Spiritus S. super Apostolos in igneis linguis apparuit. Quarti.

(2) *Aliorum Apostolorum.* Hic comprehenduntur SS. Barnabas, Lucas et Marcus. Cf. not. ad 29. Jun. *tom. I.*

(3) *Excepto Festo SS. Innocentium*, ut explicatum est; nisi tamen *in Dominica venerit.* Dominica enim est festiva; festivus autem color SS. Martyrum est rubeus. Ex Gav. — *Die Octava,* quia haec glorificationem denotat. Cf. *tom. I, tit. XXXI, 1.*

In Commemoratione Sanctorum quorum Reliquiae asservantur, *adhibendum esse colorem rubrum* respondit S. R. C. 17 Aug. 1771, n. 4208, 4.

Rub. 4. Viridi colore utitur ab Octava Epiphaniae usque ad Septuagesimam, et ab Octava Pentecostes, usque ad Adventum exclusive, in Officio de Tempore, excepta Dominica Trinitatis, ut supra, ac exceptis Dominicis infra Octavas occurrentibus, in quibus color Octavarum servatur: exceptis etiam Vigiliis et Quatuor Temporibus, ut infra.

„Color viridis est color medius inter album et rubeum, et ideo eo utimur in diebus ferialibus, et etiam in Dominicis per annum communiter, veluti mediocris solemnitatis. Asserunt etiam communiter viridi colore spem designari ex virore agrorum, qui spem copiosae Messis promittit. Est etiam spes virtus media inter fidem et charitatem, et praedictis temporibus frequentius exercenda a fidelibus, memores quod sunt advenae et peregrini." Quarti.

Rub. 5. Violaceo [1] colore utitur a prima Dominica Adventus in primis Vesperis, usque ad Missam Vigiliae Nativitatis Domini inclusive; et a Septuagesima usque ad Sabbatum Sanctum ante Missam inclusive, in Officio de Tempore, excepta Feria V in Coena Domini, in qua utitur Albo, et Feria VI in Parasceve, in qua utitur nigro, ut infra, et benedictione Cerei in Sabbato Sancto, in qua Diaconus, illius Praefationem dicens, solus utitur Albo, ea

autem finita, Violaceo, ut prius. Item in Vigilia Pentecostes ante Missam a prima Prophetia usque ad benedictionem Fontis inclusive. In Quatuor Temporibus, et Vigiliis, quae jejunantur, exceptis Vigilia et Quatuor Temporibus Pentecostes. In Missa Litaniarum, in die S. Marci Evangelistae et Rogationum, et in Processionibus, quae his diebus fiunt. In Festo SS. Innocentium, quando non venerit in Dominica. In benedictione Candelarum in die Purificationis beatae Mariae, et in benedictione Cinerum, ac Palmarum, et ipsa Dominica in Palmis, et in earumdem, ac generaliter in omnibus Processionibus: exceptis Processionibus SS. Sacramenti, et quae fiunt in diebus solemnibus ([2]), vel pro gratiarum actione ([3]). In Missis de Passione Domini ([4]), pro quacumque necessitate ([5]), pro peccatis, et ad postulandam gratiam bene moriendi, ad tollendum schisma, contra Paganos, tempore belli, pro vitanda mortalitate, pro iter agentibus, et pro infirmis.

(1) „Color violaceus est quasi pallidus et lividus, qualis ex carnis maceratione et ex afflictione consurgit. Hoc ergo colore utitur Ecclesia in diebus poenitentiae et jejuniorum, macerationi carnis destinatis. Item in diebus Rogationum in processionibus, et benedictionibus, in quibus peccata nostra detestantes, petimus remedium contra adversa et contra hostiles incursus, ex Durando *in Ration. lib. 3, cap. 18, initio.* Excipiuntur processiones laetitiae, ut in Festo SS. Sacramenti: similiter excipiuntur IV Tempora Pentecostes, quae sunt festiva ob adventum Spiritus Sancti, ut notatur in hac Rubrica.“ Quarti. Cs. Cav. *tom. 3, dec. 79, n. 2.*

(2) *In diebus solemnibus.* Nam in his color adhibendus est, qui congruit Festo, vel Missae, post Processionem cantandae. Gav.

(3) *Pro gratiarum actione*, adhibetur albus, nisi solemnitas, ob quam fit processio, rubrum colorem exigat. Janss. *h. t. n. 35.* Idem dicendum videtur de Hymno *Te Deum*, qui in gratiarum actionem cantatur sejunctim a Missa aut Vesperis. In hac enim functione recte adhibetur, inquit Deherdt *h. l. VII,* color albus vel rubeus, quia in iisdem coloribus celebratur Missa votiva pro gratiarum actione, prout legitur vel de SS. Trinitate et de B. M. V. vel de Spiritu Sancto; potius tamen color albus, quia rubeus non adhibetur, nisi Officium specialem rubeum colorem adhibendi rationem habeat.

(4) *De Passione Domini.* „Ad Missam de *Cruce* color rubeus, ut sequatur qualitatem Festi principalis, in quo effusio Sanguinis Christi repraesentatur; ad Missam vero de Passione violaceus, ut respondeat Dominicae de Passione, cum qua participat in titulo, et Sacramento mortis Christi." Gav.

(5) *Pro quacumque necessitate.* In his novem casibus et similibus, habent praecipuum locum luctus, afflictio et poenitentia. Gav.

Adhiberi etiam potest ad arbitrium Superioris, in Ecclesiis ubi, die Commemorationis omnium Fid. def., instituitur Oratio XL Hor. Vid. dec. 16 Sept. 1801, *tom. I, p. 466* [1].

Rub. 6. Nigro (1) colore utitur Feria VI in Parasceve, et in omnibus Officiis et Missis Defunctorum (2).

(1) „Color niger, ex Innocentio, *lib. 1, c. 65,* est proprius mortis, quae nos privat lumine vitae, et ad tenebras sepulchri nos detrudit; nigredo autem prae se fert obscuritatem et tenebras, et ideo communis usus obtinuit ut in morte cognatorum nigris vestibus induamur. Hoc igitur colore utitur Ecclesia primo in Parasceve ob mortem Christi, quando tenebrae factae sunt super universam terram. Item in omnibus Officiis et Missis Defunctorum, quorum animae in tenebris sedent poenasque luunt in Purgatorio: quibus Ecclesia lucem petit et Requiem." Quarti. Cs. Cav. *l. c.*

(2) *In omnibus Officiis,* etc. Intellige, seclusa necessitate, ut dictum est *Rub. 1* et *5:* nam in defectu coloris nigri, vel occasione XL Hor. ut supra, adhiberi potest color violaceus.

De ornatu altaris etc., quando Episcopus celebraturus est Missam Defunctorum, sequentia ordinat Caerem. *lib. 2, c. 11, n. 1.* „Altare nullo ornatu festivo, sed simpliciter et nullis imaginibus, sed sola Cruce, et sex candelabris paretur; et duo super Credentia cum candelis ex cera communi; super ea nulla ornamenta ponantur, sed tantum quae sunt necessaria..... Gradus altaris et totum presbyterium sit nudum, excepto, quod unam tapete sub faldistorio, et

1) Apud Merati, *n. 444,* et apud Cav., *tom. 3, dec. 79,* refertur quoddam S. R. C. decretum quod non reperitur in Collectione Gardelliniana, et ita sonat: „Missae Defunctorum non possunt celebrari, nisi cum colore nigro, vel saltem violaceo. S. R. C. 21 Jun. 1670, *in Oritona.*" Iisdem terminis refertur a Spirid. Talu *n. 479.*

aliud super primo gradu suppedaneo apud altare ponetur; omnia paramenta tam altaris quam Celebrantis et Ministrorum, librorum et faldistorii sint nigra, et in his nullae imagines mortuorum vel Cruces albae ponatur.“

Neque hic, neque in aliis Rubricis, ulla fit distintio inter personam nuptam et innuptam; „ita ut, inquit Deherdt *h. l. n. 49, III,* tamquam abusus haberi debeat praxis adhibendi paramenta vel saltem pannum funebrem albi coloris pro persona innupta in signum virginitatis.“ Quoad parvulos ante usum rationis defunctos, vid. *part. IV de Exequiis parvulorum.*

De cereis notandum etiam est cum Deherdt *ibidem:* „1° pariter adhiberi non posse cereos albos in Officio defunctorum ad distinctionem personae innuptae; 2° hanc praxim, cereos aut paramenta alba adhibendi, minime esse introducendam, sed etiam non nisi summa cum prudentia abrogandam, et potius saepe esse tolerandam, ne persona corrupta prodatur, vel saltem ut talis habeatur.“ Possunt etiam alia timeri incommoda. Cf. dicta de abusu tollendo vel ad tempus tolerando.

TITULUS XIX.

DE QUALITATE PARAMENTORUM.

Praesens titulus ordinat quae paramenta sint adhibenda variis in functionibus; sed de eorumdem materia, nitore et benedictione omnino silet. De his, quaedam habentur in *Ritu celeb. Missam;* unde Gavanti et Merati vestigiis inhaerendo, de iisdem et de vasis sacris ibi agemus, *tit. I, 2;* et hic solummodo exponemus textum praesentis tituli, cum nonnullis notis de origine et significatu sacrarum vestium. Quanta sit earum obligatio, quam ob causam aliquando liceat sine una alterave celebrare, inquirunt Theologi. Vid. S. Lig. *de Euch. n. 376 sq.,* et Deherdt *h. l. n. 52.*

1. *Origo sacrarum vestium.* „In 20° nostro Edicto Lat. edit. de sacerdotalibus indumentis, ait Bened. XIV, valde verisimile esse docuimus omnium fere eruditorum hominum consensione, Apostolos non iis vestibus communibus, quas quotidiano et continuo usu adhibebant, sed aliis quibusdam peculiaribus indutos Missam celebrasse.“ Deinde sibi objicit sacra indumenta, quibus Sacerdotes utuntur cum ad altare accedunt, vestes olim fuisse Clericorum Laicorum-

que communes, quae propriae deinde Ecclesiasticorum virorum factae sunt in usum Sacrificii; et respondet inde non everti ipsius sententiam. „Potuit enim, exempli causa, inquit, Sacerdos aliquis Albam et Planetam, cum haec indumenta omnibus erant communia, adhibere cum domi se continebat, vel per Civitatem ambulabat; peculiari autem alia Planeta uti et Alba, cum ad altare accederet: id enim satis erat ad suam erga Sacrificium reverentiam, si non eamdem adhiberet vestem celebrando, quam qua uteretur, vias et compita perreptando.“ *De Sacrif. M. sect. 1, n. 38.* Cf. *n. 62.*

2. De earum vestium *sensu mystico et morali,* ita scribit Fornici, cap. XIII. „De significationibus vero, quas pia mater Ecclesia sex sacris sacerdotalibus indumentis adnexuit [1], duplex distinguitur sensus, mysticus nempe, et moralis. In mystico vestes prae se ferunt similitudinem in vestimentis, quam habet Sacerdos, dum Christi pro nobis morientis personam gerit, et ad decus et reverentiam Sacrificii exhibent id quod impius Judaeorum furor ad contumeliam intulit Salvatori. In morali designant virtutes, vitae sanctimoniam ac morum integritatem, quibus ornatus praefulgere debet Sacerdos.“ Notandum est, hic sensum moralem opponi sensui mystico praeter communem loquendi modum. Regulariter enim sensus S. Scripturae dividitur in *litteralem* et *mysticum;* hicque posterior subdividitur in *allegoricum, anagogicum* et *tropologicum* seu *moralem.* Cf. *tom. I, pag. V, not.,* et Dens *de Fide, n. 62.* In communi tamen loquendi modo, haec specifica nomina negliguntur apud Liturgistas, et adhiberi solet nomen *sensus mystici* pro quacumque specie.

„Ad revocanda in memoriam Passionis mysteria, *Amictus* mystice significat aut velum quo Judaei Christi faciem obtexerunt, aut spineam coronam, aut ipsius divinitatem sub humanitatis amictu absconditam. Alba illam vestem figurat, qua indutum Christum Jesum Herodes irrisit. Cingulum in horto Christum fune ligatum. Manipulus vincula proponit contemplanda quibus Salvator columnae fuit ad flagellandum alligatus. Stola, juxta Soto, funes quibus Chri-

1) Cf. Orationes quae dicuntur tum quando Pontifex tradit vestes sacras in Ordinem, tum quando ea induit Celebrans. Vid. Bened. XIV, *l. c. n. 60 sqq.*

stus crucem bajulans constrictus est. Casula tandem, aut vestimentum purpureum coram Pilato, aut vestem inconsutilem, quam Christo, cruci affigendo, Judaei detraxerunt.“

„Morales vero nos admonent in Amictu armari nos oportere galea salutis, ac in Deum confidentia, qua et hostes superemus nostros, et divinis exequendis Officiis corroboremur. Agnum mysticum nobis proponit Alba, in quo necesse est nos dealbari, ut sancti et immaculati simus in conspectu Dei, et tales nos exhibeamus simplicitate, animi candore, et pulchritudine, quales decet esse eos qui jam non servi, sed amici Dei vocati sunt. Cingulum nos monet, quod comedentes Agnum accingere debent renes suos, ut castitas sacerdotalis cingulo praecincta nullis incentivorum stimulis dissolvatur. Manipulus, praemisso Crucis osculo, sinistro brachio insertus, ostendit lacrymas, dolorem, et poenitentiam, quibus peccata lugeat Sacerdos, et ab Episcopo ipso in Ordinatione admonitus fructum bonorum operum colligat, et dignam faciat messem poenitentiae. Stola collo superposita, et in modum crucis per medium pectoris ducta, suave Christi jugum significat, quod alacriter portet Sacerdos. Planeta tandem, quae caeteris vestibus superinduitur, signum est charitatis, quae reliquis virtutibus excelsior, tamquam vinculum perfectionis omnibus supereminet.“ Cf. Bened. XIV, *l. c. n. 44.*

Rub. 1. In Officio Missae Celebrans semper utitur Planeta super Albam [1].

1) *Planeta.* Hoc sacerdotale indumentum variis nominibus appellatum fuit, nempe: *Planeta, Casula, Paenula* etc.: *Planeta* (quae vox *errorem* sonat) quia limbus ejus erat errabundus utrimque, et ideo ad brachia reflectebatur et sublevabatur. — *Casula,* quia instar parvae casae, totum corpus tegebat a collo ad pedes, et brachia manusque involvebat. Bened. XIV, *l. c. n. 49.* Hinc donec Planetae vetus forma permansit, manipulum a Sacerdote post *Confiteor* accipi consuevit, tuncque super Sacerdotis brachia sustollebatur Planeta. Nunc vero, etsi Planetae forma mutata est, eumdem morem Episcopi retinent. *Ibid.*

„Planetam, antequam sacra vestis esset, profanum fuisse indumentum et Laicis commune, constat ex pluribus documentis.“ *Ibid. n. 50.* Nunc adhibetur ad Missam tantum. Cf. *Rub. 3.*

Alba etiam appellatur *Camisia, Camisus* et *Camisile.* Graeci *Poderem,* Itali *Camice* vocant. Olim Ecclesiastici viri Alba ad quotidianum communemque usum vestiebantur. *Ibid. n. 41.*

Rub. 2. Si autem sit Episcopus, et solemniter celebret, super Dalmaticam [1] et Tunicellam [2].

Utraque utitur Episcopus tum quia in eo eminenter sunt omnium Ordinum gradus, tum quia duorum Testamentorum est custos. Ex Dur. etc. ap. Gav. *part.* 2, *tit.* 1, *rub.* 6.

Rub. 3. Pluviali [3] utitur in Processionibus et Bene-

1) *Dalmatica* communis vestis erat, quae in Dalmatia, unde nomen traxit, inventa fuerat. Eam Reges etiam adhibebant. Bened. XIV, *l. c. n.* 4. Antiqua Dalmatica erat sine manicis. „Erat hoc indumentum solis Episcopis proprium; ast ubi Episcopi Dalmaticam sub Casula inducere coeperunt, et Planeta propria presbyterorum evasit vestis, Sylvester Papa Diaconis Romanis Dalmaticam concessit in diebus tantum solemnioribus; et aliorum postea summorum Pontificum privilegio pro particulari indumento extensa fuit omnibus Diaconis, qui antea praeter Albam talarem Stola tantum cum Tunica aliqua minus splendida erant induti.“ Fornici, *cap.* 12.

2) *Tunicella* non semper usi sunt Subdiaconi: hi enim primitus ministrabant in Albis; deinceps eis concessa est Tunicella ita nuncupata, quia minor est Dalmatica diaconali. Gav. *h. l.* Eadem induitur clericus, quando, ut infra dicitur, supplet vices Subdiaconi. „Hodie, inquit Card. Bona *l.* 1, *cap.* 24, *a.* 19, nulla amplius reperitur differentia, nisi quod Subdiaconi manicae strictiores et breviores sunt. Ast hanc ipsam differentiam communius negligi experientia commonstrat. Sunt tamen aliquae Ecclesiae, praesertim in Gallia, in quibus veneranda antiquitas novitati praevalet, ubi in Tunicella subdiaconali et diaconali Dalmatica differentia inviolabiliter observatur.“ Fornici, *l. c.*

3) *Pluviale.* „Haec vestis, si vis nominis spectetur, venit a pluvia. Antiquitus ad frigus pluviamque arcendam Casulae cucullatae cum caputio erant etiam a laicis usitatae. Hae vestes ex quadam necessitate ab Ecclesia primitus fuerunt receptae quando institui coeperunt processiones; utpote revera opportunae contra pluviam, quae poterat obvenire. Successu temporis Ecclesiarum ministri, ut brachia haberent magis expedita, a parte anteriori aperire coeperunt, et pluvialia dixerunt. Ut in his rebus fieri solet, splendidam formam Pluviale deinde accepit, et mutato caputio in ornamentum, Superiorum auctoritate inter sacras vestes retentum fuit sub nomine *Pluvialis.*“ Fornici, *l. c.* Pluviale nuncupatur etiam *Cappa.* Unde vox *Cappa* in duplici sensu sumitur, pro Pluviali scilicet et Cappa proprie dicta seu longa. „Cappa significat etiam Cappam magnam, seu longam, cum caputio, pellibus vel serico secundum temporum exigentiam, subsuto, qua utuntur Cardinales, Episcopi, in multis cathedralibus etiam Canonici.“ Merati, *h. l. n.* 1. Cf. not. *tom. I, pag.* 362 *fin.*

dictionibus (1), quae fiunt in altari. Item in Officio Laudum et Vesperarum, quando solemniter dicuntur. Eodem utitur Assistens Celebranti in Missa Pontificali (2). Item quando Celebrans post Missam Defunctorum facit in fine Absolutionem.

(1) *In Processionibus* etc. „Planeta cum stola, inquit Vinitor §. 5 cum Gav., est habitus ad Missam tantum; ideoque stola super albam sufficit, deficiente Pluviali, tam in Processionibus quam in Benedictionibus quae fiunt in altari.“ „Ratio literalis est, ait Merati *n. 1,* ut etiam in vestibus appareat discrimen inter Sacrificium, quod in Missa peragitur; quo nihil sanctius a Fidelibus tractari potest, ex Trid. *sess. 22 (supra pag. 24)*, ut, inquam, sit discrimen inter Sacrificium et alias sacras functiones: quia in Missa Sacerdos utitur Planeta seu Casula, quae ad usum Sacrificii singulariter est destinata et benedicta.“

(2) *In Missa Pontificali.* Et ratio est „quia inde resultat major veneratio erga Celebrantem et ipsam sacram functionem.“ Mer. *l. c.*

Ex hac Rubrica, quae soli Celebranti in Pontificalibus tribuit Assistentem, colligitur consuetudinem eum adhibendi in aliis Missis solemnibus, esse abusum, nisi accesserit S. Sedis approbatio. Quae approbatio, si excipias Canonicos et Dignitates, ex dec. 16 Mai. 1673, n. 2478, 1, 17 Jun. 1843, n. 4824, etc. denegatur; imo praefatus usus expresse reprobatus fuit tanquam abusus, dec. 15 Mart. 1721, n. 3796. „Quod si alicubi, inquit Gardellini *ad n. 4474 § Neque argumenta,* in solemnioribus festivitatibus, praeter Diaconum et Subdiaconum Presbyter Pluviali indutus assistit, id fit per abusum, nullo praetextu cohonestandum, imo prorsus reprobandum et abolendum.“

Hic videtur opportunum quaedam addere de iis qui, praeter Celebrantem et Assistentem, quandoque Pluviali induuntur. Jam vero 1° per Caerem. Ep. *lib. 2, c. 3, n. 16,* in Vesperis solemnioribus Pluviale tribuitur etiam sex Presbyteris seu Clericis (vid. *tom. IV, p. 364 sq.*); et 2° juxta Merati *h. l.* „tribuitur etiam Cantoribus ad majorem solemnitatem, quia non est vestis propria Sacerdotis, ut planeta seu casula, sed communis aliis.“ Cf. Gav. *h. l. lit. d.* Alii tamen hoc aliter exponunt: juxta ipsos Pluviale non tribuitur Cantoribus, qua talibus; sed fieri solet ut, qui

illo induuntur in Vesperis solemnioribus, munere Cantorum fungantur. Cf. P. Le Vasseur, *part. 1, h. l. n. 22.*

Ex sententia Merati mos in hisce regionibus inductus est ut *a)* Pluvialibus induantur Cantores non tantum Clerici, sed etiam laici; et *b)* ut Cantores, Pluvialibus induti, intersint non tantum Vesperis, sed etiam solemnibus Missis. Neuter usus probatur a P. Le Vasseur *l. c. n. 19* et *23* [1]. Nec ego quidem ulli volo esse auctor ut hujusmodi usum introducat aut promiscue manuteneat; sed neque asserere auderem utrumque usum esse tollendum. Et quod ad *primum* attinet, verum quidem est per Rubricam laicis non tribui usum Pluvialis. Nec mirum; quia non supponit Officium Cantorum ab ipsis adimpleri. Sed inde non necessario sequitur Pluviale iisdem interdici, etiam si praedicto Officio fungi permittantur. Quin potius contrarium

1) „Il est d'usage, *inquit,* dans beaucoup d'églises de France, de revêtir de chapes des Chantres laïques. Les règles de l'Eglise ne supposent jamais cette coutume; et, dans les pays où jamais n'ont été introduits des abus de ce genre, le peuple serait scandalisé de ce qu'on pourrait appeler en quelque sorte la profanation d'un vêtement essentiellement ecclésiastique, qu'on fait porter à des hommes qui n'ont pas le droit de s'en revêtir, et dont la conduite et la tenue contrastent trop souvent avec les fonctions saintes qu'on leur fait remplir sous un habit sacré. Tout en laissant à chacun la liberté de penser qu'en se procurant, par ce moyen, des chapes au milieu du choeur, on ajoute aux offices un appareil plus majestueux, nous allons exposer les principes qui se rattachent à cette question."

Et *n. 23, q. 4,* agit de altero usu. „Ceux, *inquit,* qui remplissent la fonction de Chantres pendant la Messe solennelle, peuvent-ils aussi porter la chape?"

„R. Aucun auteur n'en parle, sinon ceux qui ont écrit d'après les usages français. A Rome, il n'y a pas, comme dans la plupart des églises de France, de chapiers pour la Messe, même solennelle, mais seulement pour les Vêpres. Le Cardinal Préfet de la S. C., consulté sur ce point, a répondu: *„Non esse in usu* [1]." De plus, ceux qui revêtent de chapes les Chantres pendant la Messe solennelle paraissent n'avoir pas réfléchi sur le motif pour lequel ils en sont revêtus pendant les Vêpres. En effet ils ne sont revêtus de chapes pendant les Vêpres que pour assister l'Officiant, et c'est par accident qu'ils remplissent la fonction de Chantres. De plus, les auteurs qui donnent la chape comme l'habit propre des Chantres n'en parlent que pour les Vêpres et en ce sens." Sed vid. Merati, supra cit.

1) Rép. du Card. Préfet de la S. C., 5 Oct. 1851.

erui potest, tum ex usu superpellicei quod prohibitum non videtur laicis, qui vices clericorum ex necessitate supplent, tum ex indulto juxta quod Superiores, occurrente necessitate, permittere possunt ut Clerici loco Subdiaconi ministrent alba et tunicella induti. Incommoda autem, quae a P. Le Vasseur recensentur, ostendunt quidem sedulo esse invigilandum et curandum ut ea praecaveantur, aut removeantur, si jam existant; sed non probant usum ubicumque esse tollendum. Addi potest scandalum in populo minus esse timendum in servando usu jam vigente, quam in eodem introducendo ubi nondum viget.

Quod ad *secundum* casum attinet, usum nempe ut Cantores etiam in Missa vestiantur Pluviali, hic usus potius dicendus est praeter quam contra Rubricas. Posito enim, ut tradit Merati, Pluviale esse paramentum Cantorum, illius usus in Missa videtur quaedam applicatio seu extensio de casu expresso ad non expressum, id est, de Vesperis etc. ad Missam. Unde hic usus non proprie introducit novum ritum, nec adversatur alicui Rubricae; et praeterea non est reprobatus a S. Sede; quin potius eidem assistit responsum Em. Card. Praefecti a P. Le Vasseur allegatum; etenim Em. Card. declarando *non esse in usu* insinuat se non velle hujusmodi usum, ubi viget, reprobare, quamvis eidem non faveat praxis universalis.

Rub. 4. Cum Celebrans utitur Pluviali, semper deponit Manipulum (¹), et ubi Pluviale haberi non potest, in Benedictionibus, quae fiunt in altari, Celebrans stat sine Planeta, cum Alba et Stola (²) [1].

1) *Stola* olim erat vestis communis; de ea mentionem faciunt scriptores tum profani, tum sacri. Cf. Merati, *p. 2, tit. 1, n. 28 sq.* „Stola, inquit Bened. XIV, *sect. 1, n. 45,* vestis erat longa, quae totum corpus tegebat; ac nomen illud traxit ex quadam fascia ad ejus vestis oram circumducta, quae Stola dicebatur.“ Stola nuncupata est etiam Orarium; sed qua ratione, non convenit inter AA., ut videre est ap. Bened. XIV et Mer. *ll. cit.*

„Stolae usus vetustissimus est in Ecclesia, cujus documenta mille et trecentis annis antiquiora afferri possunt: eam semper et ubique gestabant Episcopi, et Presbyteri; Diaconi itidem semper et ubique, sed primo tantum ordinationis suae anno.... Hoc vero tempore solus Romanus Pontifex veterem Episcoporum Presbyterorumque morem retinuit semper gestandi Stolam. Longior erat antiquitus Stola quam qua nunc utimur....“ Bened. XIV, *l. c. n. 47 sq.* Cf. Gardel. *hic in not. pag. sq.*

(1) *Semper deponit Manipulum.* „Omnino extra Missam nullus est Manipuli sacerdotalis usus, ut hinc etiam appareat discrimen inter Sacrificium et alias sacras functiones: Manipulus enim fletum et dolorem significat, et ideo singulariter adhibetur in Missa, in qua renovatur Sacrificium Crucis et repraesentantur cruciatus et dolores Christi Domini, et mors ejusdem acerbissima, qualiter nunquam repraesentatur extra Sacrificium, et ideo extra Sacrificium non adhibetur Manipulus, quia non est dolor similis dolori, quem Christus in Cruce sustinuit, et quo nos affici in Missa decet.“ Quarti, *h. l.* Cf. *Rub. praec.*

(2) *Cum Alba et Stola.* „Stola vero cum Alba in modum Crucis ante pectus gestari debet, cingulo de more conjuncta, et utrimque religata [1]. Quod si adhibeatur una cum superpelliceo, soluta pendebit a collo hinc inde, quia ligari in modum Crucis non potest; et eodem modo sive cum Pluviali, sive absque eo adhibeatur illa. . .“ Gav. Cf. *sect. III, tit. I, 3 et 4,* ubi habetur exceptio pro Episcopis.

Cum nullibi in Rubricis reperiatur generalis regula pro usu Stolae, et haec quandoque contra Rubricas et Decreta usurpetur, ideo quaedam hic adnotantur de illius usu, etiam extra casus praesentis Rubricae.

I. Duplex nunc distinguitur Stola, sacerdotalis videlicet et diaconalis. *Prior* defertur a Sacerdote, ut dictum est, *adnot.* 2. *Posterior* autem a Diacono gestatur super uno tantum humero, nempe sinistro, connexa sub axillam dextram.

Stola, per se loquendo, non est signum distinctivum dignitatis aut jurisdictionis; sed est paramentum Sacerdotis [2]. Unde, quoad illius usum, poni potest sequens

1) Ita dec. 30 Sept. 1679, n. 2754, 8.

2) „Certum est id a pluribus saeculis obtinuisse, ut Stola rationem dumtaxat habeat sacri indumenti, ac propterea nequeat adhiberi, nisi in confectione, et administratione Sacramentorum, et in Sacramentalibus, juxta Rubricarum et Ritualis dispositionem. Nullibi vero legitur, quod delatio Stolae nedum sit sacerdotalis Dignitatis, quando exercitium Ordinis ejusdem usum requirit, verum etiam habeatur ut signum jurisdictionis. Veteris disciplinae immutatio quoad formam et usum, nequit efficere, ut quod prius ponebat discrimen inter Sacerdotes, et Laicos, ac inferiores Clericos, evaserit postea jurisdictionis indicium, ita ut Stolae delatio competat Parochis in quibusdam actionibus, quae sicut cum exercitio Ordinis conjunctae non sunt, ita nequeunt Stolae usum exigere. Solus Romanus Pontifex in signum

regula generalis: Stola sive sacerdotalis, sive diaconalis, seclusa legitima consuetudine, adhiberi tantum potest in Ministeriis pro quibus per Rubricas aut Decreta, sive generatim, sive in specie assignatur aut permittitur. Quae regula non indiget probatione; usus enim Stolae ab arbitrio privatorum eo ipso subducitur, quod ea ut vestis sacra habetur ab Ecclesia, et assignatur certis determinatisque Officiis ecclesiasticis. Cf. Gardel. *hic in not.*, et S. R. C. dec. gen. 7 Sept. 1816, n. 4374.

II. *a)* Rubricae propriis locis indicant quando requiratur usus Stolae. Hic tamen de Stola sacerdotali notari potest, eam esse adhibendam in Missa, et generatim in conficiendis, administrandisque Sacramentis, et in benedictionibus, atque in nonnullis functionibus, ut in delatione aut quavis tractatione SS. Sacramenti, et in elatione Corporis in exequiis.

b) Ex decretis Stola adhibetur in sequentibus casibus: 1° in concione, ubi existit immemorialis consuetudo. Dec. 12 Nov. 1831, n. 4520, 21. Hoc tamen limitatur ad concionem, nec extendi potest ad Orationem funebrem, pro qua in omnibus Ecclesiis servanda est dispositio Caerem. Ep. *l. 2, c. 11, n. 10*, uti declaratum est 14 Jun. 1845, n. 4865, 2. — 2° Sacerdos qui, Superpelliceo et Stola indutus, praefuit elationi cadaveris, potest retinere Stolam dum praeest matutino et laudibus quae immediate sequuntur. Dec. 12 Aug. 1854, *in Lucionen. ad 58.* Ratio autem esse videtur, quia est quasi eadem seu continua actio cum funere. — 3° Dato vel privilegio [1], vel consuetudine centenaria, Parochi eam deferre possunt in processionibus, quando collegialiter incedunt [2]. Imo hoc etiam licitum videtur absque indulto et consuetudine. Etsi namque ex duobus decretis, *in not. 1 et 2 cit.*, videtur negandum, attamen ex ratione ab ipsa S. C. allegata, in dec. 27 Mart. 1824, n. 4476, videtur affirmandum, argumento *a fortiori;* si enim decet et conveniens est, ut Confraternitatum Ca-

supremae universalis potestatis, quam a Deo sibi datam habet, et exercet in toto Orbe Catholico, Stolam non solum ad aram, sacrisque actionibus, sed ubique defert.« Gardellini ad n. 4400. Idem cfr. ad Inst. Clem. §. IX, n. 8 sqq., et ad dec. n. 4465, 1. Cs. Lucius Ferraris V, *Stola, n. 2.*

1) Dec. 22 Aug. 1818, n. 4400.

2) Dec. 5 Mart. 1825, n. 4465, 1.

pellani a simplicibus Clericis distinguantur, id a fortiori affirmandum est de Parochis. — 4° Delatio Stolae permittitur Capellanis, qui cum suis Confraternitatibus in processionibus incedunt [1].

c) Romae ex consuetudine Stola adhibetur a Sacerdotibus ante expositum Sacramentum orantibus. „Romae constans consuetudo est, inquit Gardellini, *Inst. Clem. § IX, n. 8,* superimponendi superpelliceo Stolam, quam solummodo deponunt Sacerdotes coram Sacramento orantes, et ad altaris latus secedunt, si veneraturus Sacram Hostiam Summus Pontifex accedat. In solis Patriarchalibus Stola non adhibetur, tum quia Ecclesiae sunt (ut ipsum fert nomen) propriae Pontificis, tum quia assistentia fit in habitu chorali.“ Usus romanus videtur posse etiam alibi, et quidem laudabiliter, servari: etenim non est contra, sed juxta Rubricas, quae usum Stolae semper requirunt ubi tractatur SS. Sacramentum; et praeterea implicite approbatur a Summo Pontifice. Cf. Cav. *tom. 4, cap. 7, Inst. Clem. § IX, n. 2.*

Quod dictum est, *Stolam non esse signum distinctivum dignitatis aut jurisdictionis*, hoc intelligendum est *per se loquendo*. Nam 1° Sum. Pontifex eam semper defert, ut notatum est, in signum universalis et supremae jurisdictionis; 2° aliquo sensu, mediate scilicet et indirecte est etiam signum dignitatis sacerdotalis, et jurisdictionis, quatenus soli Sacerdotes, aut qui jurisdictionem habent possint exercere officia, pro quibus requiritur Stola sacerdotalis; et 3° in certis actionibus, in specie determinatis, tribuitur Sacerdotibus aut Parochis ut ab aliis distinguantur: sic, juxta Cavalieri *tom. 4, dec. 5, n. 6,* per Stolam, qua Sacerdotes induuntur in Communione solemni, significatur dignitas Sacerdotis et ejus potestas in verum Corpus Christi conficiendum et ministrandum; pariter in processionibus tribuitur Parochis ut signum distinctivum. „Usus Stolae, inquit Gardellini *l. c. n. 9,* non ita accipi semper debet extra Sacramenta, ut sit signum jurisdictionis, superioritatis, et Officii; sed, praecise ab actuali exercitio, ut vestis sacerdotalis, seu ut distinctivum Sacerdotii consideratur. . . .“

Stola, extra praefatos casus, adhiberi nequit, ususque contrarius declaratus est abusus a S. R. C. dec. gen. 7 Sept.

1) Dec. 27 Mart. 1824, n. 4457, et dec. 16 Dec. 1826, n. 4476 et 4477.

1816, n. 4374. Unde eadem S. C. de eodem usu pluries interrogata, respondit: *„serventur Decreta“*. Cf. dec. n. 4575 et 4637. Notandum tamen est dec. gen. 7 Sept. 1816 non esse crude accipiendum, quasi omnis Stolae usus prohiberetur extra collationem et confectionem Sacramentorum: datum enim est de usu Stolae in canendis divinis Officiis; et ideo intelligendum est de casibus in quibus Stola non praescribitur aut permittitur per Rubricas, Decreta aut legitimam consuetudinem.

Ex dictis manifesta fit Ecclesiae voluntas circa usum Stolae, ac proinde frustra quis allegaret vim consuetudinis, ad continuandum in usu adhibendi Stolam tum in Officiis divinis, extra praedictos casus, tum in processionibus. Quod tamen attinet vim indirectam consuetudinis, vide dicta *tom. I, pag. 35 et 53.*

Rub. 5. Dalmatica et Tunicella utuntur Diaconus et Subdiaconus in Missa solemni, et Processionibus et Benedictionibus, quando Sacerdoti ministrant.

Et Benedictionibus, quae scilicet fiunt solemniter; excipe tamen Benedictiones Cereorum in Purificatione B. M. V., Cinerum et Palmarum, ut in *seq. Rub.*

Rub. 6. In diebus vero jejuniorum [1] (praeterquam in Vigiliis [2] Sanctorum) et in Dominicis, et Feriis Adventus, et Quadragesimae, ac in Vigilia Pentecostes ante Missam (exceptis Dominica *Gaudete,* etiam si ejus Missa infra hebdomadam repetatur, et Dominica *Laetare*, et Vigilia Nativitatis Domini, Sabbato Sancto in Benedictione Cerei, et in Missa, ac in Quatuor Temporibus Pentecostes); item in Benedictione Candelarum [3], et Processione in die Purificationis B. Mariae, et in Benedictione Cinerum, ac Benedictione Palmarum [4] et Processione: in Cathedralibus et

1) Dalmatica et Tunicella, utpote vestes festivae et laetitiae, omittuntur temporibus, poenitentiae et moerori destinatis. Speciales rationes pro Adventu assignantur ap. Gav.

2) *In Vigiliis Sanctorum.* Vigilia, utpote principium Festi, aliquam habet laetitiam, etsi non plenam, quia in ea jejunamus. Gav. Ratio aliarum exceptionum est obvia.

3) *In Benedictione candelarum.* Ob anxiam Simeonis exspectationem, inquit Gav. cum Durando.

4) *In Bened. Palmarum,* quae Passionem Domini sapit potius, quam laetitiam inanem turbarum: flevit etiam Christus sedens super asinum. *Luc. XIX, 41.* Gav.

praecipuis Ecclesiis (1) utuntur Planetis plicatis [1] ante pectus (2): quam Planetam Diaconus dimittit (3), cum lecturus est Evangelium, eaque tunc super sinistrum humerum super Stolam complicatur, aut ponitur aliud genus Stolae latioris (4) in modum Planetae plicatae, et facta Communione resumit Planetam ut prius. Similiter Subdiaconus dimittit eam, cum lecturus est Epistolam, quam legit in Alba; et ea finita, osculataque Celebrantis manu, Planetam resumit ut prius.

(1) *Praecipuis Ecclesiis.* Per praecipuas Ecclesias Vinitor §. 7, cum Castaldo, intelligit Collegiatas insignes Canonicorum Cleri Saecularis, et insignes Ecclesias Regularium. „Praecipuas intellige praesertim, inquit Gavantus, quae sunt Collegiatae insignes Canonicorum Cleri Saecularis, et quae ob alias causas praecipuae a populo seu a majoribus declarantur...“ Ab hac communi aestimatione, praesertim apud nos, petendum est quaenam Ecclesiae sint praecipuae: saeculo enim praeterito omnes Collegiatae Canonicorum suppressae fuerunt, hisce in Regionibus, neque deinceps instauratae. Cf. dec. 8 Mart. 1631, n. 755, et dicenda cum Quarti, *Rub. seq. de Ecclesiis minoribus.*

(2) *Planetis plicatis.* Antiquitus Planeta seu Casula erat vestis communis tam Presbyteris quam aliis Ministris, eaque omnes utebantur in sacris functionibus. Deinde Ministri, loco Planetae adhibuerunt Dalmaticam et Tunicellam; quod adhuc servatur; exceptis tamen diebus in quibus non congruit uti Dalmatica et Tunicella. Quibus diebus, in Ecclesiis minoribus Ministri inserviunt *in albis;* et in Cathedralibus, in Collegiatis et praecipuis Ecclesiis etiamnum ministrant induti Planetis seu Casulis, sed plicatis. Plicantur autem ad vestigium antiquitatis, sicuti eadem de causa elevatur casula Celebrantis ad elevationem tum Hostiae, tum Calicis. Cf. Mer. *p. 4, tit. 1, de Adv. n. 4.*

(3) *Dimittit cum lecturus est Evangelium* etc. Juxta Merati *l. c.* hic usus inductus est, ideo quod facilius erat Planetam exuere quam complicare; sed juxta Gav. ex

1) *Planetis plicatis.* „Planetae autem plicatae Ministrorum sunt ejusdem formae, et coloris ac illa Celebrantis; sed tamen sic plicatae ut pars anterior replicetur interius usque ad medium, vel revolutae etiam ante pectus, et tantum aciculis, aut quibusdam vittis, sive ligaturis firmantur, ne pars earum anterior decidat.“ Merati, *part. 4, tit. 1, n. 4.*

Rupert., „dimittitur Casula ab utroque lecturo Epistolam seu Evangelium, quasi profiteantur in proprio ministerio legenti eam non esse propriam vestem.“ Gav. *h. l.*, ubi praeterea affert rationes mysticas.

(4) *Aut ponitur aliud genus Stolae latioris.* Dicitur aliud genus Stolae, quia non est proprie Stola, sed quoddam indumentum abhibitum, ne in hujusmodi Ecclesiis, praefatis diebus, Diaconus ministret sine ullo habitu. Hoc indumentum est originis recentioris et quidem posterioris saeculo XIV et XV. Cf. Mer. *l. c.*

Usus, huic Rubricae contrarius, reprobatur dec. 11 Sept. 1847, n. 4958. Notandum autem est hoc decretum non esse applicandum Ecclesiis minoribus, de quibus seq. Rub. Cf. pt. dec. 12 Aug. 1854, *in Lucionen. 26.*

Rub. 7. In minoribus (1) autem Ecclesiis, praedictis diebus jejuniorum Alba tantum amicti ministrant: Subdiaconus cum Manipulo, Diaconus etiam cum Stola ab humero sinistro pendente sub dextrum.

(1) „Minores Ecclesiae hic vocantur, inquit Quarti, in quibus vel minor est numerus Clericorum, vel minor copia sacrae supellectilis ob paupertatem.“ Sed Ecclesiae minores videntur hic strictius accipi; et magis placet per Ecclesias minores eas intelligere quae non sunt praecipuae juxta regulam datam cum Gavanto ad Rub. praec. Hujus Rubricae haec est ratio: in minoribus Ecclesiis non solum Dalmaticae non congruunt ratione dierum, sed nec Casulae, ratione locorum. Vinitor *§. 8.*

Pro conclusione *h. t.* animadvertere juvat paramenta sacra, si tamen excipias Pluviale, ut supra, et superpelliceum (ut dicitur, *sect. seq. tit. II, 1*), non posse a Laicis usurpari; imo, secluso indulto, nec a Clericis in minoribus tantum constitutis: Rubricae enim ea tantum tribuunt Ministris sacris ad sua munia exercenda. Confirmatur ex dec. n. 1825, 6, et n. 4942.

Indulsit tamen S. R. C. ut, data necessitate, Clericus in minoribus constitutus possit (ex permissu Superioris), tamquam Subdiaconus paratus, Manipulo excepto, cantare Epistolam, dec. 5 Jul. 1698, 18; quin, dec. 22 Jul. 1848, n. 4965, 5, indulsit ut Clericus regularis, nondum in minoribus, possit, data necessitate, nedum Epistolam cantare, sed etiam ipsius Subdiaconi Officio fungi. Cf. *dec. in Cameracen. cit. pag. 17.*

Quaeritur an, vi praedictorum decretorum, liberum sit cuicumque Clerico, aut in minoribus constituto, fungi Officio Subdiaconi?

R. Negative: in utroque enim decreto agitur de Clerico a Superiore deputando, occurrente necessitate. Praeterea ad vitandam admirationem in populo aliave incommoda, id non est promiscue permittendum, sed tantummodo pensatis circumstantiis locorum et personarum; quod ad Superiorem, et non ad Clericum spectat.

Appendix de Birreto et Pileolo.

Hic loci quaedam veniunt notanda de Birreto et Pileolo, quae, etsi non numerantur inter paramenta sacra, respectum tamen habent cum sacris functionibus: dicendum est quid sit Birretum, quid Pileolus, quandonam debeat aut possit adhiberi intra sacras functiones.

„Vox *Birretum* a *Borro* cujus est diminutivum, derivata est. *Birrum* vestis est, qua corpus, *Birretum* pars vestis qua caput tegitur, ut notat du Cange, verbo *Birretum*. Romae et in plerisque aliis Ecclesiis nono saeculo Birreti nullus erat usus. Amictu enim caput obnubebant, et cum Missam inciperent, illum, quemadmodum nunc medicantium Ordinum Religiosi, in humeros rejiciebant...." In Ordinatione Subdiaconi etiam nunc Episcopus amictu caput Ordinando obnubit, quem ille deinde ad humeros rejicit. Quo autem tempore consuetudo illa exoleverit, ut Sacerdotes amictu caput obnupti ad altare accederent, incertum est. Illud facile possumus suspicari, nullum fuisse usum Birreti, donec ea consuetudo viguerit." Ben. XIV, *sect. 1, n. 53.*

Birreti clericalis forma plus minusve variat pro variis Regionibus. Usurpatur quandoque forma rotunda [1], sed communibus quadrata, et quidem cum tribus tantum aut cum quatuor cuspidibus. Sic certis in locis quatuor habentur cuspides ut tempore Bened. XIV apud Hispanos et

1) »Alicubi clericalis Pilei forma est rotunda, ut videre est apud Barbosam, *allegat. 9.* Passim alibi usurpatur forma quadrata.« Ferraris V. *Birretum, n. 15.* »Erat autem Birretum rotundum a sua origine, ut ex antiquis tabulis, sepulcralibus figuris luculenter apparet. At cum digito assidue apprehenderetur, sensim cornua quaedam adeptum est, quae deinde, solida et forti tela subsuta, Itali in tres, Germani, Galli, et Hispani in quatuor per modum Crucis angulos sublevarunt.« Fornici, *c. 10.*

nunc apud nos; alibi vero tres tantum, ut apud Italos [1] ubi quatuor cuspides apponuntur tantum ad Birretum doctorale, quod scilicet Doctoribus traditur et quo utuntur, non in functionibus ecclesiasticis, sed iis tantum in circumstantiis ubi agunt personam Doctoris. Quisque sese conformet legi aut usui propriae Dioecesis [2].

De usu Birreti in sacris functionibus dicitur propriis locis. Hic tamen notare juvat usum Birreti non permitti coram Venerabili exposito, nec in ejusdem delatione ad infirmos.

II. De usu, seu potius de non usu *Pileoli*, qui et *Birrettino* appellatur apud Italos (cf. dec. n. 3153, 1) sint haec pauca.

1. Si sola nostrorum templorum sanctitas postulet ut in iis nonnisi aperto capite adstemus, a fortiori caput cooperiendum non est infra functiones sacras, si excipiantur casus in quibus ex Rubricis adhibetur Birretum clericale. Quare, seclusa ratione et indulto, usus Pileoli est illicitus infra Missam, divina Officia, aliasque sacras functiones. Ideo a Clem. XI decretum fuit ne Canonici, Beneficiis praediti, caeterique ad chorum pertinentes divinis laudibus interessent cum comis fictitiis. Cf. Bened. XIV, *Inst. 96, n. 4 sq.* Eadem causa reverentiae, Rubricae passim mandant ut caput sit apertum, aut apertum supponunt, et varia S. R. C. prohibent usum Pileoli. Sic die 14 Jun. 1845,

1) „Itali, unico angulo submisso, tres ad honorem SS. Trinitatis elevant, et nihilominus Crucis figuram retinere contendunt.“ *Ibid. n. 14.*

2) Ex decreto S. R. C. 7 Dec. 1844, n. 4845, non sequitur ubique quatuor prohibitas esse cuspides; illud enim decretum, ut disserit D. Nilles, est particulare, datum scilicet intuitu circumstantiarum peculiarium. En ejus verba: „Accusandi forte infractae legis eo titulo nostrates sunt, quod ornati Doctorum insignibus incedant in obeundis sacris muneribus? Non putant vigilantissimi Germaniae, Galliae, Belgiique Episcopi. Sed qua de causa, inquies, S. R. C. ejus usum inhibuit sub 7 Dec. 1844 *in Venusin.?* Quia scil. locorum circumstantiae id omnino fieri exigebant. Cum enim eodem doctorali Birreto *cum quatuor apicibus* in plerisque Italiae scholis promiscue magistri in scientiis utantur, sive Laici ii sint, sive Sacerdotes, praescribendum utique erat, ut Clerici aliud in Ecclesia adhiberent. Quod opportunissimum sane pro Italis decretum si quis alibi, ubi non habentur nisi Birreta *cum quatuor apicibus, promulgare vellet,* nescio plane an optime de S. R. C. mereretur.“

n. 4872, 6, rescripsit: *in Sacris functionibus numquam Pileolo uti posse.* Cf. resp. *ad 4 et 5 ibid.*

2. Hujusmodi tamen prohibitio intelligenda est, seclusa necessitate aut dispensatione. Qualis vero necessitas requiratur et sufficiat, id petendum est a circumstantiis locorum, temporum et personarum: nam ex circumstantiis, aliae per se eximunt a lege, et aliae id non efficiunt, nisi accesserit Superioris declaratio aut dispensatio. De hoc consulantur Theologi. Quod ad dispensationem attinet, sequentia veniunt notanda.

1° Solus Romanus Pontifex dispensare potest ut quis uti possit Pileolo in Celebratione Missae. „Nemo audeat uti Pileolo in Celebratione Missarum sine expressa licentia Sedis Apostolicae, non obstante quacumque contraria consuetudine." *Dec. S. R. C. ab Urb. VIII approbato, initio Missalis.* „Rubricae et decreta, inquit Bened. XIV, *sect. 1, n. 53,* satis luculenter docent, solius esse Romani Pontificis ejusmodi licentiam impertire, qui cum dispensat super hac re, semper jubet Pileolum detrahi a Praefatione usque ad finem Communionis." Quare Theologi, qui contrarium docuerunt, in hoc sunt relinquendi, juxta dicta *tom. I, pag. 19, n. 3 et p. 52. II.* Cf. Bened. XIV, *Inst. 96, n. 3,* et S. Lig. *lib. 6 de Euch. n. 397, v. Dicunt.* Ratio autem hujus reservationis est obvia: fit siquidem ne absque sufficienti causa dispensetur cum detrimento reverentiae tanto Mysterio debitae. An excipiendus sit casus extraordinarius, vide ap Bened. XIV, *n. 53, cit. ad fin.,* et *Inst. 96, n. 9 et 14,* et ap. S. Lig. *n. 397 cit.* Pariter Sedi Apostolicae reservata videtur facultas permittendi usum Pileoli in delatione S. Viatici. Hic tamen facilius et frequentius, praesertim ruri, continget dari necessitatem utendi Pileolo. Unde quandoque S. Sedes committit Ordinario loci ut ipse dispenset pro suo prudenti arbitrio [1], omnibus pensatis circumstantiis, adhibitisque mediis, quibus, quantum fieri potest, consulatur reverentiae, tanto Sacramento debitae. Sic v. g. difficilius Pileolus permittitur intra, quam extra civitatem: etenim in civitate vix occurrit hujusmodi necessitas, et facilius praebetur scandalum.

2° Extra praefatos casus, Ordinarii locorum habent jus proprium dispensandi in usu Pileoli, v. g. permittendi,

1) Dec. 23 Mai. 1846, n. 4890. Cf. dec. 23 Jan. 1740, n. 3951, 13 Aug. 1695, n. 3395 etc.

data ratione, ut quis possit uti Pileolo infra recitationem divini Officii. Cf. Bened. XIV, *Inst. 96, n. 5,* et *lib. 11, de syn. cap. 11, n. 5.*

3° Qui a S. Sede privilegium Pileoli obtinuit, attendere et servare debet tenorem ipsius Indulti, et S. R. C. decreta quae hujusmodi privilegium interpretantur. Varia decreta hac de re reperiuntur citata apud Gardellini *ad n. 4435, 2.* Cavendum autem est ne decreta, quae agunt de Canonicis, hujusmodi privilegio donatis, extendantur ad non privilegiatos.

Quaeritur an hic nomine Pileoli comprehendatur coma fictitia?

R. Affirmandum est cum Bened. XIV, *de syn. l. c., Inst. 34, n. 14* et *Inst. 96, n. 5 sqq.* In hac *Inst. n. 12* declaratur quid sit coma fictitia seu supposititia. Cs. S. Lig. *l. c. n. 398,* Janss. *part. 3, tit. 10, §. 1, n. 26* eamdem tradit doctrinam, cui subjungit: „datur tamen aliqua disparitas moralis, quod *Pileolus* sit species pilei, cujus vices supplet: coma autem supplet tantum vices crinium. Et ideo in adoratione SS. Sacramenti ille solet deponi, haec numquam."

TITULUS XX.

DE PRAEPARATIONE ALTARIS ET ORNAMENTORUM EJUS.

Notio. Vocabulum *Altare* varie sumitur: *a)* pro integro altari, scilicet pro tota massa seu structura, et tabula superiori seu ara; *b)* pro ejus nobiliore parte, id est, pro solo lapide sacro, ara lapidea, sive totam constituat mensam, sive in medio ejus inseratur. Tam in una quam in altera acceptione, altare distinguitur in *fixum* et *mobile,* hocque nuncupatur *Viaticum,* quia eo utuntur viatores. Altare *mobile,* in priori acceptione, est illud quod ad tempus construitur v. g. in aliquo loco Ecclesiae occasione alicujus Solemnitatis; e contra *fixum* est quod non accidentaliter et ad tempus, sed immobiliter et in perpetuum constitutum est: hujusmodi sunt altaria affixa parietibus aut columnis Ecclesiarum. Pariter ipsa Ara est *fixa* et *mobilis* seu portatilis, prout immobiliter adhaeret basi seu structurae, vel eis tantummodo accidentaliter seu mobiliter supponitur. Cf. dec. S. C. Indulg. 20 Mart. 1846.

Quod attinet ad modum loquendi, regulariter quando in Rubricis simpliciter nominatur altare, non intelligitur

solus Lapis; sic altare dicitur thurificandum, manus dicuntur deponi super altare, etc. Pariter quando altare privilegiatur, quaestio non est de Lapide sacro mobili, et unus alteri suffici potest quin omittatur privilegium. Cf. dec. S. C. I. cit. Attamen apud AA. altare fixum nuncupari solet illud cujus mensa adhaeret structurae, et tunc altare sumitur pro mensa [1].

Rub. Altare [2], in quo sacrosanctum Missae Sacrificium

1) „Nomine autem *Altaris* intelligitur superficies plana ad Sacrificium Missae immediate deputata. Duplex distinguitur altare in praesenti Ecclesiae disciplina, *immobile, seu fixum,* aedificatum super suis pedibus seu base, quod habet totam integram planitiem, seu mensam superiorem. *Portatile, seu mobile,* quod *ara* communiter appellatur, et collocatur super aliam mensam non consecratam ex lignis communiter constructam, et de loco in locum transferri potest: dictum etiam in jure *tabula Altaris, et Viaticum,* quod tamen in Ecclesia solum Latina usuvenit, cum petrae hujus nullus apud Orientales sit usus; sed ejus in locum pannos adhibent, eodem, quo altaris, ritu consecratos, quos *Antimensium* dicunt." Fornici. Cf. Romsée, *tom. 2 append.* Lohner etc.

2) „Primis Ecclesiae temporibus Apostolos, eorumque discipulos in mensis ligneis Sacra peregisse Mysteria verisimile est, etiam ad Jesu Christi imitationem, qui, legali coena peracta, ad mensam ligneam assidens, semetipsum in Sacrificium obtulit Deo Patri. Hoc quoque persuadet nascentis Ecclesiae simplicitas, et, ingruente persecutione, altaris transferendi necessitas; et fert traditio, in Basilica Lateranensi unum, et in aede S. Pudentianae alterum asservari altare ligneum, in quibus Romae Petrus Apostolorum princeps Missam celebravit." Cf. Ben. XIV, *sect. 1, n. 14 sqq.,* et Merati, *h. l. n. 1.* „Utrum vero, prosequitur Fornici, primis saeculis et persecutionum temporibus, praeter lignea, Christiani haberent etiam altaria lapidea, et num primus S. Sylvester saeculo IV jusserit, non amplius in ligneis, sed in lapideis altaribus Missam celebrari, quaerunt docti viri. . . ." Cf. Bened. XIV et Mer. *ll. cit.* Hic sequentia subdit. „Quod spectat ad formam altarium, certum est ligneae arcae similitudinem habuisse: hujusmodi enim est illud, quod Romae cernitur in aede S. Praxedis, sicut et illud, quod S. Sylvester in Lateranensi Basilica consecravit; lapidea vero cava erant, ut in illis servari possent Reliquiae Sanctorum."

„Cancellos qui circumstant altaria, inquit Merati *h. t. n. 5 fin.,* Presbyteri tantum et Clerici ingrediantur; neque ullo modo ibi Saeculares, maxime dum divina Mysteria celebrantur, admitti debent; idque saepe Patres admonent. et Apostolica decreta praescribunt, ut liquet in Concilio Romano, *tit. 28, cap. 4.*" Cs.

celebrandum est ([1]), debet esse lapideum ([2]), et ab Episcopo (sive Abbate, facultatem a sede Apostolica habente), consecratum ([3]), vel saltem ara lapidea ([4]), similiter ab Episcopo (vel Abbate), ut supra, consecrata, in eo inserta, quae tam ampla sit, ut Hostiam et majorem partem Calicis capiat. Hoc altare operiatur tribus mappis ([5]), seu tobaleis mundis ([6]), ab Episcopo, vel alio habente potestatem, benedictis ([7]), superiori saltem oblonga, quae usque ad terram pertingat ([8]), duabus aliis brevioribus vel una duplicata. Pallio ([9]) quoque ornetur coloris, quoad fieri potest ([10]), diei Festo vel Officio convenientis. Super altare collocetur Crux in medio ([11]), et candelabra saltem duo ([12]) cum candelis accensis ([13]) hinc et inde in utroque ejus ([14]) latere. Ad Crucis pedem ponatur tabella Secretarum ([15]) appellata. In cornu Epistolae cussinus ([16]) supponendus Missali, et ab eadem parte ([17]) Epistolae paretur cereus, ad elevationem Sacramenti accendendus, parva campanula ([18]), ampullae vitreae ([19]) vini et aquae, cum pelvicula, et manutergio mundo in fenestella ([20]) seu in parva mensa ad haec praeparata. Super altare nihil omnino ponatur ([21]), quod ad Missae Sacrificium, vel ipsius altaris ornatum ([22]) non pertineat.

(1) *Celebrandum est.* Quaestio hic est de praeparando altari ad celebrandam Missam. Decet tamen, uti habet usus communis, ut alio etiam tempore altare non spolietur cruce et candelabris.

(2) *Lapideum,* quo Christus significetur: *Petra autem erat Christus,* inquit Paulus, *I Cor. X, 4.* Primis Ecclesiae saeculis fuerunt lignea, ut legitur in nota, *pag. praec.*

(3) *Consecratum.* De forma et consecratione altaris agunt Canonistae; hic tamen quaedam sunt notanda. Imprimis quando aliquod altare est construendum, ut omnes Ecclesiae leges et Architecturae regulae serventur, optime se geret Ecclesiae Rector non solum consulendo peritos in

Janss. *h. t. n. 8.* „Sedes autem, ait Caeremoniale Episc. *l. 1, c. 13, n. 13,* pro nobilibus, atque illustribus viris laicis, Magistratibus ac Principibus, quantumlibet magnis, et primariae nobilitatis, plus minusve, pro cujusque dignitate et gradu, ornatae, debent extra Chorum et Presbyterium collocari, juxta sacrorum Canonum praescriptum, laudabiliaque antiquae disciplinae documenta, jam inde ab exordiis Christianae Religionis introductae, ac longo tempore observata."

hac re, sed praeterea recurrendo ad Superiores. Pariter ubi Ecclesia aut altare occurrit consecrandum, Rector curet ut tempore opportuno certioretur RR. DD. Episcopus, eique sua dubia, si quae habeat, aperiat, ut congruas solutiones et instructiones tempestive recipiat. Interim consulatur Pontificale Romanum.

In construendo altari, haec inter alia serventur. 1° Quantum fieri potest, sit aliquantulum a pariete disjunctum, quo commodius mundari ornarique valeat, juxta Caerem. Ep. *l. 1, c. 12, n. 11.* — 2° „Nullae tamen coronides ligneae circa altaris angulos ducantur, sed eorum loco apponi poterunt fasciae ex auro vel serico elaboratae, ac variegatae, quibus ipsa altaris facies apte redimita ornatiorque appareat." Caerem. *l. c.* Hae coronides hoc quoque incommodi habent ut corrodant Planetas. — 3° „Nullum foramen habeat, *ex actis Ecclesiae Mediolanen.*, ad designandum undequaque plenitudinem et integritatem Christi, S. Thom. *part. 3, q. 82, a. 5:* vacuum enim erat altare Hebraeorum sine Christo." Gav. *lit. n.* Cs. S. R. C. 9 Feb. 1675, n. 2571. „Basis altaris, inquit Vinitor *h. t. § 4,* construenda, opere lateritio, vel alio admixto caemento, ita ut nulla ex parte foramina aut fenestellas ad aliquid asservandum habeat, sed tam ab utroque latere, quam in posteriori et anteriori parte obstruendum est, ne rerum vilissimarum, imo et sordium receptaculum fiat, in quo nihil aliud, juxta antiquos Canones, unquam reponendum quam Sanctorum Reliquiae." — 4° Si quaestio sit de altari quod *fixum* solet dici, id est, de Mensa seu *Ara fixa*, „ipsa Mensa ex uno solido lapide esse debet; et casu quo hic non esset sufficientis longitudinis, additamenta ab utroque latere principalis lapidis addi possunt." *Ibid.* — 5° Curandum est ut per acumina, lapidi inserta, aliove modo provideatur ut mappae firmae retineantur super mensam.

Notandum est 1° ex S. R. C. decreto, quod circumfertur sub data diei 12 Sept. 1857, ad 16, altare posse consecrari in Ecclesia tantum benedicta; 2° ea, quae in Rubrica, de Abbate adduntur intra parenthesim, legi in edit. Hanicquiana cum ipso textu Rubricae.

(4) *Ara lapidea.* Haec in ipsa mensa, circa medium non longe a fronte altaris, ita inseratur, ut Calici non sit offendiculo, et tamen tactu digitorum facile dignoscatur ubi sit. Vinitor §. 6. Quod obtinebitur si sit paulo eminen-

tior aut depressior quam ipsius mensae superficies. „Attendat igitur diligenter Sacerdos..... ubinam sint termini illius Arae consecratae, ne contingat super lignum vel altaris antipendium fieri consecrationem.“ Janss. *h. t. n.* 5.

(5) *Tribus mappis,* „tum ad majorem cautelam in casu effusionis Sanguinis, tum ad mysticam significationem plurium linteorum quibus fuit involutum Corpus Christi.“ Fornici.

Hae mappae seu tobaleae confici tantum possunt ex lino aut cannabe, exclusa quacumque alia materia, Dec. gen. 15 Mai. 1819, n. 4413. Advertendum est non sufficere ut tela sit ex lino aut cannabe, sed requiri ut sit alba: etenim tela non dealbata nunquam adhibetur pro mappis, neque hoc nomine venit. Praeterea patet istiusmodi telam non decere tanto Sacrificio, et nequaquam respondere scopo Rubricae requirentis mappas *mundas*.

(6) *Mundis.* Ut autem mundae serventur, hae adhiberi possunt cautelae: 1° finita Missa, scopula purissima, ad hunc usum destinata, purgentur a pulvere, cera aliisve sordibus; 2° tela viridi aliave stragula decenti contegantur; 3° haec ipsa stragula servetur munda et quandoque aeri exponatur; 4° tandem suo tempore mappae laventur. Superfluum est advertere, stragulam non posse super altare relinqui infra Missae celebrationem.

(7) *Benedictis.* Unde indubium fit eas esse benedicendas.

(8) *Usque ad terram pertingat,* ita ut latera altaris contegat, *juxta Caerem, Ep. l. c. n.* 11.

(9) *Pallio* [1]. Pallium, quod etiam antipendium nuncupatur quia ante altare pendet, est quoddam ornamentum seu vestimentum partis anterioris altaris. „Ne autem pallia hinc inde inaequaliter altari appendeant, rugas contrahant, vel alicubi intorqueantur, optandum est ut tenuibus tabulis ligneis, firmissime tamen sibi cohaerentibus, affigantur et extendantur; ut sic extensa et explicata decentius conspiciantur; quibus etiam in exteriori parte Crux, aut imago Sancti, cujus nomine dicatum est altare, aut alia sacra effigies apte recteque in medio assuitur; potest etiam sine eo celebrari, puta si altare ornatum est auro, vel lapide

1) In sensu litterali pallium adhibetur ad ornamentum; in sensu mystico, denotat ornamentum virtutum ipsius Christi, praesertim charitatis, qua dignatus est pro nobis pati, et manifestatur in altari et Sacrificio. Quarti cum Durando.

pretioso.“ Vinitor *h. t.* § *12*, cum Castaldo. Cf. S. Lig. *lib. 6, n. 395 de Euch.*, et Caer. Ep. *l. c. n. 11*. Apud nos pro antipendio apponi solet aliqua tela denticulata, plus minusve ornata.

(10) *Quoad fieri potest.* Quibus verbis innuitur in casu posse, data aliqua ratione, v. g. consuetudine, aliter fieri. Servari tamen non posset consuetudo apponendi pallium nigri coloris dum publice exponitur SS. Sacramentum. Quando fit a capitulo de sequenti, hujus color apponitur initio Vesperarum.

(11) *Crux in medio.* „Quoniam in Missa renovantur Sacrificii Crucis mysteria, ejusdem Crucis vexillum ex vetustissimo usu in Concilio Turonensi anno 567, et ex apostolica traditione, fulgere debet in medio altaris, ut in incruento, quod celebratur Sacrificio, tam Sacerdoti, quam fidelibus adstantibus Crucifixi imago passionis Christi renovet memoriam.“ Fornici cum Mer. et Bened. XIV. Cf. supra *not. p. 22.*

Crux cum imagine Crucifixi ita collocanda est ut commode ab ipso Celebrante et a populo conspici valeat. Hic nulla quidem fit mentio imaginis Crucifixi, sed fit *tit. II, 2, Rit. celeb. Miss.*, et Caerem. Ep. *l. 1, c. 12, n. 11.* Unde Bened. XIV in sua Encyclica *Accepimus*, diei 16 Jul. 1746, ad Archiep., Episc. aliosque Ordinarios Ditionis Ecclesiasticae, haec mandat et docet: „Illud permittere nullatenus possumus, quod Missae Sacrificium in his altaribus celebretur quae careant Imagine Crucifixi, vel ipsa incommode statuatur ante Presbyterum celebrantem, vel ita tenuis et exigua sit, ut ipsius Sacerdotis et populi assistentis oculos pene effugiat; id enim alienum est a legibus et institutis Ecclesiae, quae in Rubricis aliisque ecclesiasticis sanctionibus continentur; id etiam maxime contrarium est sacrae antiquitati, et Ecclesiarum, etiam Orientalium, consuetudini; ita ut certissimum sit violari leges Ecclesiae, si exigua solum imago Crucifixi praefigatur minori tabulae, vel statuae Sancti, qui superadditur, ut illum Fideles venerentur.“ Cf. dec. gen. 17 Sept. 1822, n. 4440. 8, et *ibi adnotata.* Adverti etiam merentur quae ordinat Caerem. Ep. *l. 1, c. 12* de Cruce et candelabris, ponendis super altare in festivitatibus solemnioribus [1].

1) „Supra vero in planitie altaris adsint candelabra sex argentea, si haberi possunt; sin minus ex aurichalco, aut cupro

Crux tamen non videtur requiri in altari, quando Salvator noster Crucifixus in majori tabula altaris depictus aut caelatus apparet: dummodo tamen primum locum obtineat prae caeteris omnibus, quae in eadem tabula exprimuntur. Cs. Bened. XIV, *l. c. verbo, Secundo.*

Olim disputatum est an Crux tunc etiam requiratur, quando ad altare adest SS. Sacramentum vel in Tabernaculo reconditum[1], vel publice expositum. In *priori* casu Crucem requiri, tenendum est cum Gavanto *h. l.,* et Ben. XIV *l. c. verbo, Tertio.* In *posteriori* autem casu, servanda est loci consuetudo; postquam enim dubium hac de re iterum examinatum fuerit a S. R. C., perpensis, quae hinc inde adducuntur, momentis, prodiit responsum pro servanda praxi propriae Ecclesiae. Bened. XIV *l. c. verbo, Quarto,* exponit argumenta pro et contra, et ita concludit: „Quae cum ita se habeant, Rituumque Interpretes et Scriptores, ob ea quae mox relata sunt, in varias abierint sententias, satis commendari non possunt ea quae prudenter sapienterque decreta fuerunt a praedicta Sacrorum Rituum Congregatione, nempe, ut quaelibet Ecclesia vel Dioecesis suam retineat consuetudinem; ita ut nihil immutetur in ea Dioecesi, ubi Crux in altari constitui solet, dum Missa celebratur, etiamsi S. Eucharistia publice prostet: neque nova disciplina excitetur in ea Dioecesi, ubi contraria hujusce rei consuetudo jampridem invaluerit.“ Cf. S. R. C. dec. 14 Mai. 1707, n. 3624, et 2 Sept. 1741, n. 3970. 5.

(12) *Candelabra* [1] *saltem etc.* „In solemnioribus Missis regulariter sex in recta linea debent adhiberi; quod conjicitur ex trina hinc inde altaris incensatione, *prout distri-*

aurato nobilius fabricata et aliquanto altiora, spectabilioraque his, quae caeteris diebus non festivis apponi solent, et super illis cerei albi, in quorum medio locabitur Crux ex eodem metallo et opere, praealta, ita ut pes Crucis aequet altitudinem vicinorum candelabrorum, et Crux ipsa tota candelabris superemineat cum imagine SS. Crucifixi [1], versa ad interiorem altaris faciem. Ipsa candelabra non sint omnino inter se aequalia, sed paulatim, quasi per gradus ab utroque altaris latere surgentia, ita ut ex eis altiora sint immediate hinc, inde a lateribus Crucis posita.“ *Coer. Ep. l. c.*

1) *Candelabra duo,* juxta *Innocentium III,* Christianum et Judaïcum populum significant. Janss. *h. l. n. 23.*

1) Cujus rei ratio mystica est, inquit Gav. *lit. u,* quia Christus, etiam in Cruce, major est super omnes populos significatos in candelabris.

buuntur candelabra (sect. III, tit. IV, 4); quatuor etiam in minus solemnibus adhiberi solent pro dignitate Missarum, sed et plura quam sex apponi possunt, *ex cit. tit. Rub. 5.*" Gav. Cs. Fornici, *cap. 3.* „Ad majorem altaris ornatum, inquit, vel ob alicujus Festi Solemnitatem, vel etiam ab devotionem, plures accendi possunt candelae, dummodo, ut monet concilium Tridentinum, *sess. 22 de extirpandis in celebratione Missae,* certus numerus candelarum non adhibeatur ex cultu superstitioso; nec, ad fovendam ambitionem in privatis Missis, Vicario Generali, Praelatis Romanae Curiae, etiam Protonotariis Apostolicis quatuor accendantur candelae; id quod nullatenus convenire plurimis decretis sancivit S. R. C." Cf. pt. decreta laudata apud Deherdt, *h. l. n. 59, III, 2°.* Quomodo sint locanda a lateribus Crucis, vide in nota *pag. 204.*

Secus autem de Episcopo, etiam privatim celebrante. „Nam in Festis solemnibus decet in altari apponi quatuor candelabra cum candelis accensis .... in aliis Festis non ita solemnibus et feriis, sufficiunt duo candelabra." Caerem. Ep. *l. 1, c. 29, n. 4.* Quando autem solemniter celebrat, septem candelabra super altari sunt ponenda, juxta Caerem. Ep. *l. 1, c. 12, n. 12.*

De numero luminum coram Venerabili exposito dicitur suo loco. De praxi servandi candelabra velamine contecta infra Missam et Officia divina cf. dec. S. R. C. 12 Sept. 1857, XI.

(13) *Cum candelis accensis.* Quae candelae debent esse ex cera, juxta *tit. X. 1, de defectibus* etc. Cs. dec. 16 Sept. 1843, n. 4828. Sed, ut docet Deherdt *l. c. II, 2°*, perinde est an cerei sint ex alba cera, an ex communi seu flava: convenit tamen, ut in Officio lugubri aut poenitentiae, v. g. Defunctorum et de tempore Adventus aut Quadragesimae, cerei flavi adhibeantur; albi vero in Festis et Solemnitatibus, uti ordinatur Caerem. Ep. *l. 1, c. 12, n. 11,* celebrante Episcopo; quod etiam servetur exposito Venerabili. Cs. Janss. *h. l. n. 25.* Quanta sit obligatio ut adsint *duo* lumina, et quidem *ex cera;* an dari possit casus quo licitum sit celebrare cum uno ex cera, vel cum duobus ex sebo etc., inquirunt Theologi. Cf. S. Lig. *l. 6, n. 394,* et Bened. XIV, *sect. 2, n. 52.*

Utrumque lumen accensum esse debet infra integram Missam, ab initio ad finem inclusive (*sect. III, tit. XII, 6*); et contra Rubricam agunt qui utrumque, vel alterutrum

cereum extinguunt infra ult. Evangelium. Cf. Janss. *h. l. n. 26,* et S. Lig. *l. c.*

De sensu mystico notari potest lumine hic significari Christum ejusque doctrinam, et fidem populorum hanc amplectentium doctrinam. Cf. Gav. et Quarti, et dicta *pag. 19 et 21.*

(14) *In utroque ejus,* Crucis scilicet, *latere.*

(15) *Tabella Secretarum appellata,* utpote exhibens ea quae, si excipias *Gloria* et *Credo*, recitantur secreta voce. Haec tamen apponitur ad majorem Celebrantis commoditatem; eadem de causa duae aliae usu introductae sunt, et apponuntur ad latera altaris.

Deherdt *h. l. n. 60* notat, juxta Quarti *h. l. dub. 12,* ea quae in hac Rubrica praescribuntur de tabella, cussino, campanula, ampullis, manutergio, esse materiam instructionis, et non praecepti. Janssens, uti videbitur infra, distinguit inter substantiam et circumstantiam Rubricae. An et quousque admittenda sit opinio Quarti, judicet Lector ex dictis *Part. I. de obligatione Rubricarum.* Quod ad me attinet, vix ac ne vix quidem percipere valeo Missam, si praedicta non serventur, reipsa celebrari juxta *ritum, modum ac normam* quae in Missali s. Pii V traditur. Cf. *tom. I, p. 42.* Forte tamen S. Sedes potius in hujus quam in aliarum Rubricarum materia tolerat aut permittit usus contrarios.

(16) *Cussinus,* „vel pulpitum, quod alicubi pro cussino adhibetur; neque enim hic cussinus determinate adhibendus praescribitur, sed potius ex communiori praxi usurpatus supponitur.“ Lohner, *part. 4, tit. 2, rub. 3.* Cs. Janss. *n. 29.* Ubi pulpita adhibentur, cavendum est ne sint nimis ampla et sua mole sint valde incommoda; praeterea faciendae non sunt nimiae expensae ut pulchra et pretiosiora habeantur pulpita; potius consulendum est ut diebus Festis aliquo vestiantur tegumento conformi, quantum fieri potest, colori Missae. Rationes mysticae in usu cussini videri possunt apud Gavantum *h. l.*

(17) *Ab eadem parte Epistolae,* ubi genuflexus reperitur minister, *pariter cereus*, in signum adorationis; et ratione Festi solemnioris duo poterunt accendi in utraque parte. Vinitor cum Gav.

„*Ad elevationem Sacramenti*, seu dum inchoatur Canon, *accendendus*, et post digitorum Sacerdotis ablutionem a

ministro extinguendus. Haec Rubrica, velut mere directiva, non videtur consilii limites excedere, et in plerisque altaribus non observatur.“ Janss. *n. 30.* „Probabiliter ait *Croix n. 398 cum Sporer*, nullam esse obligationem accendendi tertiam candelam post *Sanctus;* sic enim hodie communis usus habet.“ S. Lig. *lib. 6, n. 394.*

(18) *Campanula* [1] pulsatur, ut dicitur *sect. seq.*

(19) *Ampullae vitreae.* Etiam dato hanc Rubricam esse mere directivam, nihilominus ejus observantia est commendanda, utpote consilium S. Matris Ecclesiae, rationibus valde congruis nixum: per vitreas enim ampullas et consulitur munditiei, et praecavetur periculum ne aqua loco vini fundatur in Calicem. Haec ultima ratio videtur, saltem generatim loquendo, omnibus praevalere quae in contrarium allegari possent, v. g. periculum ne frangantur. Exciperem vero ampullas pretiosiores v. g. argenteas, quae diebus solemnioribus adhiberentur. Hoc enim non videtur alienum a mente Ecclesiae; et praeterea minus est periculum erroris si aliquoties in anno, quam si quotidie usurpentur ampullae non vitreae: tum siquidem majores adhiberi poterunt cautelae. Cf. Vinitor § 21 et Janss. *n. 31 sq.* Sed ex quacumque sint materia, curandum est ut mundae serventur.

(20) *In fenestella.* „Praxis hodierna est, inquit Janss. *n. 33*, ut manutergium ad cornu altaris versus Epistolam acu affixum pendeat. Haec praxis in Missis privatis tolerari potest: in Missa autem Conventuali Rubrica est servanda.“ Notandum est istiusmodi praxim non esse generalem, et valde congruere, ne dicam, oportere, ut servetur Rubrica etiam in Missis privatis. Attamen in defectu mensulae, inquit Vinitor *§. 23,* in latere dextero mappis altaris acu affixum pendebit.

(21) *Nihil omnino ponatur.* „Gravissime errant, inquit Vinitor *§. 25,* qui supra illud ponunt pileum... Diurnale... Nec etiam, quantum fieri potest, apponi debent perspicilia, maxime super corporale...“

1) Campanula dicitur etiam tintinnabulum. „Tintinnabulum et clocha sunt idem, *Durand. lib. 1, de Rit. cap. 22:* ex tinnitu *tin tin* dicitur tintinnabulum...“ Vulgo fertur Paulinum, Nolanum Episcopum, nolarum, id est, campanarum usum in Ecclesiam invexisse, hoc est ad rem sacram, (nam gentiles ante Christum iis usi sunt...); et ideo a civitate Nolae et regione Campaniae dictas fuisse nolas et campanas...“ Gav.

(22) *Altaris ornatum.* Praeter Crucem, candelabra, mappas et antipendium, possunt, pro dierum varietate et exigentia, alia adhiberi ad ornatum altaris [1]. „Tempore laetitiae, inquit Deherdt *n. 61*, in Festis et Solemnitatibus flores aliaque decentia et pulchra ornamenta conveniunt; e contra tempore Quadragesimae et Adventus, aliisque poenitentiae diebus, ac generaliter, dum color niger aut violaceus adhibetur, non decet praeter Crucem et candelabra, ornamenta alia apponere, exceptis tamen Dominica tertia Adventus et quarta Quadragesimae, Missa in Coena Domini et Sabbato Sancto, quae cum laetitia celebrantur.“ Quoad Missas *de Requiem*, cf. Caerem. Ep. *l. 2, c. 11, n. 1, supra pag. 182.*

Quoad expositionem SS. Imaginum et Reliquiarum, servandae sunt Canonicae sanctiones. Cf. Deherdt *h. l. n. 61*, et *part. 3, n. 27*.

SECTIO III.

RITUS SERVANDUS IN CELEBRATIONE MISSAE.

In hac sectione, quae complectitur 12 titulos et nonnullas appendices, traduntur ritus servandi in celebratione Missae pro variis circumstantiis, scilicet: ritus Missae privatae et solemnis [2], pro Vivis aut Defunctis, absente aut praesente Praelato aut SS. Sacramento.

1) Caeremoniale Ep. *l. 1, c. 12, n. 12,* agendo de ornando altari, dum Episcopus est solemniter celebraturus, haec, inter alia, ordinat: „Si haberentur aliquae Reliquiae, aut tabernacula cum Sanctorum Reliquiis, vel imagines argenteae, seu ex alia materia, staturae competentis, congrue exponi possent; quae quidem sacrae Reliquiae et imagines, cum sex tantum candelabra super altari erunt, disponi poterunt alternatim inter ipsa candelabra; dummodo ipsa altaris dispositio et longitudo id patiatur. Sed et vascula cum flosculis, frondibusque odoriferis, seu serico contextis, studiose ornata adhiberi poterunt.“ Vid. alia ibidem tradita pro ornando Altari et Ecclesia; de tapetibus, de lampadibus etc.

2) Motus aliquorum exemplo, anceps haesi an conjunctim aut sejunctim exponerem ritus Missae privatae et Missae solemnis; an, Lohner aliosque imitatus, illos ritus in tabella collectos breviter exhiberem. Sed praevaluit ordo ipsius Missalis, tum quia in se est valde commendabilis, tum quia hujusmodi methodus magis accommodata est nostro scopo: sic enim brevius clariusque exponi potest et facilius perspicitur quis sit

TITULUS I.

DE PRAEPARATIONE SACERDOTIS CELEBRATURI.

Rub. 1. Sacerdos celebraturus Missam, praevia Confessione Sacramentali, quando opus est, et saltem (1) Matutino (2) cum Laudibus absoluto, Orationi (3) aliquantulum vacet: et Orationes inferius positas pro temporis opportunitate dicat. Deinde accedit ad locum in Sacristia, vel alibi (4) praeparatum, ubi paramenta, aliaque ad celebrationem necessaria habentur; accipit Missale, perquirit Missam (5), perlegit, et signacula ordinat ad ea, quae dicturus est. Postea lavat manus, dicens Orationem inferius positam. Deinde praeparat Calicem (6) [qui debet esse vel aureus, vel argenteus, aut saltem habere cuppam argenteam, intus inauratam, et simul cum patena (7) itidem inaurata, ab Episcopo consecratus (8)]: super ejus os ponit purificatorium (9) mundum, et super illud Patenam cum Hostia integra (10), quam leviter extergit, si opus est, a fragmentis, et eam tegit parva palla linea (11), tum velo serico: super velo ponit bursam (12) coloris paramentorum, intus habentem Corporale (13) plicatum, quod ex lino tantum esse debet, nec serico vel auro in medio intextum, sed totum album, et ab Episcopo, vel alio habente potestatem, simul cum palla benedictum.

(1) *Saltem.* Haec vox denotat posse quidem Missam celebrari non absolutis parvis Horis, sed simul insinuat occurrere posse casum quo melius praedictae Horae aut saltem aliquae recitentur ante Missam, puta si haec tardiori Hora celebretur. Juxta Le Brun, a Fornici citato *cap. 16*, apponitur hic vox *saltem*, quia pluries mandatum fuit, ut ante Missam recitarentur etiam Horae tum Prima, tum etiam Tertia, quod nunc pro Missis conventualibus in diebus duplicibus praescriptum est.

(2) *Matutino* etc. Palam est hanc Rubricam violari a Sacerdote, qui, seclusa rationabili causa, Missam celebrat,

sensus, quae mens Rubricarum, et certa ab incertis statim secernuntur. Itaque ad unumquemque titulum exponi solent primo Rubricae Missae privatae, et deinde Rubricae Missae solemnis, ut in Missali. Attamen ad providendum majori claritati, necnon utilitati Lectoris, ad caput folii indicatur intra parenthesim quandonam de Missa solemni agatur.

non absoluto Matutino cum Laudibus. Cs. *tit. X, sect. IV*, Theologi inquirunt an et quantum culpabilis sit hujusmodi defectus; et in varias abeunt sententias, uti videre est apud S. Lig. *Th. mor. l. 6, n. 347.* An sententia negans possit cum aliquo fundamento defendi, id eruendum est ex dictis de obligatione Rubricarum. Quod ad me attinet, non invenio undenam a culpa excusari possit hujusmodi Sacerdos: nam 1° non celebrat juxta modum et normam a S. Pio V praescriptos, et 2° praesens textus, etiam in se solo spectatus, non merum consilium, sed verum praeceptum exprimit. Vid. Bened. XIV, *sect. 2, de Sacrif. Miss. n. 102* [1].

(3) *Orationi* etc. „Ut, inquit Janssens *n. 7*, cor suum a creaturis omnibus plane avertens, illud ad solum Creatorem convertat, et sic tota mentis intentione versetur in viva Passionis Christi memoria."

Advertendum est duo hic expresse distingui, et varia ratione ordinari: 1° indicitur, et modo absoluto, ut Cele-

1) Gratum fore putamus Lectori, si hic paucis expressum reperiat sensum Benedicti XIV circa obligationem recitandi Matutinum cum Laudibus ante Missam privatam. Relatis tribus Rubricis quae agunt de praefata obligatione, sequentia subdit, *n. cit.* „Super his Rubricis oritur controversia, utrum qui, quod in iis praescribitur, non servaverit, peccet mortaliter, an venialiter: alii in alias abiere sententias, sive quia nonnulli falsum illud sequuntur principium, Rubricas meras instructiones esse et consilia, sive quia alii, etsi eam sequuntur sententiam, Rubricas habere vim legum, ut transgressio *ex genere suo* sit peccatum mortale, tamen partim materiam gravem celebrare Missam non dicto Matutino et Laudibus, partim esse levem arbitrantur. *Prima* igitur opinio est eorum, qui putant Sacerdotem celebrando Missam antequam Matutinum recitet, peccare mortaliter..... Altera est eorum opinio, qui nullum hic neque mortale neque veniale peccatum deprehendunt. *Tertia* est eorum, qui non nisi veniale peccatum committi putant........ In Missis privatis, si qua sit legitima causa, puta si Princeps aut Praelatus Missam expeteret, videri posset a peccato etiam veniali immunis, qui eam celebraret, non recitato Matutino et Laudibus. Si vero absit causa, perdifficile videtur, ne veniali quidem peccato non esse locum, ut observat Meratus ad Gavantum, *tom. 1, part. 2, pag. 799.* Quod si quis nulla causa urgente, perpetuo id faceret, ut videretur quasi statuisse animo, nunquam celebrare, dicto Matutino et Laudibus, tum cum illis quinque et quinquaginta Auctoribus, quos sententiae suae suffragatores affert Clericatus, et ex rationibus ab ipso adductis, concludi posset, hujusmodi Sacerdotem peccare mortaliter......"

brans *aliquantulum Orationi vacet*, et 2° in specie indicantur *preces dicendae*, non tamen absolute, sed *pro opportunitate temporis.* Unde illud est de praecepto, et hoc videtur de consilio. Juxta S. Lig. *l. 6, n. 410, d. 2.* Sacerdos, qui sine ulla alia praeparatione, saltem domi facta, ad sacrificandum accederet, ab aliqua culpa non esset excusandus. Cf. quae idem S. Doctor habet de hac praeparatione, tum in *Libro de Caeremoniis Missae,* ubi consulit ut Sacerdos se induendo cogitet de sensu mystico sacrorum paramentorum, tum in *Selva tom. 2, Inst. 1, n. 7.* Cf. etiam *lib. IV, De imitat. Christi, cap. 12.*

Caeterum, ut manifesta fiat necessitas congruentis praeparationis ad Missam, opus non est longa ratiocinatione; sed satis est 1° perpendere ex una parte dignitatem, sanctitatemque hujus tremendi Sacrificii, et ex altera, nostram vilitatem atque indigentiam (cf. *Bull. Urb. VIII et Trid. cit. p. 10 et 31*), et 2° serio reflectere idem Sacrificium futurum nobis vel fontem uberrimum Salutis omniumque bonorum, vel terribilem nostrae damnationis occasionem [1], prout a nobis bene aut male tractatum fuerit. Si haec seria mente revolverimus, profecto nunquam immediate ante vel post Missam locum dabimus *inutilibus* vel *tunc non necessariis* colloquiis [2], et non solum verbis, sed etiam exemplis Christifideles efficaciter inducemus ut S. Communioni debitam et congruam praemittant praeparationem,

1) »Tentat Deum, ait Sapiens, qui ante Orationem non praeparat animam suam. Quod si Deum tentare, et ad iracundiam provocare dicitur, qui non praemissa diligenti et accurata praeparatione, ipsum audet in Oratione interpellare, quanto magis eumdem sua temeritate irritabit qui Unigenitum suum illi offerre, ipsumque suscipere imparatus praesumeret?«

2) »Dum Sacerdos sacris induitur vestibus, nemini colloqui debet, neque loquentibus aures praebere, sed mentem et oculos ab omnibus amovere, quibus distrahi possit; quod multo magis observandum, dum jam est vestitus et forte in sacristia exspectandum; neque, sacris vestibus indutus, e sacristia exire, nisi cum ad altare eundum sit, neque cum iis, ut supra dictum est, confiteri, sed id faciendum, antequam sacris vestiatur vestibus.« Vinitor, *h. t. §. 34,* ex Actis Provinc. Mediol. Haec verissima sunt et minime exaggerata; sed quam dolendum non raro inveniri Sacerdotes, qui, etsi aliunde spectatae pietatis, ea tamen parum curant. Utinam, haec similiave serio meditantes, pravam consuetudinem tandem abrumperent. Cf. S. Lig. *Selva tom. 2, Inst. 1, n. 6* etc.

atque post eamdem debitas agant gratias; et nobis, ad haec adhortantibus, responderi jure non poterit: *medice, cura teipsum.*

Quanto autem tempore vacandum sit Orationi, Rubrica non definit. De hac consulendi sunt Scriptores ascetici. Quantum autem ego noverim, piorum Sacerdotum praxis est, ut regulariter, ad Missae celebrationem se praeparent *saltem* per quartam Horae partem. Dicitur *saltem,* quia quadrans vix sufficere videtur. Cf. S. Lig. in *Selva l. c.* De causa autem propter quam possit vel non, plus minusve contrahi tempus consuetae praeparationis, idem resolvendum est ac infra *(tit. XII)* de gratiarum actione.

Superest quaedam notare de intentione Celebrantis, hic efformanda, quoad applicationem Missae, et quoad Commemorationes faciendas in *Memento.* 1° Intendat imprimis Sacrificium applicare juxta mentem S. Matris Ecclesiae; et praeterea, cum valde probabile sit valorem Missae esse infinitum non solum intensive, sed etiam extensive (cf. S. Lig. *l. 6, n. 312*), ideo curabit ut specialem fructum sibi aliisque, v. g. poenitentibus, parentibus et amicis, conditionate applicet. Haec autem applicatio fit *conditionate,* id est, quantum fieri potest absque praejudicio eorum qui jus habent ad specialem fructum, v. g. ratione beneficii aut stipendii. Cf. S. Lig. *l. c. v. Haec secunda,* et Gav. *part. 2, tit. VIII, 3.* 2° Commemoret personas aut fines quibus intendit Missam absolute aut conditionate applicare, seu pro quibus vult in *Memento* orare; hac enim praemissa Commemoratione, satis erit ad *Memento* generatim orare pro iis qui in meditatione aut praeparatione fuerunt commendati.

(4) *Vel alibi,* non tamen in altari. „Paramenta, inquit decretum Urb. VIII *initio Miss.,* non debent sumi de altari pro celebratione Missarum, cum id competat tantum Episcopis, sive solemniter, sive privatim celebrent. Inferioribus vero habentibus usum Pontificalium, non nisi quando in Pontificalibus celebrant.“ Cf. pt. dec. 19 Mai. 1838 n. 4686. Si vero deficiente sacristia aut mensa ad hoc praeparata, ponenda sint super altare, collocentur non in medio, ut pro Episcopis, sed ad cornu Evangelii. Deherdt cum Gav. Cs. Merati *part. 2, tit. 2, n, 15* cum aliis. Notandum tamen est nulli licere paramenta sumere ex altari ubi exponitur SS. Sacramentum. Cf. Caer. Ep. *l. 2, c. 33, n. 30.* Si in casu deficiat sacristia, tunc ob reverentiam

erga Venerabile, sumantur et deponantur in loco remoto a presbyterio. Mer. *l. c.*

(5) *Perquirit Missam* etc. Haec ordinantur ad omne praecavendum erroris periculum et adstantium taedium; ideo non videntur necessario agenda in omni casu.

(6) *Calicem.* „*Calix* ita efformetur, ut cuppa aliquantulum in fundo sit angusta, sensim usque ad summum labrum latior fiat, labrum nullo modo reflectatur, nodus ita ornatus, ut dum Calix capitur, non incommode capiatur, praesertim quando indices et pollices disjungi non possunt...." Gav. *part. 5, ex Act. Eccl. Mediol.*

(7) *Cum patena.* Ejus labrum ita sit tenue, ut aptum sit ad colligenda fragmenta; et eadem de causa, superficies ejus sit quidem concava, sed plana: cavitas enim abrupta impedimento est fragmentis e patena colligendis. Debet consecrari, ut docet Quarti *p. 2, h. t. sect. 2, d. 2.*

(8) *Consecratus*[1] *ab Episcopo.* Spectatis his verbis, fundamento caret eorum opinio, qui docuerunt Calicem consecrari per solum usum. Cf. S. Lig. *l. 6, n. 380.*

Canonistae tradunt quandonam vasa sacra suam amittant consecrationem. Hic adnotantur sequentia. 1. Generatim suam deperdunt consecrationem quando ita franguntur, ut inepta fiant suo ministerio. — 2. In specie consecratio Calicis deperditur *a)* quando cuppa separatur a pede, nisi sit tornatilis, et *b)* quando de novo inauratur. Non autem amittitur *a)* per aliquos ictus a fabro aliove inflictos, modo forma non immutetur; et oppositum, inquit Quarti, *part. 2, tit. 2, d. 5 fin.*, caret omni fundamento. Cf. dec. 20 Apr. 1822, n. 4438. Neque *b)* amittitur quando cuppa Calicis tornatilis separatur a pede, sine fractura. *c)* Quinimo idem resolvendum videtur si pes, qui est tornatilis, sit fractus; poterit scilicet a cuppa separari, restaurari et denuo cuppae uniri, quin nova indigeat consecratione. Et hujus resolutionis ratio est, quia cuppa, sin minus sola, principaliter consecratur. Contradicit quidem Lugo *h. l. n. 93;* sed vid. Suarez, Layman *h. l.* et Gardellini ad *n. 4438,* Cs. Analecta Juris Pont., mens. Sept. 1856, fol. 2448, ubi refertur solutio casus liturgici data in conferentiis Romae

1) „Consecrationes adhibentur his rebus, quae veniunt in usum hujus Sacramenti, tum propter Sacramenti reverentiam, tum ad repraesentandum effectum Sacramenti..... S. Th. *p. 3, q. 83, a. 3 in corp.*, citatus a Bened. XIV, *Inst. 21*, *n. 8.*

habitis an. 1854—1855 [1]. *d)* Deherdt *p. 1, n. 55, IV,* notat cum Vinit. aliisque 1° vasa per modicam reparationem non amittere consecrationem aut benedictionem, modo nulla fiat fractio notabilis; et 2° neque eamdem amittere, si sacrilege adhibeantur ad usum profanum: putant tamen in hoc casu decere ut aqua benedicta laventur, priusquam adhibeantur. De Pyxide et Remonstrantia dicitur *tit. II, 3.*

Quaeritur quibus licitum sit tangere vasa sacra?

Respondet Bened. XIV, *Inst. 34, n. 18.* „Certum est, inquit (licet mitiores recentium Scriptorum opiniones sequi velimus) Sacerdotibus tantum, ac Diaconis potestatem fieri, ut sacra Vasa contingant, in quibus Christi Corpus et Sanguis habeantur. Subdiaconis tribuitur, dum altari ministrant, Calicem et Patenam tangere, ubi Christi Corpus et Sanguis non fuerint. Acolythis autem extra altaris ministerium eadem facultas traditur, cum Vasa sacra ad Sacrificium necessaria praeparare ipsi debeant. Tandem diuturna consuetudine factum est, ut Ordinati omnes, et qui sola Tonsura praediti sunt, si aliqua causa intercedat, sacra Vasa, dum vacua sunt, extra altaris ministerium contingant.“ A Bened. laudantur Suarez, Pasqualigus, Quarti et Lacroix. Cf. S. Lig. *l. 6, n. 382* et Deherdt *l. c.*

(9) *Purificatorium.* Cavendum est 1° ne tela ejus ita subtilis et tenuis sit, ut non valeat calicem extergere; et 2° ne, dum lavatur, nimis reddatur rigidum amylo: ad quod vitandum praeparandum est sejunctim a corporalibus. Non requiritur ut sit benedictum. Dec. n. 4376, 26. „De purificatorio nulla est apud veteres mentio.“ Ben. XIV, *sect. 1, n. 33.* Melius est, ut in eo Crux non depingatur, quo facilius distinguatur a corporali.

1) „Si la coupe n'était unie au pied que par le moyen d'une vis, ainsi qu'il arrive ordinairement, on peut dire, d'après l'opinion commune des Théologiens et des Rubricistes, que la coupe et le pied ayant été consacrés sous la forme de parties séparables l'une d'avec l'autre, le changement du pied ne fait point perdre à la coupe sa consécration. En effet, bien que la consécration sanctifie le calice tout entier, néanmoins elle tombe principalement sur la coupe qui est la portion la plus noble, et celle dans laquelle on accomplit le rite de l'onction sainte. On peut donc dire que, lorsque la coupe peut être regardée comme une portion distincte du calice, tant qu'elle demeure intacte, le calice ne perd pas sa consécration.“ Ita refertur ap. Analecta *l. c.*

(10) *Hostia,* in qua ex universali consuetudine imprimitur imago Crucifixi. Cf. dec. 26 Apr. 1834, n. 4574.

(11) *Palla,* benedicta, ut infra. Cs. *tit. X, 1 de defect.* Ubi usus habetur adhibendi non meram telam, sed telam super cartulam extensam, hujusmodi palla ex dec. S. R. C. 10 Jun. 1852, potest a parte superiori cooperiri panno serico.

(12) *Ponit Bursam, ita ut apertura sit versus* ipsum, dum tenet calicem. Supra illa non licet deferre manutergium (dec. n. 3512), vel quid aliud. — Bursa conficitur ex eodem panno ac alia paramenta. „*Bursa Corporalium* a fronte sit Cruce, vel alia sacra Imagine in medio, intexta: a tergo etiam ex eadem materia et colore; intrinsecus autem sub serico, aut tela candida circumvestiatur, late vero undique pateat circiter dimidio cubito, vel paulo amplius, et forma quadrata.“ Gav. *part. 5.* Cs. Vinitor *h. t. § 19.*

(13) *Corporale* [1]. Rubrica non distinguit an alii prius celebraverint necne ad idem altare, quia non licet Corporale relinquere in altari pro Missa sequenti. Dec. *n. 3558.* Crux acu pingi solet in anteriori parte; sed congruit ut fiat ex lino et quidem circa extremitatem, ita ut impedimento non sit particulis colligendis.

(14) *Velo serico.* Absolute loquitur Rubrica, ac proinde distinguendum non est an paramenta sint aurea vel argentea.

Rub. 2. Quibus ita dispositis, accedit ad paramenta, quae non debent esse lacera, aut scissa, sed integra, et decenter munda, ac pulchra, et ab Episcopo itidem vel alio facultatem habente, benedicta: ubi calceatus pedibus, et indutus vestibus sibi convenientibus, quarum exterior saltem talum pedis (1) attingat, induit se, si sit Praelatus saecularis, supra rochettum (2); si sit Praelatus regularis, vel alius Sacerdos saecularis, supra superpelliceum, si commode haberi possit, alioquin sine eo, supra vestes communes, dicens ad singula singulas Orationes inferius positas.

(1) *Saltem talum pedis.* Huic Rubricae consonat usus noster, juxta quem vestis talaris omnino cooperit talum. Inde tamen non permittitur cauda ad instar Praelatorum Curiae Romanae. Cf. dec. *n. 2551.*

1) „Calix novum sepulcrum, quo conditus Christus Dominus; Patena revolutum lapidem significat supra portam monumenti; Corporale Sindonem mundam exprimit, qua Joseph ab Arimathaea Corpus Christi involvit...“ Bened. XIV, *sect. 1, n. 31.*

(2) *Rochetum*, seu Rochettum, differt a superpelliceo [1], italice *cotta*, „quod, inquit Fornici *c. 9*, angustiores et integras ad manus usque manicas habet, cum *cotta* amplas illas et longas quidem, sed fere ad cubitum protensas, in forma Crucis exhibet.“

Rub. 3. Ac primum accipiens Amictum ([1]) circa extremitates, et chordulas, osculatur illud in medio, ubi est Crux, et ponit super caput, et mox declinat ad collum, et eo vestium collaria circumtegens, ducit chordulas sub brachiis, et circumducens per dorsum, ante pectus reducit, et ligat. Tum Alba induitur, caput submittens, deinde manicam dextram brachio dextro, et sinistram sinistro imponens; Albam ipsam corpori adaptat, elevat ante, et a lateribus hinc inde, et cingulo per ministrum a tergo sibi porrecto, se cingit ([2]). Minister elevat Albam super cingulum circumcirca, ut honeste dependeat et tegat vestes; ac ejus fimbrias diligenter aptat, ut ad latitudinem digiti ([3]) vel circiter, super terram aequaliter fluat. Sacerdos accipit Manipulum, osculatur Crucem in medio ([4]), et imponit brachio ([5]) sinistro. Deinde ambabus manibus accipiens Stolam, simili modo ([6]) deosculatur, et imponit medium ejus collo ([7]), ac transversando eam ante pectus in modum Crucis, ducit ([8]) partem a sinistro humero pendentem ad dextram, et partem a dextro humero pendentem ad sinistram. Sicque utramque partem Stolae extremitatibus cinguli hinc inde ipsi cingulo conjungit.

(1) *Amictum.* Quam vocem eruditus Le Brun deducit ab *amicire.* De ejus usu vid. Bened. XIV, *sect. 1, n. 50* et dicta supra *pag. 185.*

Ubi est Crux. „Si tamen non inveniatur, non facias Crucem cum pollice, sicut aliqui docent, cum id Rubricae

1) „Utramque vestem tunicam fuisse lineam, et talarem, quam *Albam* vocamus, ex Concilio Narbonensi anno 598 celebrato, discimus... Fuit etiam haec vestis constanter Clericis omnibus propria, et cum variam postmodum acceperit formam, usus in Ecclesia evasit universalis, quod Praelati et Canonici, divinae psalmodiae incumbentes Sacraque peragentes, rochetum induerent, caeteri altaris Ministri cottam, *superpelliceum* vocatam, quia olim imponebatur super tunicam pellibus subsutam, quo frigoris arcendi causa Chorales corpus tegebant. Progressu temporis, forsan ut ambulando suisque muneribus obeundis essent expeditiores, Ecclesiarum Ministri utramque vestem longam et talarem decurtare coeperunt... Fornici *l. c.*

part. 2, *tit.* 4, *n.* 1 contrarium sit.“ Haringer *not.* 8, cum Baldeschi *t.* 1, *p.* 3.

(2) *Se cingit,* „non circa pectus, ut quidam perperam faciunt, sed circa lumbos, ut inquit Innocentius *lib.* 1, *c.* 15, debet accingi, ut restringat concupiscentiam, juxta illud Evangelii: *sint lumbi vestri praecincti,* et juxta quod in Oratione postulatur: *praecinge me, Domine,* etc.“ Fornici *c.* 10. Cs. Bened. XIV, *sect.* 1, *n.* 42.

(3) *Ad latitudinem digiti,* ita scilicet ut latitudo digiti, vel circiter, mediet inter terram et extremitatem albae. Cs. Baldeschi.

(4) *Crucem in medio.* Ultra hanc Crucem duae aliae solent apponi ad extremitates.

(5) *Brachio,* infra cubitum, juxta nostrum usum et Gavantum contra Lohner, qui *h. l.* docet rectius a plerisque supra cubitum ligari. Utrumque permittit Janssens *n.* 40.

(6) *Simili modo,* id est Crucem in medio. Crux solet etiam apponi ad duas extremitates Stolae, ut ad Manipulum.

(7) Ut Stola servetur munda, usus habet ut a parte colli cooperiatur parva tela, quae interdum aufertur et lavatur. Cavendum autem, ne hac tela Crux Stolae omnino cooperiatur adeo ut Sacerdos eam osculari nequeat. Quidam, ut hoc evitent, aliam ponunt Crucem super telam. Itali non adhibent praedictam telam, sed Stolam ita a collo removent, ut pars superior omnino sit infra Planetam et minime capillis tangatur. Cf. S. Lig. *de Caerem. Missae, cap.* 2, *n.* 12.

(8) Ita *ducit* Stolam, ut pars dextra, Crucem formans, ponatur supra sinistram, sicuti ordinatur de pollice dextro, infra *tit. III,* 1. Cs. Gav. Janss. etc.

Rub. 4. Si Celebrans sit Episcopus, non ducit (¹) Stolam ante pectus in modum Crucis, sed sinit hinc inde utrasque extremitates pendere; et antequam accipiat Stolam, accipit parvam Crucem pectoralem, quam osculatur, et collo impositam, sinit ante pectus chordulis pendere. Manipulum quoque non accipit ante Stolam, nisi in Missis Defunctorum, sed accipit ad altare, cum in Confessione dicit, *Indulgentiam,* illumque prius osculatur.

Postremo Sacerdos accipit Planetam (²).

(1) *Non ducit in modum Crucis,* quia, inquit Vinitor § 42, utitur Cruce pectorali, Reliquiis Sanctorum referta, quam accipit ante Stolam; in defectu tamen istiusmodi Crucis

pectoralis, Stolam in modum Crucis ante pectus ducere debet.“

(2) *Postremo.* Rubricae non loquuntur de sudariolo, quod cingulo appendi solet. Hoc, in se, est tantum praeter Rubricas, sed quoad modum esse potest contra easdem. Itaque 1° illud non apponant qui eo opus non habent; 2° quando adhibendum est, sit albi coloris et ita adaptetur *ante pectus,* ut extra Casulam nullatenus appareat.

Rub. 5. Si sit Episcopus, et solemniter celebret, accipit paramenta, et alia ut in Caeremoniali. *(Cf. ed. Hanicq.)*

APPENDIX.

De materia, forma et benedictione sacrorum paramentorum et linteorum.

I. *De Materia.* 1. Materia paramentorum coloris, qualia sunt Manipulus, Stola etc., non est in specie determinata per Rubricas. Ex usu tamen universali, adhibetur pannus non vulgaris, sed peculiaris et quidem aureus, argenteus, sericus aut laneus [1]. Cui universali usui inhaerendo, S. R. C. dec. 23 Sept. 1837, n. 4666, 3, reprobavit Planetas, Stolas et Manipulos confecta ex tela linea vel gossipio, vulgo *percallo,* etsi coloribus praescriptis tincta aut depicta: item, dec. 11 Sept. 1847, n. 4938, ornamenta, quorum texturae superimponuntur filamenta vitrea. Advertendum tamen est ex priori decreto non sequi linum aut gossipium nullo modo posse admisceri in textura paramentorum, si velum Calicis excipias, quod ex Rub. praec. debet esse sericum.

Notandum est nihil prohibere quominus vestes sacrae conficiantur ex profanis, aut ex aliis sacris usu tritis.

2. Ex Rub. praec. et Dec. gen. 15 Mai. 1819, n. 4413, Amictus, Albae, Mappae, Corporalia, Purificatoria et Pallae conficienda sunt ex lino aut cannabe.

3. Sed hoc definitum non est de Superpelliceis et Rochettis. „De Superpelliceis et Rochettis, inquit Gardellini *ad praefatum gen. dec.*, nihil pro nunc decernendum duxit S. R. C., quia hujusmodi vestes neque pertinent ad immediatum Sacrificii, et altaris usum, neque Supellectilibus

1) „Panni vero lanei, ait Synodus Lucionen. an. 1854 (dec. IV *de vestibus sacris*), cum a tineis saepe comedantur, non sunt comparandi.“

Sacerdotalibus ad sacrificandum stricte necessariis adnumerantur; sed haberi possunt potius, ut choralia indumenta." Id autem inter Autores controvertitur.

4. Cingulum congruentius ex lino conficitur. Dec. 22 Jan. 1701, n. 3426, 7.

II. *De forma.* 1. Quoad confectionem sacrarum vestium, usus in Ecclesia receptus et approbatus constanter est retinendus, omnisque novus modus vitandus, ut sapienter notat Deherdt, *part. 1, n. 53, III.*

2. Quoad ornatum, seclusa peculiari prohibitione, sequi licet consuetudinem receptam et non reprobatam, inquit Deherdt *l. c.*, juxta quam extremitates Albae, Rochetti, Superpellicei, Purificatorii, Corporalis, Pallae, imo et Mapparum texto denticulato circumducuntur. Non autem licet ubique terrarum fimbrias aut manicas denticulatas seu transparentes apponere super fundum rubrum. Dec. 17 Aug. 1833, n. 4569, 5. Item in paramentis nigris nullae imagines mortuorum vel Cruces albae ponendae sunt, juxta Caer. Ep. *l. 2, c. 11, n. 1, cit. pag. 182.* De Stemmatibus gentilitiis non removendis a supellectili Ecclesiarum, cf. dec. 7 Dec. 1844, n. 4843.

III. *De Benedictione.* 1. *Ejus necessitas.* *a*) Ex hac Rubrica constat paramenta Celebrantis, superioribus Rubricis recensita, esse benedicenda, saltem si excipias Cingulum. Idem constat, quoad Corporale ex *Rub. 1,* et quoad Mappas ex *sect. 2, tit. XX.* — *b*) De Cingulo forte posset dubitari an in *Rub. 2* veniat nomine paramentorum; unde non una fuit omnium sententia circa praeceptum illud benedicendi. „Nos, inquit Bened. XIV, ut magis probabilem, ideoque tenendam eorum sententiam proponimus, qui pro Cingulo, Pluviali, ac Pyxide benedictionem non omittendam fatentur..." *Inst. 21, n. 12.* De Pyxide, cs. S. Lig. *l. 6, n. 385, d. 2.* — *c*) Dissentiunt etiam AA. circa praeceptum benedicendi Dalmaticam, Tunicellam, Superpelliceum et Rochettum. Sed quidquid de hac controversia sentiatur, dicendum est, cum Deherdt *n. 54,* conveniens esse ut praedictae vestes benedicantur. — *d*) Purificatorium, uti jam dictum est, Velum Calicis, Bursa, Antipendium et Manutergium non debent benedici, uti tradit Deherdt cum Gavanto.

2. *Quando benedictio amittitur.* „Vestes autem benedictionem semel acceptam non amittunt quamdiu ipsae retinent eamdem formam, seu figuram, sub qua sunt aptae

ad sacrum ministerium, et sub qua benedictae fuerunt. Quod si ita dissolvantur, vel scindantur, ut eam formam mutent, ita ut sacro, cui destinatae sunt, ministerio reddantur ineptae, deperdunt et amittunt benedictionem." Fornici, *cap. 13.* Cs. Bened. XIV, *l. c.* Ex hac duplici regula sequentia fluunt. 1° „Si vestes paulatim reficiantur et assuantur etiam adjecta parte non benedicta, cum tunc eadem vestis moraliter censeatur manere, benedictio non deperit; quia pars addita, tanquam quid accessorium, sequitur naturam sui principalis: si autem uno actu addatur pars, quae sit major parte benedicta, deperditur benedictio, majori parte ad se minorem trahente." Deherdt *p. 1, n. 54, II.* 2° „Cingulum, ait Vinitor *§ 39,* indiget nova benedictione, si ita perfringatur, ut nulla ipsius pars ad cingendum apta remaneat quamvis ei addatur alia pars minus apta." „Sic, inquit Deherdt *l. c.* amittitur benedictio Albae, si manicae ab ea separentur; Cinguli, si rumpatur et nulla pars sufficiat ad cingendum; una autem sufficiente, potest ei altera connecti."

Q. 1. Quid faciendum cum paramentis sacris, quae sunt usu trita, vel amiserunt benedictionem?

Resp. cum Deherdt. „Ex iis quae fuerunt benedicta, alia sunt conficienda, quae Ecclesiae usibus deservire possunt, vel comburenda sunt, et cineres in sacrarium, aut in parietem vel fossas pavimentorum projiciendi, ne pedibus conculcentur; in usus autem profanos nullatenus convertenda aut vendenda sunt: hoc enim vetant canones. Vid. Quarti *p. 1, tit. 19, dub. 3. Luc.* — Ferr. *paramenta, n. 8 et seq.* — Collet, *Traité des SS. Myst. ch. 10, n. 11.* — Busemb. apud S. Alph. de Lig. *lib. 6, n. 371, ad 6, et 376.*"

„Ea autem quae benedicta non fuerunt, ut candelabra, tapeta, manutergia etc., profanis usibus applicare non est illicitum, sicut si quid ex his desit, ex profanis congruenter mundis accipi, et deinde priori usui reddi potest, juxta Quarti *p. 1, tit. 19, dub. 3.* — Busembaum apud S. Alph. de Lig. *lib. 6, n. 395.*"

Q. 2. An idem resolvendum sit de Calicibus et Patenis, qui in sua forma non amplius possunt inservire?

R. Negative. Materia enim ex Calicibus et Patenis igne fusis converti potest in usus profanos. Et ratio disparitatis est quia simul ac aurum, argentum aut aes fusum est, primam formam amittit et ut profanum habetur, estque

materia informis quae ad aliud opus adhiberi potest ab artifice; quod non verificatur de supellectilibus laneis aut sericis, quae, nisi flammis tradantur, amittere nequeunt illam formam quae ipsis data est a textore, et ad majus aliam possunt induere formam, ad usum diversum. Attamen longe decentius est ex praedicta materia fusa novos conflari Calices, Patenas, Pyxides, Vasa pro sacris Oleis, sacras Imagines, Coronas, Candelabra, etc., in Dei cultum, Sanctorum honorem et Ecclesiarum decus et ornamentum. Gardel. *ad n. 4438. Ibidem* quaedam tradit de venditione sacrarum rerum.

TITULUS II.

DE INGRESSU SACERDOTIS AD ALTARE.

Rub. 1. Sacerdos omnibus paramentis indutus, accipit (1) manu sinistra Calicem, ut supra praeparatum, quem portat elevatum ante pectus, bursam manu dextra super Calicem tenens, et facta reverentia (2) Cruci vel imagini illi, quae in Sacristia erit, capite cooperto accedit ad altare, ministro (3) cum Missali, et aliis ad celebrandum necessariis [*nisi ante fuerint praeparata* (4)] praecedente superpelliceo induto (5). Procedit (6) autem oculis demissis, incessu gravi (7), erecto corpore. Si vero contigerit eum transire ante altare majus, capite cooperto faciat ad illud reverentiam: si ante locum Sacramenti, genuflectat (8); si ante altare, ubi celebretur Missa, in qua elevatur, vel tunc ministratur Sacramentum, similiter genuflectat (9), et detecto capite illud adoret, nec ante surgat, quam Celebrans deposuerit Calicem super Corporale.

(1) *Omnibus paramentis indutus*, non excepto Birreto, accipit etc.

Accipit. Juxta nonnullos decet ut Sacerdos, priusquam Calicem accipiat, salutet, aperto capite, alios Sacerdotes praesentes; quod pariter faciendum foret deposito Calice post Missam. „Cum vero, inquit Merati, Rubrica Missalis de hac reverentia a Tonellio excogitata nihil enunciet, satius videtur eam praeteriri debere.“ Placet sententia Merati; sed quoad exteros Sacerdotes, consultum videtur, ut se conforment praxi Ecclesiae ubi celebrant.

(2) *Et facta*, capite cooperto, *reverentia,* etc. „Caput vero non detegit, inquit S. Lig. *h. l.*, nisi in casu quo

Calix ad altare portatus est." Ita AA. communiter interpretantur hanc Rubricam, supponendo scilicet caput coopertum antequam acceptus fuerit Calix: quia Celebrans dicitur, *omnibus* indutus paramentis, accipere Calicem. Hinc participium adhibetur in sua propria significatione, ad indicandum non actum, sed statum: *accedit cooperto capite.* Et reipsa si Rubrica voluisset edicere caput esse cooperiendum post reverentiam, dixisset: *facta reverentia, caput cooperit et accedit* etc. Cf. Rub. 5.

Quando paramenta sumuntur ultra Crucem aut Imaginem, ita ut Celebrans ante eam transeat eundo ad portam Sacristiae, tunc inclinatio fit non ubi sumuntur paramenta, sed in transitu ante Crucem aut Imaginem.

Capite cooperto. Ex dictis de consuetudine contra Rubricas, manifestum est morem non gerere S. Matri Ecclesiae istos Sacerdotes, qui vano praetextu consuetudinis, ad altare accedunt capite aperto; quod confirmatur dec. 14 Jun. 1845, n. 4873. Ipsi viderint quo pacto possint, tuta conscientia, hanc Ecclesiae ordinationem negligere, ne dicam contemnere. Ut autem haec Rubrica possit ab exteris servari, Ecclesiae Rectores curent procurare ut in Sacristia sufficiens adsit numerus Birretorum.

Certis in Ecclesiis pulsatur campanula in exitu e Sacristia *(Inst. clem. § 16)*; in aliis ad initium Missae.

(3) *Ministro* etc. Vide, in App. ad h. t., notata de praecepto adhibendi ministrum, de causis plures adhibendi, de ejus qualitate et Officio.

(4) *Nisi antea,* prout magis decet, *fuerint praeparata.*

(5) *Superpelliceo induto.* Haec dispositio respicit praecipue Clericos, quorum munus est ministrare ad Missam; laici tamen non excluduntur, et revera secus fieri non posset, cum Clerici non adsint ubique. Laici, dum ministrant, videntur posse etiam superpelliceum induere. Equidem Baldeschi, *tom. 1, p. 2, c. 12, n. 1,* docet hoc ministerium ita proprium esse Clericis, ut illud a laicis exerceatur tantum ex consuetudine tolerata et absque veste talari et superpelliceo. His vero assentiri non possum: nam 1° praesens Rubrica non nominat *Clericum,* sed *ministrum,* qui, ex *tit. X, 1, de defect.,* potest esse laicus; 2° cum Rubrica non loquatur exclusive de Clerico, dicendum est superpelliceum concedi non propter qualitatem ministri, puta quia est Clericus, sed propter ipsum ministerium. Caeterum laicos,

qui Missae inserviunt, etiam posse induere superpelliceum, supponunt Bened. XIV [1], et Card. Lambruschini [2], confirmaturque praxi generali [3]; quinimo decet ut illud induant [4].

(6) *Procedit.* 1° Exeundo a Sacristia potest se signare aqua benedicta, si commode possit. Dec. n. 7 Mart. 1779, n. 4244, 14. Caveat autem Celebrans ne aliquid e Calice decidat; propterea consultum est ut sistat, dum se signat; si autem Calicem non deferat, congruit ut caput aperiat. 2° Nihil obstare videtur quin Celebrans, eundo ad altare, aliquam recitet precem, v. g. *Ego volo celebrare Missam;* hoc enim non est introducere novum ritum, ut recte arguit Cav. *t. 5, c. 7, n. 28,* ubi asserit ita docere majorem Doctorum partem. Nihilominus oppositae sententiae adhaerendum putat Merati *h. l. n. 6:* non assentior.

(7) *Incessu gravi.* Celebrans qui seria mente revolvit Mysterium quod in Missa peragitur, nihil cum levitate aut praecipitatione aget; sed semper cum modestia piaque gravitate se geret, tum in incessu quando ad altare accedit, aut quando procedit de ejus medio ad latus, et vicissim, etc., tum in gestu quando dicit *Dominus vobiscum, Oremus* etc. Sicque non scandalo, sed aedificationi erit adstantibus. Cf. S. Lig. *Selva, tom. 2, Inst. 1, n. 13.* Advertat tamen Sacerdos vitandam esse prolixitatem: haec enim sine causa populum taedio afficeret; unde agat quidem cum gravitate, sed non sit prolixus, prout jam monitum est, *p. 32 sq.* Haec vitanda prolixitas, quandoque non

1) *Inst. 34, n. 18* loquitur de ministris Missae, qui clericalem Tonsuram non receperunt; et nihilominus superpelliceum induunt.

2) »Optamus autem, ait, ut festis praesertim diebus, qui Sacerdotibus ad aram operantibus inserviunt, sint veste talari, et superpelliceo induti.« Jam vero tam ex textu quam ex contextu patet hic non agi de solis Clericis.

3) Baruffaldus, *tit. 24, n. 30,* Ministro, si laicus est, superpelliceum contendit, tanquam vestem clericalem, sed contraria fere communis habetur consuetudo, quae cum vigeat tacentibus supremis Ecclesiae Praelatis, et ad decentem Divinorum celebrationem valde conferat, eamdem damnare non audemus. Ita Cav. *tom. 4, dec. 66, n. 19.*

4) Ad praedicta verba *superpelliceo induto,* sequentia adnotat Lohner. »Quod majoris honestatis causa omnino decet fieri; si tamen commode haberi non possit, aut alia rationabilis causa suadeat non adhibendum esse, poterit minister ordinario vestitu ministrare, sicut in Hispania passim etiam magni Domini ministrant.«

satis cavetur quibusdam in actionibus v. g. in discooperiendo Calice etc. ad Offertorium, item in eodem extergendo et cooperiendo, Communione peracta.

(8) *Genuflectat*, capite etiam cooperto, uti supponit Rubrica et exponunt Rubricistae. Cavalieri tamen, *l. c. n. 29*, excipit si capitis discooperitio esset alicubi introducta legitima consuetudine. Docet Lohner in Germania caput detegi, ex indulto S. Sedis, quod concessum est ob haereticos et alios qui scandalizari possent, si Sacerdotes ante Venerabile transeuntes et caput non aperientes viderent. Notandum autem est Rubricam supponere Calicem deferri a Celebrante: si enim Calix jam delatus fuerit ad altare, tunc ad omnes reverentias caput est aperiendum, ut dicitur *ad n. 2*.

(9) *Similiter*, id est, etiam *genuflectat*, pro circumstantiis, nempe, utroque genu, aperto capite. Advertendum est per Rubricam requiri ut exspectetur finis Elevationis, non autem Communionis. Cf. *pag. 18*. Patet eodem modo esse genuflectendum, si obvietur Sacerdoti SS. Sacramentum deferenti. Quomodo autem caput sit aperiendum, Rubrica non aperte declarat; attamen Rubricae Missalis juxta dec. 24 Jul. 1638, n. 939, *Urbis*, „videntur innuere, quod post factam adorationem genibus flexis, detecto capite, surgens caput operiat.“ Cf. Inst. Clem. *§. 7*, et Cav. *tom. 4, dec. 176*. Ad normam citati decreti, Deherdt, *h. t. II. 4°*, tradit sequentem modum. „Prius flectit utroque genu; et dum est genuflexus, deponit Birretum, quod Ministro porrigere, vel ipsemet tenere potest manu dextra cum parte aperta Birreti versus se; et posita iterum dextra cum vel sine Birreto super bursam, caput profunde inclinat; post quam inclinationem, repositis prius in capite Birreto et deinde dextra super bursam, surgit et tecto capite procedit: ita ut aperto capite non sit surgendum, neque caput detegendum, quousque Sacerdos sit extra conspectum SS. Sacramenti; aliud tamen est, quando Sacerdos non portat Calicem; tunc enim cum manus impeditas non habeat, caput suum semper detectum habere debet, quamdiu est in conspectu SS. Sacramenti: item quando celebrat in ipso altari, in quo SS. Sacramentum est expositum, in accessu et recessu caput detectum habere debet, licet Calicem deferat, quamdiu est in conspectu SS. Sacramenti.“ Obvia non est ratio disparitatis, quoad capitis apertionem, inter

casum, quo Sacerdos eundo ad aliud altare transit coram SS. Sacramento publice exposito, et casum quo accedit celebraturus ad ipsum altare ubi publice est expositum; ac proinde non facile intelligitur quare in uno et non in altero procedendum sit capite aperto quamdiu est in conspectu Venerabilis. Forte origo hujus differentiae inde repetenda est quod supponitur Celebrantem, qui procedit ad altare publicae expositionis, non deferre Calicem; quia ibi non celebrantur Missae privatae. Quidquid autem sit de ratione disparitatis, non puto reprobandam esse consuetudinem procedendi, in utroque casu, capite aperto, dum Celebrans est in conspectu Venerabilis.

Alias reverentias non commemorat Rubrica. Nihilominus quaedem aliae sunt etiam faciendae. 1° Ante Reliquiam S. Crucis, flectendum est uno genu, aut caput tantummodo est inclinandum, prout exposita est loco principe super altare, aut recondita in custodia. Dec. 7 Mai. 1746, n. 4032, 12. Et idem dicendum videtur de aliis instrumentis Dominicae Passionis. Quoad Sanctorum Reliquias, distinguendum videtur. „Si vero transeat ante altare, in quo sit exposita solemniter Reliquia insignis Sancti, de quo fit Festum ibidem, convenit ut apertum caput inclinet illi profunde: in aliis Reliquiarum expositarum casibus, habeatur ratio altaris tantum.“ *Ad Gav. h. l.* *. Cs. Vinitor; non autem Lohner. „Sed, ait *h. l.,* si Rubricae ipsi SS. Sacramento negant apertionem capitis, quanto magis talibus Reliquiis negabunt? Sufficeret ergo in tali casu inclinatio profunda, exceptis iis locis, in quibus etiam ipsi SS. Sacramento caput detegitur: in his enim haec Caeremonia etiam Reliquiis dictis exhiberi posset.“ — 2° Facienda etiam est reverentia personis, quas commemorant Rubricae seqq. 2, 3, 6, 8 et 9, necnon Magnatibus. An etiam Sacerdoti, peracta Missa, redeunti, non convenit inter AA. Servetur consuetudo. De Dominis loci, cf. pt. dec. 9 Dec. 1702, n. 3489.

Rub. 2. Cum pervenerit ad altare, stans ante illius infimum gradum, caput detegit, Birrétum Ministro porrigit, et altari, seu imagini Crucifixi desuper positae profunde se inclinat. Si autem in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectens *(uno genu in plano)* (1), debitam facit reverentiam. Tunc ascendit ad medium altaris, ubi ad cornu Evangelii sistit Calicem *(et capite Cruci inclinato)* (2),

extrahit Corporale de bursa ([3]), quod extendit (*excepta anteriori parte*) ([4]) in medio altaris, et super illud Calicem velo coopertum collocat ([5]); bursam autem ad cornu Evangelii. Si in altari paramenta accipit, hoc idem facit, antequam descendat ab altari, ut Missam inchoet.

(1) *Genuflectens* in plano. Dec. 12 Nov. 1831. Cf. Caer. Ep. *l. 1, c. 15, n. 5,* et dicta *tom. I, p. 361 sq.*

(2) *Sistit Calicem,* Crucique caput inclinat (Roms. et Janss.). „Videtur autem, ait Janss. *h. t. n. 20,* secundum varios Authores, sufficienter in aequitate naturali fundatum, ut Sacerdos tempore Missae ad medium altaris tunc ac toties faciat Cruci reverentiam per capitis inclinationem (nisi tunc juxta Rubricas fieri debeat inclinatio hac major, vel osculum altaris), quando et quoties ibidem sub Missa, exposito patenter Venerabili, reverentiam SS. Sacramento exhibere deberet per genu unius flexionem." Haec regula partim confirmatur *Rub. 4, h. t.* et *tit. VI, 1,* necnon *tit. XII, 1.* Ad normam hujus regulae nonnullas inclinationes cum Romsée indicamus, quae non toties exprimuntur in Rubricis, quoties occurrunt faciendae; cujus silentii ratio esse videtur, quia satis declarantur vel in Rubricis generalibus, vel in casibus similibus. Et propter eamdem rationem, quandoque in commentario non indicantur.

(3) *De bursa:* hanc *ad cornu Evangelii collocat,* cum apertura versus medium altaris, uti communiter tradunt AA. ratione majoris commoditatis.

(4) *Extendit.* Hic et *tit. VII, 3,* Corporale supponitur totaliter extendi; attamen usus laudabilis invaluit apud nos, ut pars anterior ubi deponi solet Hostia, non explicetur nisi ad Offertorium, ut hoc modo praecaveatur periculum ne particulae, forsan relictae ex praecedenti Sacrificio, adhaereant velo aut pedi Calicis. Cs. Janss. Eadem de causa, curet Sacerdos aut Subdiaconus ut Hostia semper ponatur eodem loco Corporalis; „hocque facile observabitur, inquit Romsée *tom. 1, p. 2, a. 2, n. 4,* si Sacerdotes, plicantes Corporale post Communionem, primo revolvant partem illius anteriorem, et secundo posteriorem; extendentes vero ante Missam, si primo extendant plicaturam superiorem versus altare." Plicatis autem partibus anteriori et posteriori, congruit ut tunc primo plicetur, et proinde supponatur, pars quae est ad cornu Epistolae, et deinde alia superponatur. Hic enim modus videtur con-

gruentior, et si ab omnibus servetur, facilius explicatur Corporale. In extendendo Corporali, id etiam attendere convenit, ut pars anterior aliquantulum distet a fronte altaris, ita ut Celebrans possit osculari altare extra Corporale et tamen commode manus intra Corporale ponantur post consecrationem.

(5) *Calicem,* una aut altera manu per nodum acceptum, *collocat* super Corporale. Rubrica non dicit quo modo Calix sit sistendus super altare, nec qua manu sit deinde accipiendus. Juxta Romsée, Deherdt, Baldeschi etc., accipiendus est sinistra. Sed potest etiam nodus accipi dextra, si hoc sit commodius [1].

Rub. 3. Si est consecraturus plures Hostias pro Communione facienda, quae ob quantitatem super Patenam (1) manere non possint, locat eas super Corporale ante Calicem (2), aut in aliquo Calice consecrato, vel vase mundo benedicto (3), ponit eas retro post Calicem (4), et alia Patena, seu Palla cooperit (5).

(1) *Super Patenam.* Si subtus majorem Hostiam ponantur, de hoc admonendus est Celebrans.

(2) *Ante Calicem,* id est, a parte anteriori, sed aliquantulum ad latus, quia medium occupat major Hostia. Usus communis et commodior habet, ut ponantur parum a sinistra majoris; sed attendendum est, ut reperiantur intra lapidem sacrum.

(3) *Benedicto.* Inde colligitur Pyxidem esse benedicendam. Cf. pt. S. Lig. *l. 6, n. 385,* et Bened. XIV, cit. *p. 268.* — De materia Pyxidis seu Ciborii, vid. *p. IV de SS. Euchar. Sacram.* Cf. Deherdt, *p. 1, n. 55.* — De benedictione Remonstrantiae, idem dicendum est ac de benedictione Pyxidis. „Et ipsa Remonstrantia, inquit Deherdt *l. c.,* licet Sacras Species non tangat, laudabiliter tamen benedicitur, quod exinde patet, quia in Missali inscribitur *benedictio tabernaculi seu vasculi pro S. Eucharistia conservanda,* quae aeque spectat ad Remonstrantiam, ac lunulam ipsius."

1) Si velum sit (ut ordinat Rubrica) sericum, et aequaliter pendeat a parte anteriori et posteriori, tunc nodus commodius accipi videtur sinistra; si autem velum sit rigidum, magis pendens a parte anteriori, ut fieri solet in his regionibus, tunc si pars anterior respiciat cornu Evangelii, nodus commodius accipitur dextra.

(4) *Post Calicem*, paululum ad alterutrum latus, si, ut solet contingere, id exigat angustia lapidis sacri.

(5) *Cooperit* proprio operculo, si habeatur (Gav.). De Hostia exponenda silet Rubrica. Ea autem consecrari potest vel super Corporale, vel in ipso Ostensorio, seu potius in ejus lunula. Cf. Deherdt *h. l.*, et Cav. *ibi cit.*, et infra *tit. VII, 3, adn. 3.*

Rub. 4. Collocato Calice in altari *(facta reverentia)*, accedit ad cornu Epistolae, Missale super cussino aperit, reperit Missam, et signacula suis locis accommodat (1). Deinde rediens ad medium altaris, facta primum Cruci reverentia (2), vertens se ad cornu Epistolae (3) descendit post infimum gradum (4) altaris, ut ibi faciat Confessionem.

(1) *Accommodat.* Signacula supponuntur antea ordinata *(tit. I, 1)*, et hic ordinantur accommodari, quatenus opus sit, aperto Missali. Cf. Lohner. Notandum est Missale, juxta hanc Rub., non esse aperiendum a Ministro, sed a Celebrante. Cs. dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 11.

(2) *Cruci,* quamvis adsit tabernaculum continens SS. Sacramentum; Rubrica enim non distinguit ut 2a praec. Cf. Janss. *p. 2, II, tit. 3, n. 9.*

(3) *A cornu Epistolae,* versa scilicet facie ad cornu Epistolae, se aliquantulum retrahendo a medio altaris, ne terga vertat Cruci et tabernaculo. Romsée cum Merati etc. Contradicit Deherdt.

(4) *Post infimum gradum,* ad humilitatem coram Deo magis indicandam. Gav. At „si in altari plures sint gradus quam tres, tunc non omnes descendit, sed tantum primum ordinem graduum, si sint per ordinem distincti, vel supra secundum aut tertium sistit; quod si nullus adsit gradus, prout in Oratoriis privatis, et in angustioribus locis quandoque solet contingere, tunc convertens se a cornu Epistolae, per aliquot passus ab altari remotus, facit Confessionem, ita ut inter ipsum et altare congrua sit distantia." Vinitor *h. t. §. 27,* cum Castaldo.

De Missa solemni.

Rub. 5. In Missa solemni Missale apertum super altare (1), Calix vero, et alia (2) necessaria praeparentur in Credentia cooperta linteo, antequam Sacerdos veniat ad altare. Ipse (3) autem procedit cum Diacono et Subdiacono, qui capite cooperto, simul cum eo tenent manus

junctas ante pectus (4); Acolythi (5) vero ante eos deferunt candelabra cum candelis accensis, quae deinde collocantur super Credentia: et cum pervenerit ante infimum gradum altaris, ibi medius inter Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris, antequam ascendat ad altare, facit cum ipsis (ut infra) Confessionem.

Quaestio hic est de Missa intrinsece et perfecte solemni *(p. 9)*. Quod ad Caeremonias hujus Missae attinet, *tom. I, p. 15, n. 4*, jam monitum est cum Gavanto, non raro recurrendum esse ad Caerem. Episcop. Cf. ibi dicta de vi praedicti Caeremonialis.

Celebrans se praeparat, manus lavat, paramentaque induit ut in Missa privata; sed aliis relinquit curam circa Missale, Calicem etc.

Diaconus et *Subdiaconus* non praetermittant congruam praeparationem, aliquantulum Orationi vacando. Deinde sequentia praestent. 1° Quemadmodum tradit Deherdt, *part. 2, n. 37*, ab ipsis Epistola et Evangelium quaerenda, signanda et perlegenda sunt, ne errent in cantando. *Diaconus* debet ordinare Missale; Missam Commemorationes et Praefationes quaerere, signaculaque suis locis disponere. — *Subdiaconus*, cujus etiam est Calicem in altari vestire, eumdem ante Missam praeparat. — 2° Convenit ut manus lavent, antequam sacris vestibus se induant. Ad Tunicellam, Subdiaconus dicere potest: *Tunica jucunditatis et indumento laetitiae induat me Dominus;* et Diaconus ad Dalmaticam: *Indue me, Domine, indumento salutis, et vestimento laetitiae, et Dalmatica justitiae circumda me semper*, prout in Missali pro Episcopo praescribitur. Quoad adjumentum Celebranti praestandum, dum sacra paramenta induit, certum est Diaconum et Subdiaconum, ad hoc non *teneri;* an autem id possint, praesertim si vigeat consuetudo, non constat. Cf. dec. 13 Jun. 1676, n. 2639, 3. — 3° Induendo paramenta, non praeveniunt Celebrantem, et convenienter dicunt Orationes, ut supra. — Quandonam Clericus possit fungi Officio Subdiaconi, dictum est *pag. 195*.

(1) *Missale apertum* est super altare; et ratio esse videtur quia neque Celebrans neque Ministri ad altare ascendunt ante Confessionem.

(2) *Alia,* puta liber Evangeliorum, velum oblongum pro Subdiacono, navicula incensi, ampullae vini et aquae, manutergium, campanula. Cf. Caer. Ep. *l. 1, c. 12, n. 19*.

(3) *Ipse* etc. Juxta plures, saltem si mos existat, antequam ad altare procedat, imponit incensum in thuribulum illudque benedicit ut initio Missae. Hunc ritum deducunt a Caer. Ep. *l. 2, c. 8, n. 23.* Cf. Cav. *tom. 5, c. 8, n. 10.* Janss. *h. l. n. 3,* aliique. In casu autem Thuriferarius primus incedit cum thuribulo fumigante. Incenso benedicto, Celebrans et Ministri faciunt reverentiam Cruci, ut tradit Rub. 1. Deinde Ministri, tecto capite, ait Cav. *h. l. n. 11,* salutant Celebrantem, quasi se ejus precibus in Missa commendantes, quibus, etiam Celebrans tecto capite aliquantulum se inclinans, correspondet. Cs. Mer. *n. 22,* aliique. Multis tamen in Ecclesiis invaluit usus, ut haec mutua salutatio fiat capite aperto.

Procedit post Diaconum, quem praecedit Subdiaconus; ad portam Sacristiae potest se signare aqua benedicta, ut supra; sed in casu congruere videtur ut caput aperiatur. Quoad reverentias, Ministri easdem agunt ac Sacerdos privatim celebrans; caput tamen aperiunt quia manus non sunt impeditae.

(4) *Ante pectus*, ita tamen ut Dalmaticam aut Tunicellam non tangant; hujusmodi enim contactu maculantur.

Praxis, juxta quam Calix ad altare defertur a Subdiacono, cum procedit ad Missam, aperte repugnat Rubricis, quae ordinant, ut Calix ante Missam solemnem ponatur super altare, vel ut magis decet *(tit. VII, 9)*, super Credentiam; aliunde nulla videtur dari rationabilis causa qua cohonestetur praefata praxis.

(5) *Acolythi* bini procedunt, et candelabra sic deferunt „ut, qui a dextra procedit, apponat dextram nodo candelabri medio, sinistram pedi ejusdem; et qui a sinistris incedit, e converso sinistram nodo, dextram pedi apponat. Apud alios fit modo opposito; est autem utrumque praeter Rubricas: quisque proin suae servet consuetudinem Ecclesiae.“ Janss. *tit. III, n. 4.* Si autem incensum fuerit impositum in thuribulo, tunc Thuriferarius Acolythos praecedit cum thuribulo fumigante.

Rub. 6. In Missa Pontificali omnia serventur, ut in Caeremoniali ordinatur; cujus ordinem Episcopus nunquam praetermittat, quandocumque cum Diacono et Subdiacono paratis celebrat.

APPENDIX.

De Ministro Missae inserviente.

In hac appendice agitur de praecepto adhibendi Ministrum, de causis ob quas plures permittantur, de ejus qualitate et Officio.

I. *Praeceptum* adhibendi Ministrum manifestum fit legenti hanc Rubricam et Bullam S. Pii V. Quinimo juxta S. Lig. *l. 6, n. 391, d. 1,* certum est apud omnes mortale esse celebrare sine Ministro. Attamen quandoque necessitas excusare potest, ut in sequentibus casibus. 1° Ad dandum Viaticum, 2° ut populus audiat Missam de praecepto; 3° juxta plures, ut Celebrans ipse satisfaciat praecepto audiendi Sacrum; 4° probabiliter ut Missam incoeptam, praesertim facta oblatione, Celebrans perficiat, puta si Minister abscesserit non cito reversurus. Cf. S. Lig. *l. c.,* Bened. XIV, *sect. 2, n. 52,* Deherdt, *p. 2, n. 34* etc. Quando autem occurrente necessitate, celebratur sine Ministro, Sacerdos ipse sibi respondet et ministrat; si tamen adsit femina quae respondere valeat, puta Sanctimonialis, ipsa e suo respondeat; et si adsit vir qui valeat quidem ministrare, non autem respondere, id saltem faciat. Cf. statim dicenda.

II. *De numero.* In Missa cantata plures adhibentur; sed in Missa privata regulariter unus tantum. A qua regula duo excipiendi sunt casus. 1° Valde conveniens est, ut Episcopo privatim celebranti inserviant duo Ministri cottis induti, prout tradit Caer. Ep. *l. 1, c. 29, n. 2;* quod tamen ampliandum non est ad dignitates Episcopo inferiores. 2° Ex dec. 12 Sept. 1857, 7, duo Ministri tolerantur ratione solemnitatis in Missis lectis.

III. *Qualitas.* Ex hac Rub. et ex *tit. X, 1, de defect.,* debet esse masculus, „ita quidem, ait Deherdt *p. 2, n. 34,* ut foemina, licet etiam Sanctimonialis, numquam ministrare possit, et, urgente necessitate, satius sit celebrare sine Ministro, quam cum foemina ministrante.“ In casu necessitatis Sacerdos ipse sibi ministrat. Cf. dec. 27 Aug. 1836, n. 4633, 10, Merati. Quarti. S. Lig. Collet, Vinit. cit. ap. Deherdt. — 2° Decet, sed non requiritur, ut sit Clericus. — 3° Sit ita edoctus et institutus circa omnia quae ad suum Officium pertinent, ut accurate respondeat et mini-

stret. Ecclesiarum autem Rectores meminerint ipsis incumbere obligationem procurandi opportunis adhibitis mediis, ut tales sint Ministri, qui ipsorum Ecclesiis inserviunt; neque putent oneri suo satisfecisse, cum illud alteri commiserint: invigilare enim debent an delegatus commissum munus rite adimpleat. Quam dolendum et erubescendum est quandoque cernere, nihil de informandis iis, qui divino et tremendo Sacrificio inserviunt, curari, dum e contra nihil praetermittitur, ut Ministri famulatus civilis perfecte instituantur informenturque in quacumque re, vel minutissima, ad ipsorum ministerium pertinente! Ad hoc serio reflectant Ecclesiarum Rectores. Cf. Romsée, *part. 2, a. 3, II, in nota.* — 4° Sit decenter vestitus, habita tamen ratione circumstantiarum loci et personarum (de superpelliceo dicitur *adnot. 5 seq.*); sit pius et modestus, gravi passu incedat etc. Ad hoc non parum juvabit exemplum Celebrantis.

IV. *Ejus Officium.* 1° Si ipse vinum et aquam in ampullas infundat, sedulo caveat ne erret; in quo facilius errare potest quando in ampullis non vitreis aliquid vini aut aquae remansit ex praecedenti Sacrificio; praeparat altare, stragulam caute amovendo etc.; cereos accendit, incipiendo a cornu Evangelii, qua nobiliori (dec. 12 Aug. 1854 *in Lucionen., ad 77*); „non decet, ait Vinitor *p. 2, tit. 15, n. 4,* sumere ignem de altari aliquo, nisi aliter fieri non possit;" Cingulum offert Celebranti, Albam adaptat, diligenterque inspicit an cuncta circa Celebrantem sint recte disposita; denique ad altare procedit uti in Rubrica ordinatur. — 2° Circa ejus ministerium infra Missam, sequentia possunt generatim notari, cum Deherdt aliisque. *a*) Ad altare, in Missa privata, occupat locum e regione Missalis, ita ut v. g. ab initio Missae flectat ad cornu Evangelii, et ab Evangelio ad cornu Epistolae. *b*) In accessu ad altare et recessu ab eodem genuflectit in plano, dum Celebrans genuflectit aut se inclinat; infra Psalmum et Confessionem respondet (ut *tit. III, 6 et 9*) genuflexus in plano paulo post Celebrantem; extra utrumque Evangelium, cum non est aliquo ministerio occupatus, flectit utroque genu in infimo gradu; dum transit ante tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectit in plano, imo ex sententia communi, etiam cum transit ante medium altaris, ubi adest sola Crux: et ratio est quia ipsi Ministri sacri etiam soli Cruci genuflectunt, ex *tit. IV, 7.* Attamen Bauldry, a Merati cit. *h. t. n. 9,*

non improbat contrariam consuetudinem. Cf. pt. Cav. *t. 5, c. 7, n. 31.* Fertur S. R. C. decretum 12 Aug. 1854 *in Lucionen,* quod *ad 70* supponit Ministrum aliquando posse transire ante medium altaris cum sola inclinatione: „In transitu tantum ante medium altaris in casu genuflectendum vel inclinandum." De hoc quaeri potest an promiscue, vel solum ratione consuetudinis permittatur sola inclinatio in transitu in medio ante Crucem? Cf. *ibid. ad 36.* Interim servetur Ecclesiae praxis. *c*) Una cum Celebrante caput inclinat, se signat, pectusque percutit; et eidem respondet. *d*) Nunquam terga vertit altari. Quomodo autem debeat in particulari ministrare, dicitur infra in expositione Rubricae, locis propriis. Cf. *tit. III, 6* et *9, IV, 2* — *VI, 1* et *2* — *VII, 4, 6, 7* et *8* — *VIII, 6* — *X, 5* et *6* — *XII, 6.* — Notandum tamen 1° plura quae hac de re apud AA. reperiuntur, hic et locis propriis silentio praetermitti vel quia de illis AA. non conveniunt, vel quia rationem duntaxat habent consilii, cui regulariter praevalet rationabilis consuetudo; et 2° campanulam in hac Dioecesi pulsari non solum ad *Sanctus* et ad utramque elevationem, sed etiam ad *Hanc igitur* et ad *Omnis honor et Gloria.* Quoad pulsationem initio Missae varia est Ecclesiarum praxis. Quandonam omittenda sit pulsatio, dicitur infra *tit. VII, 8.*

TITULUS III.

DE PRINCIPIO MISSAE ET CONFESSIONE FACIENDA.

Rub. 1. Sacerdos cum primum descenderit sub infimum gradum altaris, convertit se ad ipsum altare, ubi stans in medio, junctis manibus ante pectus *(quin tangant casulam)*, extensis et junctis pariter digitis, et pollice dextro super sinistrum posito in modum Crucis (quod semper servatur, quando junguntur manus, praeterquam post Consecrationem) detecto capite, facta prius Cruci, vel altari profunda reverentia (1), vel, si in eo sit Tabernaculum SS. Sacramenti, facta genuflexione *(unius genu super infimum gradum)*, erectus, incipit Missam.

(1) *Profunda reverentia,* id est profunda corporis inclinatione, ut *tit. II,* 2 Dec. 8 Apr. 1808, n, 4357, 5.

Rub. 2. Si Celebraturus sit coram Summo Pontifice, sistit se ante infimum gradum altaris a cornu Evangelii ante ipsum Pontificem, ubi genuflexus exspectat: accepta

benedictione erigit se, et stans aliquantulum versus ad altare, incipit Missam. Si autem sit coram Cardinali, Legato Sedis Apostolicae, aut Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in eorum residentiis vel loco jurisdictionis, stans ante infimum gradum a cornu Evangelii ut supra exspectat: dato signo, facit profundam reverentiam Praelato, et versus ad altare incipit Missam.

A cornu Evangelii, ne terga vertat Praelato qui supponitur in genuflexorio ante medium altaris, aut e regione in cornu Epistolae (Caer. Ep. *l. 1, c. 30, n. 1, cit. in App. ad hanc sect.*).

Rub. 3. Si autem solemniter celebret coram Summo Pontifice, aut alio ex Praelatis praedictis in Ecclesiis eorum jurisdictionis, stans a sinistris Praelati, facit cum eo Confessionem, et alia servat, ut in Caeremoniali ordinatur. *(Cf. App. I ad hanc sect. n. III, 2, 2°).*

Rub. 4. Stans igitur Celebrans ante infimum gradum altaris, ut supra, producens manu dextra a fronte ad pectus *(tactu physico)* signum Crucis, dicit intelligibili voce, *In nomine Patris* (1), *et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.* Et postquam id dixerit, non debet advertere quemcumque in alio altari celebrantem, etiamsi Sacramentum elevet, sed continuate prosequi Missam suam usque ad finem. Quod item observatur in Missa solemni (2), et simul etiam a Ministris (3).

(1) *In nomine Patris,* „et tunc tangit materialiter frontem suam tribus mediis dextrae digitis. Cum dicit: et *Filii,* iisdem tribus digitis tangit pectus. Cum dicit: et *Spiritus,* tangit iisdem humerum sinistrum. Cum dicit: *Sancti, Amen,* tangit humerum dextrum; atque sic Crux, et ore et manu, simul finitur. Non apparet autem ullum fundamentum, quo Vinitor §. 8 dicit, quod ad humerum sinistrum sit dicendum: *et Spiritus Sancti,* et ad dextrum, *Amen;* nam sic Crux prius ore finiretur, quam manu.“ Janss. *h. t. n.* 5.

(2) *Solemni.* „Quod intelligendum videtur si ipsam Missam prosequatur, non autem si sub Hymno Angelico vel Symbolo sedeat; tunc enim si in propinquo aliquo altari signum ad elevationem daretur, decere videtur, ut caput saltem cum Ministris aperiat, sicut de facto ab aliquibus practicatur.“ Lohner, *h. l.* Omittenda potius videtur pulsatio ad Missas privatas, juxta *tit. VII,* 8. „Expediret, ait Gav., Missas privatas facere procul ab altari, ubi fit Missa

solemnis, vel omittere pulsationem campanulae ad elevationem judicio prudentis Sacristae."

(3) *A Ministris* Missae solemnis, non autem a Ministro Missae privatae, nisi sit occupatus in aliquo incompatibili Officio. Janss. Et idem dicendum, cum Gav., de Ministris inferioribus Missae solemnis.

Quaeritur quid faciendum sit Celebranti, cum SS. Sacramentum defertur ex altari ubi celebrat, aut ad illud transfertur?

R. Hujusmodi casus non supponitur in Rubricis. Juxta Deherdt *p. 2, n. 4 fin.*, „genu utroque flectit etiam infra Missam, modo non sit infra Canonem, et modo aliquam Orationem aut partem non inceperit, et necdum finierit: si enim Canonem inceperit, non potest interrumpere Missam et genuflectere; et si Orationem, Epistolam, Evangelium aut aliam partem inceperit, praestat etiam non genuflectere, donec finierit: in omni tamen casu, quo est in medio altaris, parum a medio recedere potest, etiam infra Canonem, nisi actione impediatur." Cs. Romsée, *t. 1, p. 2, a. 14 fin.* Cf. Mer. et Cav. cit. *in nota ad tit. 8, 6, infra.* Non damnarem usum quo Celebrans dumtaxat genuflecteret uno genu, cum Sacerdote SS. Sacramentum movente.

Ut hoc vitetur inconveniens, ad Capellam SS. Sacramenti Missa quantum fieri potest, non celebretur tempore, quo populus ad S. Synaxim accedit. Imo in Ecclesiis choralibus, „haec Capella non debet esse in conspectu altaris majoris, sed in navi, seu loco separato, ita ut, quoad fieri possit, non videatur ab his qui Missae majori intersunt, ne continuo genuflectere cogantur, propter reverentiam SS. Sacramenti." Caer. Ep. *l. 2, c. 30, n. 5.* Notandum tamen est *l. c.* Caer. agi de Missa solemni die Paschatis celebrata in Ecclesiis Cath. aut Collegiatis.

Rub. 5. Cum seipsum signat, semper sinistram ponit infra pectus [1]: in aliis benedictionibus cum est ad altare [2], et benedicit oblata, vel aliquid aliud, ponit eam super altare, nisi aliter notetur [3]. Seipsum benedicens, vertit ad se palmam manus dextrae; et omnibus illius digitis junctis et extensis, a fronte ad pectus, et ab humero sinistro ad dextrum, signum Crucis format. Si vero alios, vel rem aliquam benedicit, parvum digitum vertit ei, cui benedicit, ac benedicendo, totam manum dextram extendit [4],

omnibus illius digitis pariter junctis et extensis (5); quod in omni benedictione observatur.

(1) *Infra pectus,* extra terminos Crucis per dextram impressae, sed tamen supra Cingulum.

(2) *Ad altare,* id est, facie conversus ad altare, ut dicit Deherdt, part. *1, n. 45, 2* (cs. Lohner, *h. l.*): decet enim ut manus ad pectus apponat Celebrans, quando latus habet ad altare, v. g. dum benedicit Subdiaconum aut Diaconum; et idem faciendum videtur cum benedicitur incensum: in hoc enim etiam casu manus sinistra deponitur potius ex decentia quam ex aliqua mystica ratione, ac proinde deponenda est modo commodiori. Cum scilicet Sacerdos seipsum vel aliud benedicit „non decet sinistram manum suspensam quasi in aëre teneri, sed deponi debet ut quiescat; cum proportione tamen ad terminum, ad quem movetur dextra." Gav.

(3) *Nisi aliter notetur,* uti ad utrumque Evangelium.

(4) *Extendit,* ac proinde non inflexam, sed rectam tenet, etiam in formanda transversa Crucis parte. Dec. 4 Aug. 1663, n. 2094, 4, et 24 Jul. 1683, n. 2876, 6. Cf. Cav. *t. 5, c. 13, n. 39.*

(5) *Junctis,* non exceptis pollicibus, et *extensis:* excipe tamen pollices et indices a consecratione ad communionem *(tit. VIII, 5 fin.).*

Rub. 6. Postquam dixerit, *In nomine Patris,* etc. ut supra, jungens iterum manus ante pectus, pronuntiat clara voce Antiphonam, *Introibo ad altare Dei.* Minister retro post eum ad sinistram genuflexus, et in Missa solemni Ministri hinc inde stantes prosequuntur: *Ad Deum qui laetificat juventutem meam.* Deinde Sacerdos eodem modo stans incipit, et prosequitur cum Ministro, vel Ministris alternatim (*N. B.*) Psalmum *Judica me Deus,* usque ad finem, cum *Gloria Patri.* Quo finito, repetit Antiphonam, *Introibo,* cum Ministris ut supra. Qui Psalmus numquam praetermittitur, nisi in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica Passionis inclusive usque ad Sabbatum Sanctum exclusive, in quibus semel tantum dicta Antiphona, *Introibo,* cum Ministris ut supra, Sacerdos statim subjungit v. *Adjutorium nostrum,* etc. ut infra. Cum in fine Psalmi dicit, *Gloria Patri* etc. caput Cruci inclinat.

Rub. 7. Repetita Antiphona *Introibo,* dextra manu producens signum Crucis a fronte ad pectus, dicit v. *Adjutorium*

nostrum in nomine Domini. Resp. *Qui fecit coelum et terram.* Deinde altari se profunde inclinans, junctis manibus dicit, *Confiteor Deo,* ut in Ordine Missae (1): et prosequitur eodem modo stans inclinatus, donec a Ministro vel Ministris dictum sit, *Misereatur.* Cum incipitur a Ministris *Confiteor*, se erigit. Cum dicit, *mea Culpa*, ter pectus dextra manu *(devote)* percutit (2), sinistra infra pectus posita.

(1) *Ut in Ordine Missae*, ac proinde, secluso indulto, absque ulla additione. Cf. pt. dec. 13 Feb. 1666, n. 2698, 5 etc. ap. Deherdt, cit.

(2) *Ter pectus percutit* „dextrae digitis omnibus simul junctis, clausis et curvis (tenendo sinistram apertam subtus pectus), qui ritus observari debet tum a Celebrante, tum a Ministro... licet non sint improbandi, qui aperta palma et extensa pectus percutiunt, cum urbanius se gerant, et circa hoc a Rubricis nihil expresse fuerit praescriptum." Mer. *n.* 20. Haec autem percussio non praecipitanter nec nimis vehementer, sed devote et modeste fiat, ita ut tam Celebrantem quam adstantes ad devotionem moveat.

Rub. 8. Si est coram Pontifice, Cardinali, Legato Sedis Apostolicae, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in eorum Provincia, Civitate, vel Dioecesi constitutis, ubi dicit *vobis fratres*, dicat *tibi Pater*; similiter in fine, ubi dicit *vos fratres*, dicat *te Pater*, quod dicens Summo Pontifici, genuflectit, aliis Praelatis profunde se inclinat.

Rub. 9. Dum Minister, et qui intersunt (etiamsi ibi fuerit Summus Pontifex) respondent *Confiteor*, dicunt *tibi Pater,* et *te Pater,* aliquantulum conversi ad Celebrantem.

Rub. 10. Facta a circumstantibus *(vel a Ministro nomine Fidelium)* Confessione, Celebrans stans respondet, *Misereatur vestri* etc. Deinde producens manu dextra a fronte ad pectus signum Crucis, dicit *Indulgentiam* etc.: et si est Episcopus, accipit Manipulum, osculando illum in medio. Et stans inclinatus, junctis manibus prosequitur, *Deus tu conversus,* et quae sequuntur in Ordine Missae clara voce usque ad Orationem, *Aufer a nobis* etc. et cum dicit *Oremus,* extendit, et jungit manus.

Rub. 11. Et tunc, si coram Summo Pontifice, aut aliis Praelatis, ut supra, celebret, facta Summo Pontifici genuflexione, aliis Praelatis profunda reverentia, accedit ad medium altaris ante infimum gradum, et ibi incipit secreto, *Aufer a nobis,* ut in Ordine Missae.

De Missa solemni.

In Missa solemni Ministri hinc inde stantes respondent Celebranti *(Rub. 6* et *7)*, et dicunt *Tibi*, *Te*, *Pater* aliquantulum conversi ad illum *(Rub. 9)*. Haec pauca tradit Rubrica, quibus sequentia sunt subjicienda.

1° *Celebrans* „ad haec verba Confessionis, *vobis Fratres, vos Fratres,* paululum se convertit ad Diaconum et deinde ad Subdiaconum; quod et facit dicens: *Misereatur Vestri,* etc., absque pedum motione et sine ulla capitis inclinatione.“ Romsée. Quae praxis fundatur in Caerem. Ep. *l. 2, c. 8, n. 31*, et in ipsa actionis natura; unde communius docetur et practicatur. Cs. Janss. *h. l. n. 15*, cum Merati n. 26, etc. Aliter tamen sentit Cav. *t. 5, c, 9, n. 10.*

2° „*Ministri* infra confessionem Celebrantis stant manibus junctis et oculis ad terram demissis: finita autem confessione Celebrantis, se paululum convertunt ad Sacerdotem, et parum [1] inclinati versus ipsum, dicunt *Misereatur tui,* etc.; dicto autem *Amen* a Celebrante, se convertunt directe ad altare, ac profunde corpore inclinati, recitant confessionem... Dicentes *et tibi Pater,* se paululum convertunt ad Celebrantem absque motu in pedibus: facie autem reversa ad altare, et manu sinistra corpori admota, uti sub signo Crucis, ter cum compunctione, modeste et absque strepitu percutiunt pectus *(hic pag. 238)* sub his verbis, *mea culpa, mea culpa, mea maxima culpa...* In fine confessionis iterum sub his verbis, *et te Pater,* se convertunt ad Celebrantem et sine mora revertunt faciem ad altare, manentes profunde inclinati, donec responderint *Amen* post dictum *Misereatur* a Celebrante. Dicto *Amen,* se erigunt et sub his verbis, *Indulgentiam, Absolutionem,* etc., se signant cum Celebrante; tum manibus junctis ante pectus, mediocriter cum Celebrante se corpore inclinant [2] a versu, *Deus, tu conversus vivificabis nos,* usque ad vocem *Oremus,* inclusive, sub qua manus non extendunt.“ Romsée. *t. 2, p. 1, a. 2 fin.*

1) „Dum dicunt, *Misereatur tui,* usque ad ejus finem semper manent inclinati *profunde* versus Celebrantem pariter adhuc profunde inclinatum.“ Mer. *n. 26* cum communi. Servetur usus Ecclesiae.

2) Sed se profundius inclinant quam Celebrans, inquit Merati *n. 27,* cum Biss. Bauld. et a Portu.

TITULUS IV.

DE INTROITU, KYRIE ELEISON ET GLORIA IN EXCELSIS.


Rub. 1. Dum dicit, *Aufer a nobis* etc., Celebrans junctis manibus ascendit ad medium altaris, et ibi inclinatus, manibusque item junctis super eo positis, ita ut digiti parvi dumtaxat frontem, seu medium anterioris partis tabulae, seu mensae altaris tangant, residuo manuum inter altare et se retento, pollice dextro super sinistrum in modum Crucis posito (quae omnia semper observantur, cum manus junctae super altare ponuntur) secreto dicit, *Oramus de Domine* etc., et cum dicit, *quorum reliquiae hic sunt,* osculatur altare [1] in medio, manibus extensis aequaliter hinc inde super eo positis: quod semper servatur, quando osculatur altare; sed post Consecrationem pollices ab indicibus non disjunguntur. In omni etiam deosculatione sive altaris, sive libri, sive alterius rei, non producitur signum Crucis pollice vel manu super id, quod osculandum est.

Rub. 2. Osculato altari, accedit ad cornu ejus sinistrum, id est Epistolae, ubi stans versus altare, et producens a fronte ad pectus signum Crucis, incipit intelligibili voce Introitum Missae, et prosequitur junctis manibus. Cum dicit *Gloria Patri,* tenens junctas manus, caput inclinat versus Crucem. Cum repetit Introitum, non signat se, ut prius, et eo repetito, junctis manibus ante pectus accedit ad medium altaris *(cum debita reverentia)*, ubi [2] stans versus illud similiter manibus junctis, dicit eadem voce ter *Kyrie eleison,*

1) *Osculatur altare,* in signum venerationis et amoris erga Christum, qui per altare designatur. Caveat igitur Celebrans ne audiat quod a Christo Domino dictum est Judae: *Osculo Filium hominis tradis.* Ex Gav. etc.

2) Cum Celebrans non retineatur ad Missale, convenientius est ut *Kyrie eleison* et *Gloria* dicat in medio altaris in conspectu Crucis. Cf. Bened. XIV, *sect. 1, n. 127 sq. Ibid. n. 121* assignatur fundamentum naturale, »cur modo in hoc, modo in illo altaris loco in diversis Missae partibus Sacerdos has vel illas preces dicat et Orationes.« Deinde subjungit: »Quamquam neque hic deest mysticus sensus: quidam enim dicunt, Cornu Epistolae populum Hebraeorum, qui primi vocati sunt ad Evangelium, Cornu autem Evangelii Ethnicos significari, qui Evangelium ab Judaeis aspernatum acceperunt; reditum vero ad Cornu Epistolae futuram Hebraeorum exprimere conversionem.«


Fig. 1.



ORDO

Incensationis altaris et oblatorum.

Fig. 2.



ter *Christe eleison*, et iterum ter *Kyrie eleison*, alternatim cum Ministro. Si Minister, vel qui intersunt, Celebranti non respondeant, ipse solus novies dicit.

Rub. 3. Dicto ultimo *Kyrie eleison*, Sacerdos stans in medio altaris, et manus extendens, elevansque usque ad humeros (quod in omni manuum elevatione observatur), voce praedicta incipit, si dicendum sit, *Gloria in excelsis*. Cum dicit *Deo*, jungens manus, caput Cruci inclinat: quo erecto, stans junctis manibus ante pectus, prosequitur usque ad finem. Cum dicit, *Adoramus te, Gratias agimus tibi*, et *Jesu Christe, Suscipe deprecationem nostram*, et iterum *Jesu Christe*, caput Cruci inclinat. Cum dicit in fine *Cum sancto Spiritu*, seipsum a fronte ad pectus signat, interim absolvens, *In Gloria Dei Patris. Amen.*

De Missa solemni.

Rub. 4. In Missa solemni Sacerdos facta Confessione ascendit cum Ministris (1) ad medium altaris, ubi dicto *Oramus te Domine*, et osculato altari, ponit incensum [1] in thuribulum, ministrante Diacono naviculam et Thuriferario thuribulum. Diaconus parum inclinatus versus Celebrantem, dicit: *Benedicite Pater reverende*, et osculatur cochlear, et manum Celebrantis ante et post (2). Celebrans ter (3) incensum ponit in thuribulum, dicens interim (4): *Ab illo benedicaris;* et deposito cochleari, producens manu dextra signum Crucis super thus in thuribulo, illud benedicit. Postea Diaconus dimissa navicula accipit thuribulum, et dat Celebranti, osculata prius catenularum summitate, et manu illius dextra: qui facta Cruci profunda reverentia (5), eam ter (6) incensat (7) nihil dicens: et facta iterum Cruci reverentia, incensat altare (8), ter ducens thuribulum aequali distantia, prout distribuuntur candelabra (9), a medio ejus usque ad cornu Epistolae, ubi demissa manu, thurificat illius postremam partem inferiorem, mox superiorem, bis (10) ducto thuribulo: et conversus ad altare, elevans manum incensat ejus planitiem, seu mensam in parte anteriori, ter ducens thuribulum usque ad medium: ubi facta Cruci reverentia, procedendo thurificat aliud latus altaris triplici

1) *Incensum.* »Materies autem, quae adhibetur, vel solum et purum thus esse debet suavis odoris; vel si aliqua addantur, advertatur, ut quantitas thuris longe superet.« Caerem. Ep. *l. 1, c. 23, n. 3.*

ductu usque ad cornu Evangelii; et pariter incensata inferiori, et superiori parte ipsius cornu Evangelii duplici ductu, adhuc stans ibidem, elevat thuribulum, et ter incensat superiorem tabulae partem versus medium altaris, ut fecit in cornu Epistolae: deinde manu aliquantulum demissa, incensat anteriorem ejus partem seu frontem, ter ducens thuribulum, dum procedit a cornu Evangelii usque ad medium altaris: et facta Cruci reverentia, incensat similiter triplici ductu reliquam partem anteriorem usque ad cornu Epistolae: ubi reddito thuribulo ipsi Diacono, ab eo ipse solus (11) incensatur.

(1) *Cum Ministris*, Diacono a dextris et Subdiacono a sinistris, qui, manibus junctis, ad altare hinc inde genuflectunt, cum Celebrans osculatur altare. An autem Ministri etiam debeant ascendere ad altare, vel suis locis se sistere post Celebrantem, quando hic loci omittitur thurificatio, dicitur *tit. XIII.*

Celebrans, dum incensum ponit in thuribulum, stat facie paululum versa ad cornu Epistolae, sinistra ad pectus admota.

Subdiaconus, cum incensum imponitur, aliquantulum se convertit ad Celebrantem.

(2) *Ante et post,* inverso tamen ordine. Nam ex Caer. Ep. *l. 1, c. 18, n. 16,* „cum aliquid ab Episcopo (aut alio Celebrante) recipitur, toties osculanda [1] est res quae offertur ac deinde manus recipientis, et cum ab eisdem aliquid recipimus, primo manus, deinde res quae recipitur: praeterquam in Missis Defunctorum...“ Haec autem inversio limitanda est ad instrumentorum receptionem: nam ex peculiari Rubrica, dum a Celebrante recipimus Candelas, aut Ramos benedictos, primo osculamur Candelas et Ramos, ac deinde manum Celebrantis. Et ratio disparitatis est, quia, dum instrumentum recipitur, nihil obstat quin servetur modus magis commodus; dum vero recipitur Candela aut Ramus, dignitas rei receptae postulat ut prius illam osculemur.

(3) *Ter sumit et ponit incensum*, sinistra ad pectus posita. „Episcopus, accepto cochleari, sumit cum eo ter ex

1) „Oscula ex parte Diaconi, dum aliquid tradit Celebranti, et quando aliquid ab eo recipit, sunt actus urbanitatis, et signa venerationis erga eum, qua Christi Ministrum.“ Nota ap. Romsée, *t. 2, p. 3, a. 1.*

navicula thus illudque etiam ter in thuribulum mittit, dicens interim: *Ab illo benedicaris in cujus honorem cremaberis.*" Caerem. Ep. *l. 1, c. 23, n. 1.* Quae dispositio non videtur limitanda ad Episcopum. Cf. dicta *tom. 1, p. 15.*

(4) *Interim* etc. Ex Rubrica in *Ordine Missae* posita, Oratio, *Ab illo benedicaris* etc., conjungenda quidem videtur cum signo Crucis; sed illa Rubrica intelligenda et servanda est juxta praesentem, et Caer. Ep. cit., prout declaravit S. R. C. 18 Dec. 1779, n. 4246, 23. Circa quod notandum est Rubricas, in Ordine Missae positas aliquando esse obscuras aut aequivocas, tuncque explicandas et intelligendas esse juxta Rubricas generales, quia hae et non illae ex *professo* et *complete* docent ritus et caeremonias Missae. Rubricae enim in Ordine Missae positae supponunt Celebrantem rite edoctum omnes Rubricas *de ritu celebrandi Missam*, et ideo quam maxime breves sunt et succinctae, nec omnia, quae infra Missam servanda occurrunt, singillatim et ordinatim recensent, sed quaedam solummodo sub oculis ponunt ad juvandam Celebrantis memoriam, si opus sit. Sic in nostro casu duo quidem indicantur, verba nimirum recitanda et crux facienda; sed silentio praetermittitur quo ordine sint peragenda. Cf. *tit. VIII, 1,* et *tit. X, 5,* atque dec. 21 Mart. 1744, n. 4004, 5, et 7 Sept. 1816, n. 4376, 33.

Hac occasione notandum est quosdam Authores docuisse dari Rubricas *in Ordine Missae* et *in Ritu celeb. Missam,* ut *tit. VIII, 1,* et *tit. X, 5,* quae inter se pugnent, ac proinde uni *aut* alteri posse adhaereri; sed hoc omnino est rejiciendum. Nam *a*) contradictio non admittitur, nisi sit aperta, qualis non invenitur inter praefatas Rubricas, uti explicatur hic et *prop. loc.,* atque constat ex cit. S. R. C. dec.; *b*) quando occurrunt duo textus de eodem, unus distinctus et apertus, alter aequivocus et subobscurus, hic illum non evertit, sed per eumdem est explicandus: verba siquidem clara non admittunt interpretationem, neque voluntatis conjecturam (cf. Reiffenstuel *lib. 1, tit. 2, n. 384 sq.*); *c*) praeterea omnino consonum est indoli Rubricarum in Ordine Missae positarum ut explicentur per generales, quemadmodum exponitur supra.

(5) *Facta.* Quibusdam in Ecclesiis catenae non tenentur prope thuribulum, ut tradit Caer. Ep. *(hic cit. ad n. 7)*;

unde ad thurificandam Crucem paululum receditur [1] ab altari, facta ab aliquibus reverentia Cruci, omissa ab aliis. Romsée docet dictam reverentiam esse omittendam, sicut quando Celebrans paululum se convertit, incensum impositurus. „Si, ait Romsée, in altari sit tantum Crux, Celebrans accepto thuribulo, recedit uno vel altero passu ab altari; recedunt pariter et Ministri, hique descendunt e primo gradu, et facie versa ad altare, Diaconus manu sinistra elevat [2] casulae extremitatem, dextra corpori admota; Subdiaconus vero dextra, sinistram corpori applicans. His ita dispositis et non ante, Celebrans habens manum sinistram corpori applicatam... facit profundam capitis inclinationem Cruci, flectentibus Ministris [3] in suis respective locis." Cf. Deherdt, *h. l.* et dicta a Gardell. de his agendis coram Venerabili exposito, *Inst. Clem.* *§ 30*, *n. 11*, et infra *App.* 2, ad hanc sectionem.

(6) *Ter*, „proin non sexies, ut sat communiter practicatur; et sic ad perficiendam trinam Crucis incensationem, quilibet jactus thuribuli debet esse simplex, seu nec minime duplicatus." Romsée, Deherdt, etc. Cf. tamen dicta *tom. I*, *p. 365*.

(7) *Eam ter incensat* linea recta et non a dextris et a sinistris. Janss.

Praesens Rubrica non tradit modum tenendi et agitandi thuribulum: inde non ubique idem servatur modus, uti jam observatum est *adnot.* 5 et 6. In Caer. Ep. *l. 1, c. 23, n. 4,* sequens traditur modus. „Episcopus, vel Celebrans, capit, de manu Diaconi in Missa, vel de manu Presbyteri assistentis in Vesperis, thuribulum, videlicet sinistra catenulas, quibus thuribulum sustinetur, in earum summitate, dextera vero easdem catenulas simul junctas, prope thuribulum, tenet, ac thuribulum sustinet; ita ut illud commode ducere versus Crucem et imagines praedictas, et ad se retrahere

1) De hujusmodi recessu nullam mentionem faciunt Merati, *n. 24*, neque Cav. *n. 19,* neque Baldeschi, *n. 6*, neque a Portu, *n. 17*. Cujus silentii ratio alia non est, nisi quia catenae supponuntur teneri prope thuribulum, et ideo abesse causa dicti recessus.

2) „Ejus partem quae est circa brachia Celebrantis, ne impediantur." Gav. Cs. Cav. *t. 5, c. 9, n. 24.*

3) Juxta Cav. *l. c. n. 19,* Ministri ante Crucis thurificationem se inclinant, et hac thurificatione peracta, ante thurificationem altaris, genuflectunt.

possit; quod recte fit si ipse Episcopus aut Celebrans, accepto thuribulo, teneat dextram, quo fieri potest, proximiorem ipsi thuribulo, ita ut parvum catenularum spatium remaneat inter ipsius manum dexteram, et thuribulum, praesertim cum thurificantur oblata; nam si nimis thuribulum pendeat, nec commode, nec secure, nec decore illam actionem expedire posset, et facta Cruci profunda reverentia, thurificet illam triplici ductu."

(8) *Incensat altare.* „Dum autem Episcopus, seu alius Celebrans, praedictam altaris thurificationem facit, advertat, ut se in ea graviter et decore gerat, non personam aut caput, dum thuribulum ducit reducitque, movens; sinistram quae summitatem catenularum retinet, firmam, stabilemque ante pectus tenebit; dexteram vero manum ac brachium commode ac tractim cum thuribulo movebit; ita ut cum thuribulum ad se retrahit, illud sub brachio leviter et competenti mora reducat; et dum procedit thurificando altare, eundo et redeundo, semper illum pedem prius moveat, qui proximior est altari; totque omnino passus faciat, quod thuribuli tractus, ut manus pedesque in motu decenter concordent." Caer. Ep. *l. c. n. 8.* Et statim, *n. 9,* subjungit: „Haec, quae dicta sunt, observantur cum Episcopus, vel alius in Vesperis, vel in principio Missae thurificat altare." Notandum autem est haec verba, *totque omnino passus* etc., intelligenda tantum esse de thurificatione altaris, quae fit *eundo,* ita ut v. g. si altare sit parvum nec tres passus fieri debeant, a cornu Evang. ad medium unus tractus thuribuli fiat sine motu.

(9) *Prout distribuuntur candelabra.* „Ubi bene notandum ex Gavanto *p. 2, tit. 4, lit. c,* in hoc casu non ipsa candelabra, sed posteriorem partem altaris, in qua sunt candelabra, incensari; unde si vel pauciora, quam sex adsunt, vel certe ultra cornu Evangelii et Epistolae sunt collocata, uti interdum contingit, thurificatio non juxta situm candelabrorum, sed juxta eum situm, qui observaretur, quando candelabra tria in quovis cornu altaris ordinario modo essent disposita." Lohner *h. l.*

(10) *Bis.* „Non quasi pars quaevis ductu bino thurificanda, sed quod utraque pars, collective accepta, bino ductu incensanda sit." Idem.

Ducto thuribulo, „ita, ut per modum semicirculi peragatur ea incensatio, in cornu Epistolae quidem a dextra

parte inchoando semicirculum, in cornu Evangelii autem a sinistra parte eumdem incipiendo.“ Idem. Cf. *tab. pag.* **241**.

(11) *Ipse solus*, nisi Episcopus assistat paratus, ter a Diacono *incensatur*, stans manibus junctis, habens latus sinistrum versus altare. „Ante et post incensationem, Diaconus caput inclinat parum Celebranti, qui ipsum Diaconum nullatenus resalutat; quod semper servatur, quando Officians intra vel extra Missam incensatur.“ Romsée cum aliis. „Interea Subdiaconus stat a dextris Diaconi paulo conversus ad Celebrantem, cui caput non inclinat cum Diacono.“ Idem. Vel, juxta Deherdt, „*Subdiaconus*, dum Celebrans thuribulum Diacono reddit, dimittit casulam, et descendit extra gradus altaris ad locum, in quo stat sub Orationibus.“

Rub. 5. Si vero in altari fuerint Reliquiae seu Imagines (1) Sanctorum, incensata Cruce, et facta ei reverentia, antequam discedat a medio altaris, primum incensat eas, quae a dextris sunt (2), id est a parte Evangelii prope Crucem, bis ducens thuribulum, et iterum facta Cruci reverentia, similiter incensat bis alias, quae sunt a sinistris, hoc est a parte Epistolae: deinde prosequitur incensationem altaris, ut supra, ter ducens thuribulum in unoquoque latere, etiamsi in eo essent plures Reliquiae vel Imagines, seu etiam plura vel pauciora candelabra.

(1) *Reliquiae seu Imagines*, unum scilicet aut alterum; ac proinde etiam Imagines seu statuae sine inclusis Reliquiis. Cs. dec. 21 Mart. 1744, n. 4004, 4.

(2) De ordinandis sacris Reliquiis et candelabris super altare, vid. Caer. Ep. *l. 1, c. 12, n. 12.*

Rub. 6. Si in altari fuerit tabernaculum sanctissimi Sacramenti, accepto thuribulo, antequam incipiat incensationem, genuflectit (1), quod item facit quotiescumque transit (2) ante medium altaris.

(1) *Genuflectit.* Idem faciendum est coram Reliquia S. Crucis. Dec. 23 Mai. 1835, n. 4594. Dum Celebrans ad altare genuflectit infra thurificationem, ponit palmam sinistrae manus quae summitatem catenularum tenet, super altare, quo commodius genuflectere et surgere valeat, cavendo ne thuribulum tangat antipendium. Post dictam genuflexionem, juxta Cav. *t. 5, c. 9, n. 23,* Celebrans inclinat caput Cruci. Sed haec inclinatio non videtur consona huic Rubricae, et communiter tacetur apud AA.

(2) *Quotiescumque transit.* Unde facienda non est genuflexio, antequam incensentur Reliquiae, bene vero, incensatis Cruce et Reliquiis, antequam thurificetur altare.

Rubrica specialem faciendo mentionem de transitu infra thurificationem, censetur excludere casus non indicatos. Unde Celebrans solam inclinationem facere debet quotiescumque, infra Missam et extra thurificationem, accedit ad tabernaculum clausum SS. Sacramenti, vel ab eodem recedit, aut coram illo transit. Cs. Janss. etc. hic cit. *Rub. seq. ad 2.* Cf. *Rub. sq. 7, ad n. 2.*

Rub. 7. Diaconus et Subdiaconus hinc inde assistunt (1) Celebranti, dum incensat, et cum transeunt ante Crucem, semper (2) genuflectunt. Deinde Celebrans, Diacono a dextris ejus, Subdiacono a dextris Diaconi stantibus in cornu Epistolae, legit Introitum et *Kyrie eleison* (3). Cum vero intonat hymnum *Gloria in excelsis Deo*, Diaconus et Subdiaconus, unus post alium, stant a tergo Celebrantis; postea *(N. B.)* ascendunt ad altare, et hinc inde, Diaconus a dextris, Subdiaconus a sinistris, cum Celebrante hymnum submissa voce prosequuntur (4) usque ad finem; quod etiam servatur, cum dicitur *Credo;* et cum dicitur *Dominus vobiscum,* Oratio (5), Praefatio, et *Pater noster,* Diaconus et Subdiaconus similiter stant unus post alterum a tergo Celebrantis.

(1) *Diaconus et Subdiaconus assistunt,* ut dictum est *p. 244,* genuflectendo ante et post thurificationem Crucis. Si adsint Reliquiae in altari, tunc ad solam inclinationem teneri videntur, dum Celebrans caput inclinat post thurificationem Crucis et Reliquiarum quae sunt a parte Evangelii, ita ut tantummodo genuflectant ultimis Reliquiis thurificatis. Cf. *tit. V, 5.* — Dum Celebrans thurificatur, Subdiaconus agit ut dictum est *pag. 246.*

(2) *Cum transeunt ante Crucem, semper genuflectunt.* 1° Gavantus et cum eo omnes communiter, ait Merati *n. 22,* particulam *semper* in Diacono et Subdiacono (non autem istam *quotiescumque* in Celebrante) ampliant ad totam Missam solemnem, scilicet quod Cruci genuflectere debeant quoties *per altaris medium transeunt,* vel ad *altare accedunt,* aut *ab eo recedunt.* Janss. *h. l. n. 43.* Cf. *tit. VI, 4* et *VII, 9.* Cs. Caer. Ep. *l. 2, c. 8, n. 44,* ubi Diaconus et Subdiaconus transeuntes ante altare, a genuflexione eximuntur, *ideo* quod sunt Canonici.

2° At inter Ritualistas non convenit an Ministri dicendi

sint *proprie* ad altare accedere aut ab eodem recedere, quando a cornu Epistolae ad medium vel a medio ad idem cornu accedunt. Unde alii genuflexionem, alii profundam capitis inclinationem, alii nullam reverentiam exigunt in hujusmodi casibus. Quidquid sit de valore cujuslibet opinionis, dicendum videtur cum Janssens *h. l. n. 49,* unicuique licere sequi suae Ecclesiae consuetudinem. Cf. *ibid. n. 46,* et dicenda *tit. V, 5.*

(3) *Dicto Kyrie*, Celebrans et Ministri possunt sedere (p. 173), vel in cornu Epistolae stare donec chorus incipiat ultimum *Kyrie.* In casu quo non sedeant, magis congruere videtur ut Diaconus et Subdiaconus stent non a dextris, sed a tergo Celebrantis. Incoepto ultimo *Kyrie*, „dum discedit Celebrans, simul discedunt Ministri, et incedentes, totaliter vertunt latus dextrum ad altare, parique passu progrediuntur cum Celebrante; cum perveniunt ad medium altaris, absque genuflexione vertunt faciem ad illud. Dum autem Celebrans cantat *Gloria in excelsis Deo*, adhuc stantes retro post Celebrantem inclinant caput Cruci cum Celebrante ad verbum *Deo*, post quod, et non prius, simul flectunt, erectique simul ascendunt ad latera Celebrantis: quod ut debite fiat, debet Diaconus tardo passu ascendere, ne accedat ad altare ante Subdiaconum." Romsée. Cs. Cav. *n. 24 sq.* etc. Convenit ut Celebrans ipsorum adventum exspectet ad continuandum Hymnum angelicum.

(4) *Prosequuntur,* debitis cum inclinationibus, *usque ad finem,* sub quo se signant cum Celebrante. Tunc, si sedendum sit, flectunt manibus junctis; „erecti tendunt per viam breviorem [1], id est, per gradus laterales Epistolae ad sedes [2] vel scamnum praeparatum in cornu Epistolae: primus incedit Subdiaconus, deinde Diaconus et tertius Celebrans... Sedet in medio Celebrans, Diaconus a dextris et Subdiaconus a sinistris; sed cavendum est ne terga vertant altari... Sedet Celebrans... tegitque caput suum; tum Birretum accipiunt Ministri, qui antequam se cooperiant, inclinationem capitis exhibent Celebranti, et postea sibi invicem. „Romsée cum communi. Cavendum est ne Cele-

1) *Per viam breviorem* „vel, inquit Deherdt, si alia sit Ecclesiae consuetudo, possunt descendere ante infimum gradum medii altaris, et ibidem facta reverentia, ac si ab altari discedant, aperto capite tendunt ad sedes...."

2) De sedium usu dicitur *pag. 173 sq.*

brans aut Ministri sedeant super casulam aut dalmaticam. „Quantum ad manus, habeant illas extensas supra genua, et melius infra casulam vel dalmaticam; pedes vero teneant juxta se positos, non autem extensos vel complicatos; et oculos constanter ad terram demissos." Romsée. „Si cantetur *Adoramus te,* antequam sedeant, praestat aliquantulum exspectare ad altare, ibique capitis inclinationem facere. Choro cantante *Cum Sancto Spiritu* etc. surgunt, et depositis Birretis, aperto capite ad altare redeunt eodem ordine, quo discesserunt, non tamen per viam breviorem, sed per planum ante medium altaris, ubi debita facta reverentia, Celebrans ascendit ad medium altaris, Diaconus se sistit in secundo gradu, et Subdiaconus in plano in linea recta, a tergo Celebrantis." Deherdt.

„Infra cantum Hymni Celebrans et Ministri, sive exspectent ad altare, sive sedeant, caput apertum inclinare debent, dum cantantur ea, ad quae Celebrans Hymnum legendo caput inclinare decet: in fine tamen se iterum signare non debent." Deherdt.

„Si non sit sedendum, Celebrans manet ad altare manibus junctis, et Diaconus et Subdiaconus vel descendunt retro post Celebrantem, vel, quod conformius Rubricis videtur, manent juxta Celebrantem [1], Diaconus ab ejus dextris et Subdiaconus a sinistris, donec Hymnus a Choro persolvatur. *Mer. p. 2, tit. 4, n. 36 in fine.* In fine cantus Diaconus et Subdiaconus debitam faciunt reverentiam, ab altari discedunt faciem vertendo versus Celebrantem, et se sistunt retro post ipsum." Deherdt.

(5) *Cum dicitur Oratio, Praefatio, Pater,* nisi tamen vertenda sint folia, ut dicitur locis propriis.

TITULUS V.
DE ORATIONE.

Rub. 1. Dicto Hymno *Gloria in excelsis,* vel si non sit dicendus, eo omisso, Celebrans ([1]) osculatur [2] altare in medio ([2]), manibus *(statim absque earum junctione,* cf. dec. n. 4520, 30) hinc inde super eo, ut supra, extensis: tum

1) Ita tradit Romsée.

2) *Osculatur altare* Sacerdos salutaturus populum, quasi qui accipiat pacem a Christo, per altare significato, ut eamdem det populo, pro quo statim est oraturus; cui ideo dicit *Dominus vobiscum.* Gav.

illis ante pectus junctis (³), et demissis ad terram oculis vertit se (⁴) a sinistro latere ad dextrum [1] versus populum, hoc est, per eam partem, quae respicit cornu Epistolae, et extendens ac jungens (⁵) manus ante pectus, ut prius, dicit voce praedicta, *Dominus vobiscum*, vel, si sit Episcopus, *Pax vobis* (quod dicitur tantum hoc loco, quando dictus est Hymnus, *Gloria in excelsis*), Resp. *Et cum Spiritu tuo:* et junctis ut prius manibus revertitur per eamdem viam ad librum, ubi eas extendens et jungens ante pectus, caputque Cruci inclinans, dicit *Oremus;* tum extendit manus ante pectus, ita ut palma unius manus respiciat alteram, et digitis simul junctis, quorum summitas (⁶) humerorum altitudinem distantiamque non excedat; quod in omni extensione manuum ante pectus servatur. Stans autem, ut supra, extensis manibus [2], dicit Orationem. Cum dicit, *Per Dominum nostrum*, jungit manus, easque junctas tenet usque *(N. B.)* ad finem. Si aliter concluditur Oratio, *Qui tecum,* vel *Qui vivis;* cum dicit *In unitate,* jungit manus.

(1) *Celebrans,* etc. „Qui utuntur perspicillis, solent ea hoc loco deponere primum; deponant autem ea quidem super altare; neque tamen super corporale." Ap. Gav. * Cs. Vinitor; et juxta Cav. *t. 5, c. 9, n. 13,* non tantum solent sed et *debent* ea deponere super altare extra corporale, antequam se vertant. Nihilominus seclusis praecepto aut peculiaribus circumstantiis, consultius mihi videtur ut non deponantur. Nam non habetur praeceptum generale aut convenientia ubique ea deponendi.

(2) *In medio,* relate ad cornu Evangelii et Epistolae, non vero relate ad partem anteriorem et posteriorem.

(3) *Junctis,* et in altum elevatis, ut semper faciendum est, quando Celebrans manus tali modo gerere debet. Lohner.

1) *Ad dextrum,* quia, inquit Lohner, sicut dextra manus honestior censetur, ita idem quoque de latere dextro censendum, atque initium conversionis ex ea parte faciendum est.

2) *Extensis* elevatisque *manibus.* Celebrans „ad humeros elevatas manus tenet, qui est usitatus orandi modus, tum in Veteri, tum in Novo Testamento. . . Passis quondam sublatisque brachiis orabant, ut statum, quo Christus oravit in Cruce, imitarentur. . . Consultius vero existimavit Ecclesia, si ad eum modum, quo nunc utimur, Collectae recitarentur, ne veteri retenta consuetudine orandi passis extensisque brachiis, inconcinnis et ridiculis figuris aperiretur locus. . . ." Bened. XIV, *sect. 1, n. 130.*

(4) *Vertit se,* modeste, graviter, absque praecipitatione; cavendo etiam ne planetam confricet contra altare.

(5) *Extendens ac jungens,* linea recta absque earum elevatione. Romsée et Janss. *n. 2,* Deherdt, Cav. *l. c. n. 13,* Baldeschi, *h. l. n. 41,* dicunt simpliciter *extendens et jungens,* nullam faciendo mentionem de earumdem elevatione. Sed apud Gav. * ex Caerem. Ep. *l. 2, c. 8,* dicitur praeter extensionem et junctionem manuum, congruere elevationem earumdem. Cs. Merati, quia id expresse praescribitur a Caer. Ep. *l. c. n. 38* et *39.* Etiam cf. pt. *l. 1, c. 19, n. 3,* ubi manus dicuntur elevatae, non *ante pectus* ut hic, sed *ante oculos,* et absque distinctione inter eam manuum extensionem et conjunctionem, quae fit ad *Pax vobis,* et eam quae fit ad *Gloria in excelsis.* An autem haec ita accipienda sint ut evertant sententiam communem a Romsée aliisque traditam, sapientiores judicent. Interim, in gratiam uniformitatis, consulimus ut hisce in Regionibus servetur sententia communis, caeteroquin conformior Rubricis Missalis, ubi aliquando sola extensio *(hic et tit. VII, 1),* aliquando autem extensio simul et elevatio indicitur *(tit. IV, 3, VII, 5,* et *XII, 1).* Idem sit judicium de ritu extendendi et jungendi manus ad *Oremus.*

(6) *Summitas.* Implicite hic ordinatur, ut digitorum summitas erigatur versus caelum. Cs. Lohner.

Rub. 2. Cum nominatur *Jesus* (1), caput versus Crucem inclinat: quod etiam facit, cum nominatur in Epistola. Et similiter ubicumque (2) nominatur nomen beatae Mariae, vel Sanctorum (3), de quibus dicitur Missa, vel fit Commemoratio; item in Oratione pro Papa, quando nominatur, semper caput inclinat, non tamen versus Crucem (4). Si plures Orationes sint dicendae, idem in eis, in voce, extensione manuum et capitis inclinatione, quod supra dictum est, observatur.

(1) *Jesus* [1]. De capite inclinando ad nomen SS. Trinitatis nihil statuunt Rubricae; congruit tamen ut haec inclinatio fiat, ut fert praxis universalis, praesertim Urbis.

1) Ecclesia majorem exhibet reverentiam nomini *Jesus,* quam nomini *Deus,* tum quia Christus Dominus hoc nomen sibi comparavit per suas virtutes *(Ad Philipp. II, 7 et seqq.),* tum quia significat Redemptorem *(Matth. I, 21),* nec aliud datur nomen in quo oporteat nos salvos fieri *(Act. IV, 12).* Cf. S. Thom. *p. 3, q. 17, a. 2,* et Mer. *h. l. n. 9.*

Dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 40. Cf. dec. 12 Aug. 1854 *ad 65, tom. I, p. 485.* Facienda autem est ad Crucem, sicuti quando nominatur nomen *Jesus.* Quae inclinatio praesertim facienda occurrit in Festo SS. Trinitatis.

Quando tamen occurrit SS. Nomen dum Celebrans est corpore inclinatus, ut in Oratione, *Domine Jesu,* ante Communionem, tunc non fit peculiaris inclinatio capitis; sed sufficit ea quae in corporis inclinatione comprehenditur. Pariter inclinandum non videtur caput ad SS. Nomen, cum distribuitur S. Synaxis. Cf. *tit. X, 6.*

(2) *Ubicumque.* Quae particula absque ulla limitatione accipitur quoad nomen B. M. V.; sed non ita apud omnes quoad nomina Sanctorum. Discrepant enim, ait Merati, Sacr. Rubricarum expositores, an caput etiam sit inclinandum quando nomina Sanctorum in ipsorum Festis occurrunt extra Orationes et Canonem. Sententia affirmans magis fundata videtur, saltem si excipias titulum Epistolae aut Evangelii. Cf. Mer. et Janss. *n. 21.*

Notandum autem est inclinationem faciendam non esse cuicumque nomini Beatae Virginis aut Sanctorum, sed nomini *Mariae,* quando profertur de B. V., et nominibus propriis, sub quibus Sancti ab Ecclesia coluntur seu in Kalendario describuntur. Unde caput non est inclinandum ad nomen *Mariae* in Communione Festi Assumptionis (dec. 7 Dec. 1844, n. 4839, 11); neque quando in Festis SS. Apostolorum Petri et Pauli, occurrunt haec nomina: *Simon Barjona, Saulus.*

(3) *Sanctorum.* Excipienda non videntur nomina propria Angelorum, ut *Michael, Gabriel* et *Raphael.*

De quibus etc. Unde non in Missis Defunctorum. Quoad nomen Sancti de cujus vigilia celebratur Missa, non conveniunt AA.; communius tamen negatur. Cf. Janss. *n. 20,* Mer. et Cav. *h. l.*

Quando immediate sequuntur plura nomina ad quae est inclinandum, tunc satis est semel inclinari, a primo scilicet nomine ad ultimum: sic enim nomina proferuntur capite inclinato, et satisfit Rubricae.

(4) *Non tamen versus Crucem;* sed *(Janss. n. 18)* semper versus librum, id est, eo modo, qui est magis naturalis et commodior. Cs. Romsée *p. 1, a. 6, n. 2;* ibi tamen in nota excipitur casus quo in principali altaris loco habeatur Statua aut Imago B. M. V. vel Sancti: tunc enim ad hanc

inclinandum foret, quia haec expressius, quam nomen in libro exaratum, repraesentat B. V. aut Sanctum. Cs. Deherdt, *p. 1, n. 42, IV.* Apud alios non legi hujusmodi exceptionem; ea mihi non videtur firmo niti fundamento: nam *a*) explicari nequit silentium Rubricae, cum hic casus non raro occurrat, *b*) inclinatio gratis supponitur fieri ad litteras nomen exprimentes, fit siquidem propter prolationem nominis (cs. Mer. *n. 11, v. Inclinat.*), et *c*) addi potest non congruere ut inclinationes dirigantur ad medium altaris, praeter eas quae fiunt ad Crucem, cum haec ponenda sit loco principe.

Rub. 3. Si altare sit ad Orientem (1), versus populum, Celebrans versa facie ad populum, non vertit humeros ad altare, cum dicturus est, *Dominus vobiscum, Orate fratres, Ite Missa est,* vel daturus benedictionem; sed osculato altari in medio, ibi expansis et junctis manibus, ut supra, salutat populum, et dat benedictionem *(tit. XII, 2).*

(1) *Ad Orientem* [1]. Oriens hic intelligitur imaginarius et de casu quo Celebrans ante se habeat et Crucem et populum (Gav. et Mer.), uti patet ex contextu. Si autem Celebrans habeat circumstantes ante se et a tergo, puta Clerum seu Moniales in Choro, et populum a tergo; Sacerdos omnia dicere debet ut alias, sese convertendo ad populum. Deherdt, *h. l.,* cum Vinitore, *tit. 12, §. 4.* Cs. Cav. *tom. 5, c. 25, n. 11.*

Rub. 4. In Quatuor Temporibus, vel alias (1), quando dicendae sunt plures Orationes cum Prophetiis, dicto *Kyrie eleison* in medio altaris *(facta inclinatione)*, revertitur ad

1) Gavantus dicit ex traditione Apostolorum orandum esse ad Orientem, pluresque allegat rationes mysticas. Merati Antiquorum adducit testimonia ad probandum hanc praxim non fuisse in praecepto, neque universalem, et ita concludit: »Ex quibus, ait, legitime infertur non juris sed arbitrii rem fuisse ad Orientalem, vel ad aliam plagam sacra templa aedificari: quam quidem sententiam amplexus est Walfridus Strabo... Non est igitur novus, sed antiquus, non prohibitus, sed arbitrarius mos vertendi altaria sicut nos facimus modo ad Orientem, modo ad Occidentem, vel ad aliam plagam, prout ratio Templi et situs exigit: et hinc est quod prima verba superioris Rubricae intelligenda sint de orientali plaga non reali, sed imaginaria: appellat siquidem Rubrica altare ad Orientem illud, in quo Celebrans non solum Crucem, sed etiam populum habet ante faciem suam. Gav. Biss. Quarti, Vinitor.«

cornu Epistolae, ubi stans ante librum, extensis et junctis (²) ante pectus manibus, caput Cruci inclinans, dicit *Oremus, flectamus genua,* et illico manibus super altare extensis, ut seipsum ad altare sustineat, genuflectit *uno genu pag. 168),* et sine mora surgens, eadem voce Ministro respondente *Levate,* manibus extensis, dicit Orationem ut supra, et in conclusione eas jungit. Dum autem legit Prophetias, tenet manus super librum, vel altare positas, ut mox dicetur de Epistola.

(1) *Vel alias*, ut Fer. IV ante Dom. Passionis, et Fer. IV Hebdomadae Sanctae.

(2) *Manibus extensis,* non excepta Fer. VI in Parasceve vel Sabbato Sancto. Cs. Caer. Ep. *l. 2, c. 27, n. 14.*

De Missa solemni.

Rub. 5. In Missa solemni cum dicitur *Dominus vobiscum* (1), et Oratio, Diaconus et Subdiaconus stant (2) retro post Celebrantem; *Flectamus genua* dicitur a Diacono, a Subdiacono vero *Levate,* illo primum genuflectente (3), hoc primum surgente; Celebrans vero non genuflectit.

(1) *Dominus vobiscum* dicto, Ministri, juxta Romsée, absque genuflexione, sed praevia capitis inclinatione Cruci, procedunt cum Celebrante ad cornu Epistolae. „Ministri, inquit Romsée, *tom. 2, p. 1, a. 4, n. 1,* accedentes ad medium altaris, vel ab eo recedentes absque genuflexione, tenentur ad profundam capitis inclinationem coram Cruce altaris; ad illam quippe tenetur Celebrans, et consequenter a fortiori Ministri: excipe accessus ad medium ante Hymnum angelicum et Symbolum; in his enim casibus exspectant, donec Celebrans sub intonatione caput inclinet.“ Attamen vide dicta, *tit. IV, 7, adn. 2, p. 247.*

(2) *Stant.* „Stantes Ministri in cornu Epistolae, unus post alterum, facie versa ad altare, inclinant caput cum Celebrante ad Crucem quotiescumque dicit *Oremus;* item dum infra Orationes profert nomen *Jesu, Mariae,* etc.“ Romsée, *l. c.*

Notandum est, cum communi, Diaconum et Subdiaconum non teneri respondere *Et cum Spiritu tuo, Amen,* quia satis est, ut Chorus respondeat.

(3) *Genuflectente*, uno genu, quia fit sine mora. Quidam tamen exigunt genuflexionem utriusque genu; sed vide

dicta *p. 18.* Ipsorum autem opinio non probatur ex plurali *genua:* invitatio enim dirigitur ad omnes adstantes.

„*Diaconus* ad finem ultimae Orationis, sine genuflexione accedit ad dexteram Celebrantis, ibique stat manibus junctis in secundo altaris gradu caput inclinans cum Celebrante, et genuflectens cum eodem, si quaedam in Epistola exigant genuflexionem: in fine autem Epistolae voce media respondet *Deo gratias;* quo dicto, perstat in cornu Epistolae, donec cantata Epistola accedat Subdiaconus, cui cedens locum recedit retro post Celebrantem, ibique post benedictionem Subdiaconi, ab ipso vel alio, praevia capitis inclinatione, accipit ambabus manibus librum Evangeliorum; quo accepto, iterum exhibet ei, a quo librum accepit, novam capitis inclinationem.“ Romsée, *tom. 2, p. 2, a. 2, n. 3.* Infra Orationes locus Diaconi est quidem retro post Celebrantem *(tit. IV, 7)*, nihilominus quando infra easdem folia occurrunt vertenda, Diaconus accedere solet ad finem 1^{ae}, ut ea vertat; quod fieri videtur ad mentem Rubricarum. Cs. Deherdt. Cf. *tit. XI, 3, adn. 2.*

TITULUS VI.

DE EPISTOLA, GRADUALI ET ALIIS USQUE AD OFFERTORIUM.

Rub. 1. Dictis Orationibus, Celebrans positis super librum vel super altare manibus, ita ut palmae librum tangant, vel (ut placuerit) librum tenens, legit Epistolam intelligibili voce, et respondetur a Ministro *Deo gratias:* et similiter stans eodem modo prosequitur Graduale, *Alleluia,* et Tractus ac Sequentiam, si dicenda sint. Quibus dictis, Sacerdos, si privatim celebret, ipsemet, seu Minister portat librum Missalis ad alteram partem altaris in cornu Evangelii, et dum transit ante medium altaris, caput Cruci inclinat, et Missale sic locat, ut posterior pars libri respiciat ipsum cornu altaris, et non ad parietem, sive ad partem ejus contra se directam.

Rub. 2. Locato Missali in altari, Celebrans redit ad medium altaris, ibique stans junctis manibus ante pectus, levatisque ad Deum oculis et statim demissis, tum profunde inclinatus, dicit secreto. *Munda cor meum,* et *Jube Domine benedicere, Dominus sit in corde meo,* ut in Ordinario. Quibus dictis, vadit ad librum Missalis, ubi stans versus illum,

junctis manibus ante pectus, dicit intelligibili voce *Dominus vobiscum,* Resp. *Et cum Spiritu tuo.* Deinde (1) pollice dextrae manus signo Crucis [1] signat primo librum super principio Evangelii, quod est lecturus, postea seipsum in fronte, ore, et pectore, dicens *Sequentia*, vel *Initium Sancti Evangelii,* etc., Resp. *Gloria tibi Domine.* Tum junctis iterum manibus ante pectus, stans ut supra, prosequitur Evangelium usque ad finem. Quo finito, Minister stans in Cornu Epistolae post infimum gradum altaris respondet *Laus tibi Christe:* et Sacerdos elevans parumper (2) librum, osculatur principium Evangelii, dicens: *Per Evangelica dicta* etc., praeterquam in Missis Defunctorum, et nisi celebret coram summo Pontifice, et Cardinali, et Legato Sedis Apostolicae, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, in eorum residentiis; quo casu defertur cuilibet praedictorum (3) osculandus liber, et Celebrans tunc non osculatur illum, nec dicit *Per Evangelica dicta.* Cum autem nominatur *Jesus,* caput versus librum inclinat, et eodem modo versus librum genuflectit, cum in Evangelio est genuflectendum.

(1) *Deinde,* sinistra super Missale posita (dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 25; cf. *tit. III,* 5), *pollice,* id est „pulpa pollicis dextrae manus, non vero ungue vel indice, neque pollice et indice simul, signat Cruce librum super principio Evangelii, quod erit legendum. Dum autem format hoc signum Crucis, dexteram manum totaliter extendit, cujus palmam ad librum convertit, tenendo quatuor reliquos digitos simul junctos. Crux quae pollice formatur, parva esse debet.“ Mer. *n.* 5, cum Bauldry, Lohner, aliisque communiter. — Postea, sinistra ad pectus posita, eadem pulpa, digitis etiam junctis et extensis, ter signat seipsum, scilicet in fronte, ore et pectore. Errant qui meram ducunt lineam a fronte ad pectus.

(2) *Parumper.* Liber supponitur super cussinum, ac proinde elevandus ut Celebrans possit illum commode osculari: quod aliquando poterit non esse necessarium, quando super pulpitum ponitur.

(3) *Cuilibet praedictorum.* Quae verba intelligenda sunt

1) *Signo Crucis.* „Juxta Innocentium III. Crux libro imprimitur, ut innuatur hunc esse Crucifixi librum: fronti vero juxta Augustinum, ut Crucem non erubescat: ori autem et pectori, ut quod corde creditur ad justitiam, ore confessio fiat ad salutem.“ Fornici. Ita etiam Bened. XIV, *sect. 1, n. 143.*

in sensu diviso: supponuntur enim in *suis residentiis*. Cs. Caer. Ep. *l. 1, c. 30, n. 3.* Cf. *App. 1 ad hanc sect.*

Rub. 3. Dicto Evangelio (1) *(si non sit praedicandum, ex Rub. 6.)* stans in medio altaris versus Crucem, elevans et extendens manus, incipit (si dicendum sit) *Credo:* cum dicit *In unum Deum,* jungit manus, et caput Cruci inclinat: quo erecto, stans ibidem junctis ante pectus manibus, ut prius, prosequitur usque ad finem. Cum dicit *Jesum Christum,* caput Cruci inclinat. Cum dicit *Et incarnatus est,* usque ad *Et homo factus est* inclusive, *(manibus hinc et inde super altare positis)* genuflectit (2). Cum dicit *Simul adoratur,* caput Cruci inclinat. Cum dicit *Et vitam venturi saeculi. Amen, (sinistra ad pectus applicata),* producit sibi manu dextra signum Crucis a fronte ad pectus.

(1) *Dicto Evangelio* librum transfert prope corporale, cavendo, ne illum trahat, fricando mappam.

(2) *Genuflectit,* id est, unius genu flexionem incipit a primis verbis, eamque terminat ad ultima. Dum genuflectitur, corpus et caput teneantur recta, et non curva.

De Missa solemni.

Rub. 4. In Missa solemni Subdiaconus circa finem ultimae Orationis accipit ambabus manibus librum Epistolarum, deferens illum *(cum dorso ad dextram, juxta Romsée etc., et parte superiore quiescente supra pectus)* supra pectus, et facta (1) altari genuflexione in medio (2), vadit ad partem Epistolae contra altare, et cantat (3) Epistolam, quam etiam Celebrans interim submissa voce legit, assistente sibi Diacono a dextris, et item Graduale, Tractum, etc. usque ad *Munda cor meum.* Epistola cantata, Subdiaconus facit iterum genuflexionem altari in medio, et redit (4) ad Celebrantem, et genuflectens osculatur ejus manum, et ab eo benedicitur, praeterquam in Missis Defunctorum.

(1) *Et facta.* Congruit ut haec genuflexio fiat, cum in conclusione Orationis cantantur verba *Jesum Christum.* Caer. Ep. *l. 1, c. 10, n. 2.*

(2) *In medio,* super infimum gradum, prout communiter docent Rubricistae. Confirmatur dec. 12 Nov. 1831, ad 51, *tom. I, p. 474.*

(3) *Cantat.* Ipse librum tenet *(Caer. cit. ad 1),* nisi ponatur supra pulpitum *pag. 207.*

(4) *Redit.* Si Celebrans tunc occupatus sit in legenda

Sequentia, eam legit usque ad finem, antequam benedicat Subdiaconum.

„Accepta benedictione, se erigit et per suam sinistram se vertens, progreditur ad Diaconum, cui antequam offerat Missale, illud debet sic convertere, ut dorsum illius respiciat suam sinistram. Converso Missali, stans facie ad faciem Diaconi, illum salutat inclinatione capitis; tum ei offert Missale, et demum caput ei inclinat.“ Romsée, *t. 1, p. 1, a. 4, n. 4.* Diaconus supponitur uti eodem libro ac Subdiaconus.

Rub. 5. Postea (1) idem Subdiaconus accipit Missale Celebrantis, defert (2) ad cornu Evangelii in altari, et ibi ministrat Celebranti; qui in medio altaris submissa voce dicto *Munda cor meum* etc. et deinde lecto Evangelio, quod in fine non osculatur, delato (3) etiam per Diaconum libro Evangeliorum ad altare, imponit (4) incensum in thuribulum. Postea (5) Diaconus genuflexus ante altare dicit *Munda cor meum,* et (6) accipiens librum Evangeliorum de altari petit benedictionem a Celebrante similiter genuflexus in superiori gradu altaris: et osculata illius manu, praecedentibus Thuriferario (7) et duobus Acolythis cum candelabris accensis de Credentia sumptis, vadit (8) cum Subdiacono a sinistris ad locum Evangelii contra altare (9) versus populum; ubi Subdiacono librum tenente (10), medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa, dicit *Dominus vobiscum,* junctis manibus. Cum dicit *Sequentia* etc. signat librum in principio Evangelii, frontem, os et pectus: postea ter librum incensat, hoc est, in medio, a dextris, et a sinistris; et prosequitur Evangelium junctis manibus. Interim Celebrans post datam Diacono benedictionem retrahens se ad cornu Epistolae, ibi stat (11) junctis manibus. Et cum Diaconus dicit *Sequentia Sancti Evangelii,* Sacerdos etiam signat se (12), et cum nominatur *Jesus,* caput inclinat versus altare. Finito Evangelio Sacerdos osculatur (13) librum a Subdiacono sibi delatum, dicens *Per Evangelica dicta* etc. et a Diacono (14) ter incensatur. Si sit coram Praelato in sua residentia, liber defertur ad Praelatum, ut supra, et ille incensatur, ut in Caeremoniali. Postea stans in medio altaris versus ad Crucem, incipit, si dicendum sit *Credo,* stantibus post eum Diacono et Subdiacono (15); deinde (16) ad altare accedentibus, et cum eo prosequentibus, ut dictum est ad *Gloria in excelsis.*

(1) *Postea.* Si cantetur Prosa, convenit ut sessio fiat sicuti ad *Gloria.* In casu, Evangelium legitur a Celebrante vel post benedictionem Subdiaconi, vel ad finem cantus Prosae, pro varia Ecclesiarum consuetudine.

(2) *Defert.* Incedit per planum post tergum Diaconi, flectit in medio altaris, librumque collocat, uti ordinatur Rub. 1a.

(3) *Delato.* Diaconus defert librum cum dorso ad suam dextram verso (sententia communis contra Janss.), eumque ita versum collocat in altari fere medio prope locum corporalis, scilicet parum ad cornu Epistolae; et ibi absque genuflexione exspectat Celebrantem, nisi forte adhuc supersit legenda notabilis pars Evangelii: quo in casu potest, praemissa genuflexione, accedere ad Celebrantem, id est juxta Romsée et sententiam communem, ad ejus sinistram, ubi stat in secundo gradu usque ad finem Evangelii. Juxta Deherdt stat ad dextram Celebrantis (non autem ad sinistram, ubi juxta dispositionem Rubricarum assistit Subdiaconus, ad ministrandum Celebranti). Servetur consuetudo, quae in nostra Dioecesi conformis est sententiae Romsée. Attamen sententia Deherdt non mihi videtur fundamento carere: dici enim non potest Subdiaconum ministrare Celebranti, quia Diaconus censetur occupatus, cum idem de Subdiacono disponatur infra *tit. XII, 7,* pro ult. Evang. ad cujus lectionem assistit Diaconus.

(4) *Imponit.* Absoluto Evangelio, Celebrans accedit ad medium altare, caput Cruci inclinat, et, ministrante Diacono, thus imponit et benedicit ut initio Missae.

(5) *Postea,* Diaconus, genuflexione facta Cruci, utroque genu *flectit ante altare,* in supremo gradu a parte dextra Celebrantis, et capite profunde inclinato, secreto dicit *Munda cor,* etc. Cf. *J.* et *R.* Si thus non imponatur, tunc juxta Romsée. Diaconus stans a sinistris Celebrantis, cum quaedam tantum supersunt lineae Evangelii, per suam dextram accedit ad medium altaris, ubi utroque genu flexus, in secundo altaris gradu recitat *Munda,* ut supra.

(6) *Et,* praevia unius genu flexione *(R)*, accipit librum, genuflexusque super suppedaneum, capite inclinato *(R)*, petit benedictionem dicens, ut in Ordine Missae, *Jube Domne benedicere,* et, juxta plures, respondet *Amen;* attamen juxta Merati, *n. 27,* ipse Celebrans dicit *Amen,* et quidem con-

formiter ad *Ordinem Missae*, ubi *Amen* unitur ipsi benedictioni, sine *R.*

Celebrans, facta Cruci inclinatione, manibus junctis, se convertit ad Diaconum, sinistraque pectori applicata *(p. 237)*, illum benedicit, ut in *Ordine Missae.*

(7) *Thuriferario* etc. Quibusdam in locis, praeter thuribulum et candelabra, defertur Crux ad lectionem Evangelii; qui ritus, de quo silent Rubricae, inde probabiliter originem traxit, quod antiquitus ad locum Evangelii cantandi fiebat processio cum Cruce. Cf. Mer. *n. 29.* — De duobus candelabris, vid. *not. 1, p. 171.*

(8) *Vadit*, facta altari genuflexione. „Praecedit Caeremoniarius, mox Thuriferarius cum thuribulo, et navicula, sequuntur duo Ceroferarii cum candelabris, ac cereis accensis, deinde Subdiaconus manibus junctis, ultimo Diaconus, librum Evangelium ante pectus [1] portans.“ Caer. Ep. *l. 2, c. 8, n. 44;* cs. *l. 1, c. 9, n. 2.*

(9) *Contra altare versus populum*, id est contra partem quae figuratur pro Aquilone. „Subdiaconus, medius inter dictos Ceroferarios, tenet librum Evangeliorum apertum ante pectus, vertens renes non quidem altari, sed versus ipsam partem dexteram, quae pro Aquilone figuratur.“ Caer. *l. c.* Cf. dicta *tit. V, 3.*

(10) *Librum tenente* apertum ante pectus, supra frontem positum, nisi sit super legile [2].

(11) *Celebrans ibi stat* conversus ad altare usque ad *Dominus vobiscum;* tunc se convertit ad librum.

(12) *Etiam*, ut Diaconus, *signat se* (se tamen non vertit ad Crucem), in fronte, ore et pectore; idem faciunt et omnes alii; ad nomen *Jesus* vel *Mariae* caput omnes etiam inclinant, si tamen excipiantur Subdiaconus et Ceroferarii, qui perstant immobiles. Caer. *l. c. n. 46.* Et ratio est,

1) *Ante pectus portans*, ut intelligat Praedicatorem verbi Dei debere prius illud habere ante oculos, in corde et in manibus, quam in ore. Gav. cum Rubeo. Cf. Romsée, *p. 2, a. 2, n. 6. not. 2.*

2) „Si vero in Ecclesia fuerint legilia, vel ambones, in illis poterit cantari Evangelium; videlicet, si cantabitur in legili, seu pulpito, Subdiaconus stabit post illud, quod panno aureo, vel serico coloris caeterorum paramentorum coopertum et ornatum esse debet, amplectens ipsum legile et manibus hinc inde librum tangens; quod si cantabitur in ambone... Subdiaconus... ministrabit Diacono, stans a latere ejus dextro...“ Caer. *l. c. n. 45.*

quia sunt impediti. Ad nomen *Mariae* caput inclinatur versus librum.

(13) *Osculatur* [1]. „Subdiaconus, nulla facta reverentia, portat librum apertum, in folio ubi est principium Evangelii cantati, et illum offert osculandum Episcopo, nulla ei facta reverentia, nisi postea, libro clauso." Caer. *l. c. n. 46. Nulla facta reverentia;* adeoque, concludit Janss. *n. 24*, nec altari, nec Celebranti, nec, ob reverentiam S. Evangelii, SS. Sacramento patenter exposito; ita Mer., et plures alii, quamvis hoc ultimum ab aliquibus negetur, neque attingatur a Caerem. *l. c.*

(14) *Diaconus,* finito Evangelio, dextra Subdiacono indicat (nihil dicens) initium Evangelii; deinde se parum retrahit sinens Subdiaconum ante se transire. Tunc, praecedentibus Ceroferariis cum Thuriferario (nisi hic sit a sinistris Diaconi aut [Cav.] ante Ceroferarios) accedit ad medium altare, ubi genuflexione facta super infimo gradu (Mer. etc.), accipit thuribulum, terque incensat Celebrantem debitis cum reverentiis; tum, ait Romsée, accedit ad medium altaris retro post Celebrantem absque genuflexione. Hic tamen aliqui exigunt genuflexionem. Notandum est, juxta Romsée, Diaconum non accedere ad medium altaris, nec proinde genuflectere antequam Celebrantem thurificet.

(15) *Subdiaconus,* libro reddito Ministro accedit ad suum locum post Diaconum, omissa etiam genuflexione.

(16) *Deinde,* capite inclinato ad *Deum,* genuflectunt et accedunt etc.

Rub. 6. Si autem sit praedicandum, Concionator, finito Evangelio [2], praedicet; et sermone sive concione expleta ([1]), dicatur *Credo,* vel si non sit dicendum, cantetur Offertorium.

1) „Nec Sacerdos solum, qui Missam celebrabat, Evangeliorum librum antiquitus osculabatur; sed ipse Liber ad osculum totius Cleri et populi circumferebatur." Bened. XIV, *sect. 1, n. 144.* Cs. Fornici, qui subjungit, „verum ab Honorio III prohibitum fuit, ne cuiquam, etiamsi principi, Evangelium offerretur, nisi sacro oleo sit perunctus." Hodiedum servetur Rubrica. Cf. dec. 24 Aug. 1609, n. 264, et dec. gen. 13 Mart. 1688, n. 3007.

2) *Finito Evangelio.* „In more positum erat apud Hebraeos, ut post lectionem Legis et Prophetarum, sermo haberetur ad populum.... In Justini Martyris Apologia 2a.... apparet homiliam seu sermonem ad populum post lectum Evangelium haberi consuevisse...." Bened. XIV, *sect. 1, n. 138.* De obligatione annuntiandi Verbum Dei agit Trid. *sess. 5, cap. 2, de Reform.*

(1) *Concione expleta.* Quaestio hic directe est de homilia seu sermone qui haberi solet de Evangelio currenti (Caer. Ep. *l. 1, c. 22, n. 2*), vel de simili instructione. „Si vero, ait Caer. Ep. *l. c. n. 5*, habendus sit sermo extraordinarius, velut ad publicandum aliquod Jubilaeum..... non debet infra Missam fieri, sed illa finita, nec tunc petitur benedictio [1].“ Patet haec esse intelligenda *per se*, et dari posse circumstantias, in quibus non tantum liceat, sed et conveniat sermonem, etsi extraordinarium, fieri infra Missam, v. g. quando alio tempore difficilius et minori numero accederet populus. — Addit Caer. *l. c. n. 6*: „Idem dicitur, si in Missa Defunctorum, vel in laudem alicujus magni viri Defuncti habeatur; quo casu fit statim, finita Missa, antequam fiat Absolutio, ut in *cap. XI, lib. II dicitur*, et in habitu ordinario.“

Rub. 7. Cum vero in Symbolo cantatum fuerit *Et incarnatus est*, Diaconus (1) accepta bursa de Credentia, ambabus manibus eam defert elevatam cum solitis reverentiis ad medium altaris, in quo explicat Corporale, et revertitur ad Celebrantem. Cum non dicitur *Credo*, Subdiaconus defert bursam simul cum Calice, ut infra dicetur.

(1) *Diaconus* surgit, surgente etiam Subdiacono (Caer.), reverentiae causa, et facta Celebranti et Subdiacono (AA.) reverentia, accedit ad credentiam, accipit bursam, quam ambabus manibus tenet elevatam usque ad oculos (Caer.), cum apertura paululum versus se inclinata, sicque eam defert, *solitis reverentiis* exhibitis Celebranti, Subdiacono et Cruci, *ad medium altaris*, non per latus, sed per viam longiorem; corporale explicat *(p. 227)*, revertitur ad locum suum et sedet; tunc etiam sedet Subdiaconus, ait Caer. *l. 2, c. 8, n. 54*, si forte exspectavit stans, ex consuetudine multorum.

1) His tamen locis, solet peti benedictio ab Episcopo praesenti, etiam extra Missam. — Caer. *l. c. n. 2 sq.* tradit ritum servandum ab eo qui praedicat infra Missam cui interest Episcopus. „Quicumque, ait Caer. *n. 2*, sermonem habiturus, finito Evangelio, ducendus est per Caeremoniarium cum debitis reverentiis ad osculum manus Episcopi, quam, nisi fuerit Canonicus, genuflexus osculatur; Canonicus autem stans profunde inclinatus, osculatur manum: deinde benedictionem petit, dicendo *Jube Domne benedicere*, cui Episcopus respondet: *Dominus sit in corde tuo....*“ In locis ubi in concione adhibetur Stola, haec, in casu, solet imponi post acceptam ab Episcopo benedictionem.

Rub. 8. Si quandoque Celebrans cantat Missam sine Diacono et Subdiacono, Epistolam cantat in loco consueto aliquis Lector (1) superpelliceo indutus, qui in fine non osculatur manum Celebrantis. Evangelium autem cantat ipse Celebrans ad cornu Evangelii, qui et in fine Missae cantat *Ite Missa est*, vel *Benedicamus Domino*, aut *Requiescant in pace* pro temporis diversitate.

(1) *Lector.* Si Lector desit, uti contingere solet in Ecclesiis ruralibus, quaeri potest an, hoc non obstante, cantari possit hujusmodi Missa, et a quo cantanda sit Epistola?

R. Ad 1, videtur affirmandum; ad 2, cantanda videtur a Celebrante, prout fit hisce in regionibus. Forte autem id etiam fieri posset ab alio Sacerdote, a Diacono aut Subdiacono. Vid. dicta *pag. 11* et *196.*

(2) Caetera, quae in hac Rubrica habentur, obvia sunt. Sed ex iis quae silentio praetermittuntur, nonnulla sunt certa, et nonnulla dubia. 1° Certum est *a*) alia a Celebrante esse cantanda ut in Missa solemni, *b*) plures Ministros posse, sin minus debeant, adhiberi, *c*) commemorationem Simplicis et Collectam imperatam esse omittendam in Dup. II Cl.; 2° de iis autem, de quibus ponuntur quaestiones sequentes, orta sunt dubia, quia non constat an haec exclusive pertineant ad Missam *perfecte* solemnem *(p.10)*.

Q. 1. An in hac Missa *Kyrie eleison* dicendum sit ad cornu Epistolae, an in medio altaris?

R. „Juxta Gav. *p. 2, tit. 6 in fine,* et *Lohner p. 2, tit. 9, rit. sol. n. 1,* dicendum est ad cornu Epistolae; et certo si Acolythi in hac Missa sub introitu assistant ad latus Celebrantis, ad cornu Epistolae dicendum esse videtur; si autem Ministri ut in Missa privata, genuflectant in gradibus altaris, uti fieri solet, satius videtur *Kyrie* dicere in medio altaris, ut Sacerdos coram imagine Crucifixi hanc Orationem ex corde proferat, cum Sacerdos et Minister in casu se invicem tam bene audire possint, quam ad cornu Epistolae." Ita Deherdt, *p. 2, n. 35, II.* Seclusa consuetudine praeferendus videtur prior modus, quia hic eadem militat ratio ac in Missa solemni, nempe *Kyrie eleison* dicitur ad cornu Epistolae, prope Ministros, tum ut cantus non impediatur, tum ut Ministri Celebrantem audiant, quin cogatur vocem nimis elevare.

Q. 2. An in hac Missa omittenda sit thurificatio?

R. Dissentiunt AA. Alii absolute negant, alii absolute

affirmant, alii distinguunt. „Castaldo, apud Quarti, *p. 2, tit. 4, sect. 1, dub. 4,* videtur res arbitraria; communiter autem dicitur, illam omittendam esse ad Introitum, et fieri posse ad Evangelium, Offertorium et Elevationem, saltem in majoribus Solemnitatibus. *Vid. Mer. p. 2, tit. 6, n. 44, Quarti, l. c., Cav. tom. 3, dec. 88, n. 9* etc..." Deherdt *l. c. III.* Quae communis sententia teneri posse videtur ubi hujusmodi praxis est in usu. Sed non ausim consulere, ut introducatur. Quamvis enim non possit dici expresse reprobata per decreta 19 Aug. 1651, n. 1480, 3, et 18 Dec. 1779, n. 4246, 21, cum reprobent thurificationem *solitam,* id est, quae fit ut in Missa solemni, nihilominus, per ultimum decretum, aliquatenus infirmatur, quatenus nempe non facile percipitur quare potius servari possit thurificatio ad Evangelium, quam in principio Missae. Praeterea ex decreto, quod circumfertur sub data 10 Jan. 1852, incensatio, in hujusmodi Missa, permissa tantum videtur ex speciali licentia. Ex hoc tamen decreto et ex illa communi sententia inferendum videtur praedictum usum, ubi viget, servari posse ex mente Ecclesiae.

TITULUS VII.

DE OFFERTORIO ET ALIIS USQUE AD CANONEM.

Rub. 1. Dicto Symbolo, vel si non sit dicendum, post Evangelium Celebrans osculatur altare in medio, et junctis manibus ante pectus, ibidem a manu sinistra ad dextram (ut dictum est supra) vertit se ad populum, et extendens ac jungens manus dicit *Dominus vobiscum;* et junctis manibus revertitur per eamdem viam ad medium altaris, ubi extendens et jungens manus, caputque Cruci inclinans dicit *Oremus;* tum junctis ut prius manibus dicit Offertorium, et omnia, quae usque ad finem Missae in medio altaris dicenda sunt, dicit ibidem stans versus ad altare, nisi aliter ordinetur.

Rub. 2. Dicto Offertorio ([1]) discooperit Calicem ([2]), et ad cornu Epistolae sistit, et *(explicata parte anteriore Corporalis, juxta dicta tit. II, 2)* manu dextra amovet parvam pallam ([3]) desuper Hostiam, accipit ([4]) Patenam cum Hostia, et ambabus manibus usque ad pectus eam elevatam tenens, oculis ad Deum elevatis, et statim demissis, dicit *Suscipe sancte Pater,* etc.

(1) *Dicto Offertorio.* Certis in Ecclesiis, solent, quibusdam diebus infra Missas solemnes, accipi a Celebrante spontaneae Fidelium oblationes; quod fit in vestigium [1] antiquitatis, uti notatum est *sect. II, tit. XII, p. 144,* et adhuc observatur in collatione Ordinum, ex praescripto Pontif. Rom. Canonistae tradunt cuinam cedant hujusmodi oblationes; hic dicendum est quando, ubi et quomodo sint accipiendae.

1° *Quando.* Accipiuntur dicto Offertorio, ante Hostiae oblationem. Quod ex ipsa rei natura fluit, et traditur in Pontificali Rom. et apud AA. Cs. dec. 26 Jan. 1658, n. 1718. Deherdt, aliique.

2° *Ubi.* Juxta Cav. *l. c. n. 12,* Celebrans eas regulariter recipit in suppedaneo, in medio altaris; et juxta Merati *n. 21,* aliquantulum retractus a medio altaris. Cavalieri tamen secus resolvit de oblationibus feminarum, quando hae in Ecclesia sejunctae sunt a viris. Tunc enim Parocho permittit decessum ab altari et accessum ad eum Ecclesiae locum ubi adsunt mulieres, ut ibi suscipiat oblationes a sponte comparentibus. Deherdt distinguit inter oblationes Clericorum et laicorum: receptis in suppedaneo oblationibus Clericorum „pro oblationibus laicorum, inquit, convenientius Celebrans descendit, et se statuit in medio plani ad ingressum presbyterii.“ Quae praxis praeplacet.

3° *Quomodo.* „Est etiam in usu apud quosdam, inquit Merati *n. 21,* osculari rem offerendam et manum Celebrantis post oblationem; quod non videtur inconveniens, maxime quoad rem offerendam (abstineant tamen mulieres ab osculo manus Celebrantis), dummodo non fiat, ut observat etiam Gavantus, in Missis Defunctorum.“ Cf. Pontif. Rom. *in Missa Ordin.* Cs. Deherdt cum Vinit. et Cav. Cf. dec. 10 Jan. 1852.

„In hac oblatione minime [2] adhibenda est Patena, ut osculanda praebeatur, neque purificatorium ad patenam

1) „Reliquia haec est quaedam praedicti antiquarum oblationum ritus, qui, licet utique generaliter desierit, adhuc in nonnullis viget Ecclesiis, et praesertim in pagis et oppidulis rusticorum, hoc tamen discrimine, quod nunc vice panis et farinae, quae primitus offerri solebant, ut plurimum denarii offeruntur, et hi non in usum sacrificii cedunt, sed magis in beneficium Parochorum, propter Sacramentorum administrationem. . . . .“ Cav. *t. 5, c. 13, n. 6.*

2) Cs. dec. 10 Jan. 1852, *in Cenomanen.*

tergendam: dedecet enim Patenam, quae manibus laicorum attingi non potest, ipsis praebere osculandum, illam sine ablutione praevia in Missa statim adhibere, et in eamdem licet sordidatam SS. Sacramentum recipere. Sed osculanda praebenda est tabella pacis, Crux, aut sacra aliqua imago. *Mer. p. 2, tit. 7, n. 21. — Vinitor p. 4, tit. 2, annot. 39. — Cav. tom. 5, c. 13, n. 14.* Si usus seu potius abusus patenam adhibendi ita invaluerit, ut abrogandus timeatur, saltem adhiberi debet patena non consecrata cum manutergio distincto a purificatorio." Deherdt, *h. l.* Hoc medium non consulimus.

(2) *Discooperit Calicem*, velumque ipse plicat aut plicandum tradit Ministro, prout fert consuetudo (dec. 12 Aug. 1854, *in Lucionen. ad 69*). Cf. Cav. *n. 34.* Plicatum ponitur prope tabellam secretarum, ex parte Epist., omnino extra Corporale, super quod, inquit Cav. *l. c.* solummodo poni potest quod Corpus et Sanguinem Christi tangere aut tegere solet.

(3) *Pallam* deponit super Corporale, versus cornu Epistolae, quo commodius et facilius eam reassumere valeat, quando Calicem tegere debet (Cav. et Mer. *h. l.*); aut, juxta Romsée, ita ponit, ut partim sit supra velum, partim super altare, sicque commodius accipi possit. Quando palla intus habet chartam, tunc modus commodior est, ut recta ponatur contra latus tabellae secretarum.

(4) *Accipit* sola manu dextra inter pollicem, indicem et medium digitum. Mer.

Rub. 3. Si fuerint aliae Hostiae non super Patenam (1), sed super Corporale, vel in alio Calice, seu vase [1] pro Communione populi consecrandae, Calicem illum, seu vas dextra discooperit, et intentionem suam etiam ad illas offerendas et consecrandas dirigens, dicit ut supra *Suscipe* etc. ut in Ordine Missae. Quo dicto, Patenam utraque manu tenens, cum ea facit signum Crucis (2) super Corporale, et deponit Hostiam (3) circa medium anterioris partis Corporalis ante se, et Patenam ad manum dextram aliquantulum subtus Corporale; quam, exterso Calice, ut dicetur, cooperit purificatorio. Si autem adsit vas seu Calix cum aliis Hostiis, ipsum cooperit alia Patena, vel Palla.

(1) Quando *super Patenam* fuerunt positae, tunc Cele-

1) *In alio vase.* Quod vas nunc *Ciborium* vocatur, quia continet cibum coelestem populo distribuendum. Lohner.

brans non admonetur, ut ad illas intentionem dirigat, quia supponuntur conspici; unde in casu ponendae non sunt subtus majorem Hostiam. — Notandum est particulas non posse poni in alio Corporali complicato. Dec. 12 Aug. 1854, 19 *in Lucionen.*

(2) *Facit signum Crucis,* scilicet Patenam, aliquantulum ab altari elevatam, tenens ambabus manibus, ita ut pollices sint supra Patenam, indices contra illius circumferentiam, et medii digiti cum aliis infra, ducit, a medio circiter Corporalis versus illius partem anteriorem, lineam rectam, quam secat versus medium alia transversa, a cornu Evangelii ducta versus cornu Epistolae. Cs. Romsée.

(3) Si adsit Hostia consecranda pro expositione, ea ponatur vel super Patenam, vel in sua lunula aut in Ostensorio super Corporale, intra sacrum lapidem. Quando autem, ait Cavalieri *t. 4, dec. 158, n. 12,* in Ostensorio consecratur, hoc debet aperiri ad oblationem et ad consecrationem. Hoc quidem congruit, et faciendum est quando commode fieri potest; sed puto hoc non esse in praecepto ac proinde omitti posse, ubi habetur aliqua difficultas, ut solet. Et ratio disparitatis, cum alio vase, manifesta est: mediante crystallo, Hostia consecranda non est minus praesens seu patens oculis Celebrantis, quam particulae positae in alio vase, quod aperitur.

Rub. 4. Deinde *(facta Cruci inclinatione, parum a medio recedit, et stans)* in cornu Epistolae accipit Calicem (1), purificatorio extergit, et sinistra tenens illius nodum, accipit ampullam vini de manu Ministri [qui osculatur (2) ipsam ampullam, non autem manum Celebrantis] et ponit vinum (3) in Calicem. Deinde eodem modo tenens Calicem, producit signum Crucis super ampullam aquae, et (4) dicit *Deus qui humanae substantiae,* et infundens (5) parum aquae (6) in Calicem, prosequitur, *Da nobis per hujus aquae et vini mysterium* etc. Si vero celebrat pro Defunctis, non facit signum Crucis [1] super aquam, sed imponit absque benedictione, dicens Orationem ut supra.

(1) *Calicem,* amoto cochleari si adsit, extergit, eum *leviter* fricando purificatorio.

1) *Non facit signum Crucis...* »Cum enim, ait Romsée *t. 4, a. 14, n. 6,* aqua figuret populum, ideo in Missis *de Requiem,* in quibus pro mortuis orat Ecclesia, abstinet a benedictione, ut magis intenta videatur saluti Defunctorum.«

(2) *Osculatur.* Quod AA. communiter applicant etiam ad ampullam aquae (Cav. *n. 36*). Attamen non raro deest tempus ut Minister valeat osculari ampullam vini quam recipit, et ampullam aquae quam offert.

(3) *Ponit vinum,* infundendo non immediate in fundum, sed in latus Calicis parum inclinati; sic enim cavetur, ne guttae saliant adhaereantque parietibus Calicis, a massa separatae. Dum vero vinum infunditur, deponi solet purificatorium super pedem Calicis, ne forte super eumdem aut mappam cadant guttulae vini. Haec tamen praxis non est in praecepto (dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 29).

(4) *Et.* Haec copula intelligenda est de actione simultanea, scilicet, producit signum Crucis dicendo *Deus* etc., juxta Rubricam in Ordine Missae positam, et dec. 12 Aug. 1854, 25, *in Lucionen.*

(5) *Infundens.* Rubrica supponit quidem aquam ex ampulla infundi, absque cochleari; attamen non requirit, ut hoc modo fiat; unde usus parvi cochlearis habendus est potius praeter quam contra Rubricam, neque dicendus est reprobatus dec. 7 Sept. 1850, 13, ac proinde laudabiliter servabitur ubi viget. „Ecclesiae fere omnes (ait Mer. *de defectu vini IV, n. 6*), in Germania optime utuntur parvo cochleari, ut tutius immittant nonnisi parvam aquae quantitatem in Calicem.“ Cs. Vinitor *p. 1, tit. 20, § 21 fin.*, Romsée, Deherdt, Janssens, *n. 25.* Forte objicitur usum cochlearis generatim prohiberi, quia reservatur Papae; sed cf. Bened. XIV, cit. in nota 2 *pag. sq.*

(6) *Parum aquae* scilicet (Caer. Ep.) *paucas guttas.* Haec verba sunt clara: non notabilis, sed parva aquae quantitas infundenda est, quin tamen oporteat guttas numerare; hocque consonat tam textui Rubricae, quam ipsi fini hujus ritus: si enim paucae guttae immisceantur vino consecrando, obtinetur finis legis [1], et praeterea vitatur

1) De mixtione aquae cum vino, Synodus Trid. *sess. 22 de Sacrif. Missae, cap. 7,* „monet praeceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent; tum quod Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia e latere ejus aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac immixtione recolitur; et cum aquae in Apocalypsi B. Joannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo unio repraesentatur.“ Cf. Bened. XIV, *sect. 1, n. 171 sqq., sect. 2, n. 81,* S. Th. *p. 3, q. 74, a. 8,* et Breviar. Rom. ad 3 Mai. lect., de S. Ale-

periculum corrumpendi vinum [1]. Unde superfluum omnino est hic referre diversa hac de re placita Theologorum. Cf. pt. S. Lig. *l. 6, n. 210,* et Deherdt, *h. l. ad V.*

Rub. 5. Imposita aqua (1) in Calice, et finita Oratione praedicta, accipit manu dextra Calicem discoopertum; et stans ante medium altaris, ipsum ambabus manibus elevatum (2) tenens, videlicet, cum sinistra pedem, cum dextra autem nodum infra cuppam, intentis (3) ad Deum oculis offert dicens: *Offerimus* [2] *tibi Domine,* etc. qua Oratione dicta, facit signum Crucis cum Calice super Corporale, et ipsum in medio post Hostiam collocat, et palla cooperit (4). Deinde junctis manibus super altare positis, aliquantulum inclinatus, dicit secreto *In spiritu humilitatis* etc. Postea erectus, elevans oculos, manusque expandens, et statim jungens ante pectus [quod semper (5) facit, quando aliquid est benedicturus] dicit *Veni sanctificator,* etc. Cum dicit, *et benedic,* signat manu dextra communiter super Hostiam et Calicem, sinistra posita super altare.

(1) *Imposita aqua,* exterguntur guttae; quod magis congruit (dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 28). Si autem vinum et aqua caute infusa fuerint, ut supra, nullae aderunt extergendae guttulae, ac proinde omittenda erit extersio. Deinde, junctis manibus, redit ad medium altaris, et, facta Cruci reverentia, *accipit Calicem,* etc.

(2) *Elevatum* ita *tenens,* ut cuppa Calicis non excedat oculos, neque sit infra os. Gav. etc.

xand. Sed »sufficit ad Sacramenti hujus significationem, quod sentiatur aqua, cum apponitur...« S. Th. *l. c. ad 1.*

1) »Semper tutius est, ait S. Th. *a. 8 cit.,* parum de aqua apponere, et praecipue si vinum sit debile; quia si tanta fieret appositio aquae, ut solveretur species vini, non posset perfici Sacramentum.« Ap. Bened. XIV, *sect. 2, n. 81,* qui haec subjungit: »Huic malo olim, ut occurrerent, parvo cochleari Sacerdotes utebantur, quo aquam in Calicem immittebant, ut videre est apud Martene, *lib. 2, cap. 4, §. 21, de antiquis Monachorum ritib.,* eaque consuetudo etiam nunc retinetur a Carthusianis, pluribusque Ecclesiis in Germania, ut testatur Merati, *tom. 1, p. 1, pag. 748.*« Vid. *adn. 5, pag. praec.*

2) *Offerimus.* »In oblatione Calicis idcirco dicit Celebrans *offerimus,* quia, juxta ritum Romanum, olim in Missa solemni Sacerdos simul eam Orationem recitabat cum Diacono, prout et adhuc fit. Hic autem Missae solemnis ritus in Missa privata retentus est.« Janss. *h. l. n. 34,* cum Card. Bona.

(3) *Intentis* etc. „Si esset legenda praedicta Oratio, quia Sacerdos ipsius forte oblitus fuisset, tunc sufficeret elevare oculos initio Orationis, et statim eos demittere, ut super tabellam posset legere Orationem praedictam." Mer. etc.

Offert dicens etc. Ex his verbis satis colligitur non sufficere, regulariter loquendo, ut oculi ad Deum eleventur initio Orationis tantum, quasi melius foret Orationem legere (uti tradit Cav. *h. l. n. 37*), quam memoriter recitare; unde recedendum hic est ab opinione Cavalerii.

(4) *Cooperit* Calicem, deposita extremitate sinistrae in ejus pedem. Haec cautela a Cav. *h. l. n. 37* permittitur solummodo senioribus et paralysi laborantibus. Sed, quidquid judicetur de hujusmodi opinione, generatim spectata, extra dubium positum videtur, praefatam cautelam a quocumque esse adhibendam in his regionibus, ubi pallae majoris sunt ponderis, ratione chartae aut ligni inserti; unde majus etiam oritur periculum effundendi Calicem, si forte attingatur palla. — Tam in cooperiendo quam in discooperiendo Calice, manus ita elevanda est ut palla non impingat oram Calicis. Haec serventur quoties discooperitur aut cooperitur Calix.

(5) *Quod semper* etc. „Quae quidem verba Rubricae, nimirum circa modum elevandi oculos et extendendi manus, intelligenda sunt solum de elevatione manuum, non oculorum, nisi in propriis locis aliud expresse notetur; quod probatur ex eo, quod multoties super Hostiam et Calicem post consecrationem Sacerdos facit Cruces, et tamen non debet elevare oculos, qui in Hostia consecrata figi debent." Mer. *n. 17*. — „Praeterea notandum, quod dum dextra aliquid benedicitur, est observanda solum praedicta Rubrica quando ambae manus liberae sunt: quia aliquando sinistra manus est occupata, et tunc manus elevari non possunt, nec jungi, sicut occurrit quando Sacerdos benedict Hostiam statim a se consecrandam, et vinum in Calice; tunc enim manu sinistra tenet vel Hostiam vel Calicem; item quando in Missa benedicit aquam, quo etiam tempore tenet Calicem." *Ibidem,* cum Biss. Gav. Bauld. et Tonnell. Cs. Janss. *n. 39 sq.*

Rub. 6. Tum junctis ante pectus manibus (*facta Cruci reverentia)*, accedit ad cornu Epistolae, ubi stans ([1]) Ministro aquam fundente ([2]), lavat manus, id est, extremitates digitorum pollicis et indicis, dicens Psalmum *Lavabo inter*

innocentes, cum *Gloria Patri* etc. qui versus *Gloria Patri*, praetermittitur in Missis Defunctorum, et in Missis de Tempore a Dominica de Passione usque ad Sabbatum Sanctum exclusive.

(1) *Ubi stans... lavat manus... dicens* etc. Haec verba, et prima Rubricae sequentis indicant integrum Psalmum cum *Gloria* absolvendum esse in cornu Epistolae, et perfici non posse dum Celebrans redit ad medium altaris. Quod quidem negant AA. non pauci, quorum alii permittunt recitari *Gloria* in via, alii solummodo ad medium altaris. Prior opinio communiter deseritur cum Merati *n. 26* et Cav. *n. 43*, quia inclinatio capitis ad *Gloria* facienda est sine motu locali personae; quin, non solum prior, sed etiam posterior videtur a verbis hujus et seq. Rubricae dissona. Cs. Cav. *l. c.*

(2) *Aquam ita fundente*, ut non saliat super Casulam Celebrantis, aut super altare. Ad hoc bene informandus est Minister.

Rub. 7. Celebrans, lotis manibus, eas tergit (1), et illis ante pectus junctis revertitur ad medium altaris, ubi stans, oculosque ad Deum elevans, et statim demittens, manibus junctis super altare, aliquantulum inclinatus dicit secreto Orationem *Suscipe sancta Trinitas* etc. Qua dicta, manibus hinc inde extensis, et super altare positis, osculatur illud in medio: tum junctis manibus ante pectus, demissisque oculis ad terram, a sinistra manu ad dextram vertit se ad populum, et versus eum extendens et jungens manus, dicit voce aliquantulum elata *Orate fratres,* et secreto prosequens *ut meum ac vestrum Sacrificium*, etc. perficit circulum (2), revertens, junctis manibus ante pectus, a manu dextra ad medium altaris. Et responso (3) a Ministro, vel a circumstantibus, *Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis,* etc. (alioquin per se ipsum dicens *Sacrificium de manibus meis*) ipse Celebrans submissa voce dicit *Amen;* et manibus ante pectus extensis, ut fit ad Orationem, stans in medio altaris versus librum, dicit absolute sine *Oremus*, et sine alia interpositione Orationem, vel Orationes secretas (4). Cum dicit *Per Dominum*, jungit manus: cum dicit *Jesum Christum,* caput inclinat: quod facit in prima Oratione, et in ultima, si plures sint dicendae.

(1) *Eas tergit* manutergio quod Minister offert super brachium sinistrum aut super altare posuit. Uterque

modus suos habet patronos, ut videre est apud Merati *n. 14,* et Cav. *n. 40* et *42.* Prior videtur magis decere. „Fusa aqua, Celebrans se convertit ad altaris parietem in eodem cornu Epistolae et manutergio exsiccat digitos." Romsée. Extersis autem manibus, manutergium reportandum est ad credentiam et non est relinquendum super altare; hoc enim videtur prohibitum *(sect. II, tit. XX)*, et certo nequaquam decet.

(2) *Perficit* absque mora: „perficit circulum, prosequendo, *ut meum ac vestrum* etc." Caer. Ep. *l. 2, c. 8, n. 66.*

(3) *Et responso.* Videtur statim posse incipi *Suscipiat.* „Minister juxta Mer. *p. 2, tit. 7, n. 33,* et Cav. *tom. 5, c. 13, n. 46,* non debet statim respondere dicto *Orate fratres,* sed aliquantulum exspectare, donec Sacerdos Orationem *Ut meum* absolverit usque ad finem: sed cum Minister respondeat ad verba *Orate fratres* alta voce prolata, et ipsi non constet, quo momento Sacerdos Orationem finierit, nihil obstare videtur, quominus Minister mox respondeat post verba *Orate fratres:* Sacerdos tamen tantum subjungit *Amen* post finitum responsum a Ministro." Deherdt *n. 13, II.* Juxta Baldeschi, *t. 1, p. 2, n. 35,* Minister tunc tantum respondere potest quando Celebrans conversus est ad altare.

(4) *Orationem vel Orationes secretas,* prout una vel plures dictae sunt Collectae.

Rub. 8. Pervento autem in conclusione ultimae secretae ad verba illa *Per omnia saecula saeculorum,* exclusive, Sacerdos stans in medio altaris [1], depositis super eo manibus

1) *Stans in medio altaris.* „Incipit Praefatio ex salutatione ad populum *Dominus vobiscum;* neque tamen Sacerdos se convertit ad populum; vel quia cum dixit *Orate fratres,* quodammodo populum dimiserit, vel quia ante Praefationem, juxta Liturgias Sanctorum Jacobi, Basilii et Chrysostomi, Sanctuarium claudebatur, et circa altare velum appendebatur; ideoque nihil in illa salutatione opus erat, ut se Sacerdos converteret ad populum, quem videre non poterat, ut observat Le Brun, *tom. 1, p. 386.*" Quod velum appendebatur, „quia, inquit Cav. *t. 5, c. 14, n. 4,* cum magis se appropinquaret Celebrans ad tremendum Sacrificium, verbis consecratoriis conficiendum, decens censebatur illum a populi tumultu segregare, ut sic animo magis intento, ac collecto, minusque exturbato, illud complere posset. Etsi autem modo ritus claudendi Sanctuarium segregandique Sacerdotem celebrantem a populo non vigeat, ut tamen quantum fieri potest, in se receptus tota mente et animo opus tantum per-

hinc inde extensis, dicit convenienti et intelligibili voce Praefationem. Cum dicit *Sursum corda,* elevat manus hinc inde extensas usque ad pectus (1): ita ut palma unius manus respiciat alteram. Cum dicit *Gratias agamus Domino,* jungit manus (2): cum dicit *Deo nostro,* oculos elevat, et statim Cruci caput inclinat. Responso *Dignum et justum est,* elevatis et extensis ut prius manibus prosequitur Praefationem propriam, vel communem, ut tempus requirit. Cum dicit *Sanctus,* junctis ante pectus manibus et inclinatus, voce mediocri [1] prosequitur: Ministro interim parvam campanulam pulsante (3). Cum dicit *Benedictus qui venit in nomine Domini,* etc. erigit se, et signum Crucis sibi producit a fronte ad pectus.

(1) *Ad pectus*, id est ad terminos pectoris supremos (Janss. *n. 68* et Cav. *n. 65*), seu usque ad altitudinem humerorum (Romsée). Supra *tit. IV, 3,* idem exprimitur per verba *usque ad humeros;* et quoad rem, non habetur differentia inter hanc et illam dictionem, cum summitas sive pectoris, sive humerorum ad eamdem moraliter altitudinem pertingat. Confirmari potest ex verbis *ut prius*, quae sequuntur. Merati quidem videtur duplicem successivam manuum elevationem admittere cum nonnullis: priorem usque ad pectoris terminos, et posteriorem usque ad humeros. Sed, si haec revera intelligenda sint de diverso gradu in manuum elevatione, hic relinquenda est sententia praeclari Autoris.

(2) *Jungit manus* linea recta ante pectus. Deherdt, cf. *p. 305 sq.*

(3) *Campanulam pulsante,* ter aut continuo [2], modo con-

ficiat, a Praefatione usque ad Communionem, non amplius se vertit ad populum...« Cf. dicta *p. 167 sq.*

1) Voce *mediocri* seu media. »Vocem demittit; id autem fit in Missa solemni ratione cantus, in privata vero, ratione pulsus campanulae, quibus vox alta frangeretur: haecque vocis immutatio aliunde attentionem, tum in Sacerdote, tum in populo renovare nata est.« Romsée, *t. 4, a. 20, n. 8.* Nata est praeterea majorem reverentiam excitare.

2) Campanulam ter pulsari vult Gavantus, *p. 2, tit. 7, litt. e,* cum aliqua distinctione, ad laudem *Dei,* ter Sancti, et ad excitandos audientium animos ad proxima Mysteria; sed, quia Rubrica hujus distinctionis mentionem non facit, reprehendi non possunt Ministri, qui uno continuo pulsu campanulam pulsant.« Lohner, *h. l.*

venienti, ita ut non sit incommodo Celebranti, neque adstantium attentionem convertat ad ipsam pulsationem: finis enim pulsationis non est ut occupet populum, sed ut populus moneatur de Mysterio quod peragitur, et ad illud attentior reddatur. Dantur autem casus in quibus omittenda est haec campanulae pulsatio. 1° „Si forte fiat tunc Processio, ait Vinitor *p. 2, tit. 16, n. 33,* aut si celebretur Missa solemnis, aut aliquid aliud juxta altare ubi tunc celebratur Missa, Minister non pulset campanulam.“ 2° Item si ad chorum vicinum celebretur Officium divinum (cf. dec. 5 Mart. 1667, n. 2246; cf. pt. dec. 2 Mart. 1620, n. 441). Et idem dicendum videtur, si ad altare vicinum distribuatur S. Synaxis aut celebretur Missa communitatis; si autem pulsetur, tunc infra elevationem cessandum est a ministranda S. Communione, et genuflectendum est ab iis qui Missae conventuali intersunt, quamvis tunc legeretur Evangelium. Item 3° in Missis privatis quae celebrantur infra expositionem SS. Sacramenti pro Orat. XL Horarum *(Inst. Clem. §. 16)*, et quamlibet publicam expositionem; cujus ratio est, ne populus perturbetur in adoratione Venerabilis et in meditatione quibus incumbit; idque ampliat Gardellini, *l. c. n. 5* ad Missas solemnes. Cf. Deherdt, *p. 1, n. 60, IV,* et notata supra *tit. III, 4, adn. 2.*

De Missa solemni.

Rub. 9. In Missa solemni dicto *Oremus* (1), Diaconus et Subdiaconus accedunt ad altare in cornu Epistolae: Diaconus amovet Calicem, si est in altari, vel, si est in Credentia, ut magis decet (2), accipit (3) eum de manu Subdiaconi, qui illum cum Patena et Hostia, coopertum palla et velo a collo sibi pendente, manu sinistra tenens, et alteram manum superponens velo, ne aliquid decidat, de Credentia detulit, comitatus ab Acolytho ampullas vini et aquae portante: ipse Diaconus Calicem detegit, et dat Patenam cum Hostia Celebranti, osculando (4) ejus manum: Subdiaconus extergit Calicem purificatorio: Diaconus accepta ampulla vini de manu Subdiaconi, imponit vinum in Calicem: Subdiaconus interim ampullam aquae ostendens Celebranti, dicit *Benedicite Pater reverende*, qui facto versus eam signo Crucis, dicit Orationem *Deus, qui humanae* etc.; interim Subdiaconus infundit paululum aquae in Calicem; Diaconus illum Celebranti dat (5), et pedem

Calicis tangens seu brachium dextrum Celebrantis sustentans cum eo dicit *Offerimus tibi Domine* etc. quem postea positum in altari, ut supra, palla cooperit (6). Subdiacono deinde stanti in cornu Epistolae ponit in dextra manu Patenam (7), quam cooperit extremitate veli ab ejus humero pendentis: qui *(absque genuflexione)* vadit post Celebrantem ante medium altaris, et facta genuflexione ibi stat (8), sustinens eam elevatam (9) usque ad finem Orationis Dominicae, ut dicetur. In Missis autem Defunctorum, et in Feria sexta Parasceves Patena non tenetur [1] a Subdiacono.

(1) Ad *Oremus* Diaconus et Subdiaconus inclinant caput Cruci; deinde dicto *Oremus,* et erecto capite, genuflectunt. Diaconus ascendit ad dextram Celebrantis, Subdiaconus vero antequam ad altare ascendat, vadit ad Credentiam, vel Sacristiam ut induat humerale; quo indutus, si Calix sit in altari paratus, procedit (per viam breviorem) ad dexteram Diaconi manibus junctis; secus, deposito velo Calicis, eum apprehendit manu sinistra per nodum, dextra apposita super extremitatem dextram humeralis, qua cooperitur Calix, sicque procedit ad dextram Diaconi. Ex Romsée. Notandum tamen est tria hic inter AA. controverti: 1 an Diaconus ascendere debeat antequam lectum sit Offertorium (a Portu); 2 in sententia affirmativa, an se collocet ad dextram aut ad sinistram Celebrantis; 3 an, cum vel sine suo velo Calix deferendus sit a Subdiacono ad altare? Consulo praxim a Romsée traditam.

1) *Non tenetur.* „Sex primis Ecclesiae saeculis super Patena consecrabantur Hostiae, frangebantur, et ex illa distribuebantur... Sed a duodenis circiter saeculis Hostiae consecrantur super linteo: hic usus refertur in Missae Ambrosianae Liturgico, *tom. 1, p. 297.* Cessante autem usu consecrandi Hostias super Patena, cum haec inutiliter locum teneret in altari, tollebatur a Subdiacono vel Clerico minori, praesertim cum olim Patena esset amplior (ex Pontificali quippe Damasi Papae aliquae habebant pondus 25 aut 30 librarum), et consequenter impediret Sacerdotem in altari operantem; indeque fluit usus hodiernus tollendi Patenam de altari. Aliis tamen, inter quos Devert, magis placet tolli Patenam in signum Communionis distribuendae... hincque patet ratio, cur Patena non tollatur ex altari sub Missis *de Requiem,* et Fer. VI Majoris Hebdomadae: quia nempe, tunc non distribuitur Communio.“ Nota apud Romsée, *h. l.* Cf. Bened. XIV, *sect. 1, n. 318 sq.,* Deherdt, *p. 2, n. 78* et Pouget ibi cit. Advertendum est distributionem Communionis infra Missam *de Requiem,* prohiberi tantum, cum particulis praeconsecratis.

Quando Subdiaconus non tenet Patenam, puta in Missis Defunctorum, tunc ascendit ad cornu Epistolae, una cum Diacono. De oblationibus Fidelium dictum est *Rub.* 2.

(2) *Ut magis decet*, quia ante Offertorium Calix inutiliter adest in altari; quin potius impedit Celebrantem in prima thurificatione altaris, in lectione *Gloria* et *Credo*, et in osculo altaris.

(3) *Accipit eum* caute ne aliquid decidat: ad quod securius vitandum, poni potest super altari a Subdiacono.

Et *Velo pendente*. Inde non leve deducitur argumentum ad probandum Calicem a Subdiacono deferri, proprio velo expoliatum. Addi potest cum Cavalieri velum Calicis ad aliud in altari non deservire, nisi ad impediendum. — Ex Caer. Ep. *l. 1, c. 10, n. 5,* velum humerale debet esse sericum, et ita adaptatum ut a latere dextro longius pendeat. Ad quod adverti potest, velum sericum esse commodioris usus. Cf. *tit. I, 1.*

(4) *Osculando* Patenam et *manum* Celebrantis. Diaconus, ex Caer. Ep. *l. 1, c. 9, n. 4 sq.,* porrigit Episcopo Patenam cum osculo Patenae et manus, et Calicem cum osculo tum Calicis, tum manus. Idem docent AA., quicumque sit Celebrans, Diaconus aut Subdiaconus. Et in specie ex dec. 31 Mai. 1817, n. 4386, 5, constat Canonicos non eximi ab hujusmodi osculis.

Subdiaconus extergit quantum opus est Calicem, leviter circumducendo purificatorium, eumdemque extersum tradit Diacono cum purificatorio; deinde ab Acolytho recipit ampullam vini, quam Diacono offert absque osculis.

Ampullam Aquae, „vel, ait Romsée, juxta usum hujus patriae cum cochleari parvo suscipit aquam de urceolo, et habens manum sinistram corpori applicatam, dextra tenet cochlear aqua plenum super Calicem, invitatque Celebrantem ad aquae benedictionem [1]...“ Cf. dicta *p. 268*, *Infundit,* ut dictum est *Rub. 4.*

1) Alium modum proponit Deherdt. „In casu autem usus cochlearis, inquit, prius dextra ostendit ampullam Celebranti, et facto signo Crucis super illam, sinistra eamdem recipit; tum dextra aquam cum cochleari sumit, et in Calicem mittit, residuumque in ampullam refundit. Infusa aqua, recipit ampullam vini de manu Diaconi, et utramque ampullam Acolytho remittit. Deinde cum purificatorio aut manutergio extergit cochlear, illudque juxta velum Calicis deponit.“ Melius est congruam tantum

(5) *Illum Celebranti dat,* cum debitis osculis, tenens Calicem dextra ad cuppam, et sinistra ad pedem; deinde dextra *pedem Calicis tangens seu brachium* ... sinistra ad pectus applicata aut casulam elevante, dicit *Offerimus* etc.

(6) *Cooperit.* Interim Celebrans ponit extremitatem digitorum utriusque manus supra pedem Calicis *(p. 270)*.

(7) *Patenam,* absque purificatorio, ponit in dextra, ita ut pars concava, utpote nobilior, respiciat ipsum Subdiaconum.

Cooperit ut munda servetur et decentius teneatur. Deherdt.

(8) *Ibi stat;* nec (ait Caerem. Ep. *l. c. n. 6*), movet se, nisi cum ad elevationem SS. Sacramenti genuflectit. Non comitatur Celebrantem infra thurificationem aut ad manuum lotionem. Ascendit tamen ad dicendum *Sanctus (Rub. 11)*, nisi contraria vigeat consuetudo. An vero ipsi genuflectendum sit semper cum Celebrante, expositum est, *sect. II, tit. XVII, 4.*

Si Subdiaconus non deferat patenam, tunc infusa aqua, se gerit ut ad Missas Defunctorum, et prout habetur vel non thurificatio.

(9) *Tenet elevatam.* Non enim decet ut teneatur jacens super manus aut pectus. AA. communiter docent eam esse elevandam ob oculos (Cav. Mer. etc.); juxta Deherdt, usque ad faciem, juxta Baldeschi, usque ad altitudinem oculorum. Advertendum tamen est hoc non ordinari per Rubricas Missalis aut Caer. Ep.; ibi enim tantummodo requiritur, ut teneatur *elevata;* quod verificatur si elevetur modo naturali, ante pectus. Si objiciatur hujusmodi elevationem fieri in signum distribuendae Communionis (cf. not. *p. 275*), reponi potest S. Communionem non minus annuntiari, si ante pectus elevata teneatur, eo quidem magis quod major aut minor elevatio nihil efficit quoad populum, cum Subdiaconus conversus sit ad altare.

Rub. 10. Dicto *Veni sanctificator*, ut supra, Celebrans ministrante Diacono naviculam, et dicente *Benedicite, Pater reverende,* ponit incensum in thuribulum, dicens *Per intercessionem* etc. ut in Ordine Missae. Deinde accepto thuribulo per manum Diaconi, nullam tunc faciens Cruci reverentiam, incensat oblata [1], ter ducens thuribulum super Calicem et Hostiam simul in modum Crucis et ter circum

sumere quantitatem aquae, ita ut non habeatur residuum in ampullam refundendum.

Calicem et Hostiam, scilicet bis a dextra ([2]) ad sinistram, et semel a sinistra ad dextram (Diacono interim pedem Calicis tenente manu dextra) dispensans verba in qualibet incensatione, hoc modo: in prima incensatione, *Incensum istud,* in secunda, *a te benedictum,* in tertia, *ascendat ad te Domine,* in quarta, *et descendat super nos,* in quinta et sexta, *misericordia tua.* Deinde facta reverentia, incensat Crucem et altare, ut dictum est supra, assistente eodem Diacono, interim dicens ([3]) *Dirigatur Domine Oratio mea* etc. et cum incensatur Crux, Diaconus amovet ([4]) Calicem ad partem Epistolae, et incensata Cruce reponit in loco suo. Cum reddit thuribulum Diacono, dicit, *Accendat in nobis* etc. et incensatur ab eo: deinde ([5]) Diaconus incensat Chorum et postremo Subdiaconum tenentem Patenam; et ipse Diaconus incensatur a Thuriferario, et Thuriferarius postea incensat Acolythos et populum. Celebrans postquam incensatus fuerit, lavat ([6]) manus, ministrantibus Acolythis ampullam aquae cum pelvicula et manutergio.

(1) *Incensat oblata,* adjuvante Diacono, qui supponit sinistram brachio ipsius seu parti laterali casulae, dextram vero ponit ad pedem Calicis, ne tactu thuribuli moveatur. Caer. Ep. *l. 1, c. 9, n. 5.*

(2) *A dextra,* per partem posteriorem Calicis, ut indicatur in tabella. Cf. pt. *tit. V, 1.*

(3) *Interim dicens,* etc. Psalmum *Dirigatur,* ita distribuat, ut eodem tempore finiantur verba et thurificatio. Caer. *l. 1, c. 23, n. 11.* Sunt AA. qui singillatim assignant verba ad quemlibet thuribuli ductum proferenda; nobis satis esse videtur indicasse ordinationem Caerem. Ep. Cf. pt. Romsée.

(4) *Amovet.* Si tamen Celebrans se ab altari aliquantulum retrahat (cf. *tit. V, 4, adn. 5*), ita ut absit periculum concutiendi Calicem, tunc non videtur amovendus, quemadmodum docet Gardellini de incensatione SS. Sacramenti expositi (*Inst. Clem. §. 30, n. 16*). „Et ratio est, ait, quia, dum incensatur Crux, ideo seponitur Calix, quia periculum est, ut thuribuli ductu Calix concutiatur et decidat, vel saltem vinum pro consecratione jam oblatum effundat. Hoc autem non imminet periculum in thurificatione Sacramenti, quae non fit prope altare, sed longe ab eo, scilicet in suppedaneo."

(5) *Deinde Diaconus*, etc. „In incensando Choro servanda est forma et regula Caeremonialis Ep. *lib. 1, c. 23*, vel alias laudabilis cujusque Ecclesiae consuetudo. Thurificatio semper incipienda est a parte, in qua sedet Hebdomadarius juxta dec. 22 Jul. 1848, n. 4960, 1. Canonici Ecclesiae cathedralis et collegiatae, item Sacerdotes parati incensantur duplici ductu; alii Sacerdotes in Choro unico ductu, et caeteri sine mora. Gav. *p. 2, tit. 7, Rub. 10, tit. c.*" Deherdt. Cf. dicta *tom. 1, p. 363.*

Et, Choro incensato factaque altari genuflexione, Subdiaconum incensat, ut infra. Si autem Chorus non habeatur, incensato Celebrante, Diaconus „se sistit e regione Subdiaconi, mediante tanto spatio, ut eum commode incensare queat, ibique facie ad Subdiaconum conversa, eumdem bis incensat sub mutua parva capitis inclinatione ante et post incensationem: Subdiacono incensato, reddit thuribulum Thuriferario, et ascendit ad secundum gradum altaris retro post Celebrantem in cornu Epistolae sine reverentia facienda, quia non est in medio altaris; ibi se convertit ad Thuriferarium, ita ut latus sinistrum ad altare habeat, et a Thuriferario sub mutua inclinatione bis quoque incensatur, ac incensatus faciem vertit ad altare..." Si autem omittatur incensatio *(p. 11)*, „transit ad cornu Epistolae cum Celebrante discedente ad lavandas manus; in fine Psalmi *Lavabo* ad *Gloria Patri* se non inclinat, quia Celebrans secreto legit; deinde cum Celebrante redit ad medium altaris, debitam iterum reverentiam faciens. Ad *Orate fratres* Celebranti respondet. Infra Orationes secretas et Praefationem stat in loco solito retro post Celebrantem juxta Rub. *tit. 4, n. 7*, et Mer. *p. 2, tit. 7, n. 75,* nisi ad Celebrantem accedere debeat ad vertenda folia Missalis juxta Vinit. *p. 4, tit 14, n. 30:* quo casu, debita facta reverentia, ascendit ad sinistram Celebrantis, eique manu sinistra extensa et unitis digitis indicat singulas Secretas legendas, Celebrante finem cujusque Secretae manu sua indicante. In fine ultimae Secretae, si ad Celebrantem accesserit, quaerit Praefationem, hacque Celebranti indicata, et debita facta reverentia, statim descendit ad locum suum retro post Celebrantem. Infra Praefationem cum Celebrante caput inclinat ad *Deo nostro*, et ad nomina *Jesu* et *Mariae,* si occurrant." Deherdt *n. 48 sq.*

(6) *Lavat,* non solum extremitates digitorum, sed ipsas

manus, ut a pulvere et fumo, in thurificatione contracto, mundentur.

Rub. 11. Cum dicitur Praefatio, Diaconus et Subdiaconus (¹) stant retro post Celebrantem: et paulo antequam dicatur *Sanctus*, accedunt (²) ad altare, ubi (³) cum Celebrante hinc inde dicunt *Sanctus*, et quae sequuntur usque ad Canonem. Deinde (⁴) Diaconus accedit ad sinistram Celebrantis, ei assistens, dum dicitur Canon, nisi alius Sacerdos assistat, quia tunc ipse staret ad dextram aliquantum post Celebrantem; Subdiaconus vero tunc stat post Celebrantem.

(1) *Diaconus et Subdiaconus stant.* Rubrica supponit incensationem Chori fieri, dum Celebrans lavat manus, etc.; unde hic tantum redit sermo de Ministris. Si autem omittatur incensatio *(vid. pag. 11)*, vel solus Celebrans incensetur, tunc Diaconus, data Patena Subdiacono, aut statim post oblationem Calicis, vel thurificationem Celebrantis, se sistit post Celebrantem, et debita facta reverentia transit cum Celebrante ad Cornu Epistolae, ut supra. Cf. Deherdt, *h. l.* Diaconus et Subdiaconus non videntur teneri ad respondendum Celebranti infra Praefationem, nec generatim quando Chorus respondet. Vid. infra *tit. IX, 4.*

(2) *Accedunt,* facta debita reverentia. Subdiaconus tamen non accedit, si talis vigeat consuetudo. Dec. 12 Nov. 1831, n. 4520, 32.

(3) *Ubi,* mediocriter inclinati, submissa voce dicunt cum Celebrante *Sanctus* etc., sese signando ad *Benedictus.*

(4) *Deinde Diaconus,* „genuflectit, et incedens post tergum Celebrantis, se transfert ad illius sinistram, ubi renovat genuflexionem, quod semper observatur, dum fit transitus ab uno latere Celebrantis ad aliud; quippe non est flectendum in medio, sed in utroque termino, scilicet a quo et ad quem.“ Romsée. Non est idem faciendum dum ab uno cornu altaris ad aliud acceditur, puta in deferendo libro: tunc enim semel tantum flectitur in medio.

Ad sinistram. Hic Subdiaconus supponitur accessisse ad Celebrantem ad dicendum *Sanctus;* nam quando solus Diaconus ascendit, non ad dextram sed ad sinistram Celebrantis accedit. Mer. *n. 83.*

Subdiaconus, dicto *Sanctus,* si Patenam non teneat, vertit folia, genuflectit cum Diacono et ad proprium locum redit.

TITULUS VIII.

DE CANONE [1] MISSAE USQUE AD CONSECRATIONEM.

Rub. 1. Finita Praefatione, ut supra, Sacerdos stans ante medium altaris versus ad illud, aliquantulum elevat manus ([1]), oculisque elevatis ad Deum, et sine mora devote demissis, ac manibus junctis et super altare positis *(ut tit. IV, 2)*, profunde inclinatus ([2]) incipit Canonem, secreto dicens: *Te igitur* etc. ut in Ordine Missae. Cum dicit *Uti accepta habeas, et benedicas,* prius osculatur altare in medio, deinde erigit se, et stat junctis manibus ante pectus. Cum dicit *Haec ✝ dona, haec ✝ munera, haec sancta ✝ Sacrificia*, dextra manu signat ter communiter ([3]) super Hostiam et Calicem. Deinde extensis manibus ante pectus prosequitur *In primis, quae tibi offerimus* etc.

(1) *Elevat manus:* in Ordine Missae, manus videntur supponi junctae *(extendens et jungens)*. Unde, si post *Sanctus* fuerint disjunctae ad folia vertenda, convenit ut denuo conjungantur, ad incipiendum Canonem. Cf. R. et D.

(2) *Inclinatus incipit.* Legenti patet hanc Rubricam apprime consonare alteri, quae reperitur in Ordine Missae: ibi enim sensus horum verborum, *extendens ac jungens* etc., declaratur et praefinitur per haec, quae sequuntur: *inclinatus ..... manibus positis, dicit: Te igitur* etc. Caeterum

1) „*Canon* idem valet ac *Regula:* ea utitur voce Ecclesia, ut significet Canonem Missae esse firmam regulam, juxta quam novi Testamenti Sacrificium est celebrandum. Canonem S. Gregorius *Precem*, alii *Actionem* appellant; quod in eo Sacramenta Domini conficiantur: quamobrem in Canone, ad Orationem *Communicantes*, appositus est titulus *Infra Actionem*, seu *Intra Actionem...*“ Bened. XIV, *sect. 1, n. 205.* Canon, ex Trid. *sess. 22, cap. 4, de Sacrif. Missae* „constat cum ex ipsis Domini verbis, tum ex Apostolorum Traditionibus, ac Sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.“ Cf. Bened. XIV, *l. c. n. 210 sqq.* — Canon, juxta sententiam, quae a Bened. XIV, *n. 313,* dicitur verior, desinit ad verba quae immediate praecedunt Orationem Dominicam. Quam sententiam probat Cavalieri, *t. 5, c. 16, n. 1,* ex inscriptionibus *h. t.* et *tit. 9 et 10*, et ita concludit: „Unde Typographi perperam agere deprehenduntur, dum in Ordine Missae, etiam post praefatam Orationem Dominicam, *Canon Missae*, continuant adnotare, quasi Missae Canon usque ad finem ipsius Missae perduraret.“ Notandum tamen est nihil posse in Missali innovari privata auctoritate *(p. 3 q.)*.

si haec particularis Rubrica alicui visa fuerit aequivoca, non ideo habenda erit contraria Rubricae praesentis tituli, sed explicanda erit ad ejusdem sensum, juxta dicta, *tit. IV, 4, adnot. 4.*

Aliter quidem sentit Gavantus; sed relinquitur vel a Merati, qui hisce adhaeret sententiae oppositae Quarti. „Sed, inquit *h. l. n. 1,* contra Gavantum et allegatos Autores, censent Quarti, aliique... incipienda esse dicta verba Canonis *Te igitur,* immediate post omnes gestus praescriptos, id est manibus super altare positis, qui est ultimus gestus... cui quidem sententiae validis rationum momentis adductus, adhaerendum esse crediderim...“ Mihi liceat affirmare vix ullum fore qui de veritate hujus expositionis dubitet, si verba utriusque Rubricae legerit et inter se contulerit. Tandem subjungit Merati *l. c.* „Rationem vero a Gavanto supra adductam pro firmanda sua sententia, Quarti *l. c.* evertit, dicendo, et probando non subsistere, quod non debeat dari gestus sine voce: quia in Missa saepe praescribuntur gestus sine voce, aut verbis quae illos comitentur, ex gr. genuflexiones, elevatio Hostiae et Calicis etc. In Missa solemni... Benedictio Subdiaconi post Epistolam.....“

(3) *Communiter.* Unde dimittenda non est manus ad Hostiam. Mer.

Rub. 2. Ubi dicit *Una cum famulo tuo Papa nostro N.* exprimit nomen Papae (1); Sede autem vacante verba praedicta omittuntur. Ubi dicitur *et Antistite nostro N.* specificatur nomen Patriarchae (2), Archiepiscopi, vel Episcopi ordinarii in propria Dioecesi, et non alterius (3) Superioris, etiamsi Celebrans sit omnino exemptus, vel sub alterius Episcopi jurisdictione. Si vero Episcopus ordinarius illius loci, in quo Missa celebratur, sit vita functus, praedicta verba omittuntur; quae etiam omittuntur ab iis, qui Romae (4) celebrant. Si Celebrans est Episcopus, Archiepiscopus, vel Patriarcha, omissis praedictis verbis, eorum loco dicit *Et me indigno servo tuo.* Summus autem Pontifex cum celebrat, omissis verbis *Una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N.,* dicit, *una cum me indigno famulo tuo, quem gregi tuo praeesse voluisti.* Et continuant omnes, ut sequitur, *Et omnibus orthodoxis* etc.

(1) Ad *nomen Papae* caput inclinat versus librum, *tit. V, 2.* Cs. dec. 23 Mai. 1846, n. 4904, VI.

(2) *Patriarchae* etc., qui reipsa tales sint constituti; ac proinde non solum requiritur ut sint nominati et confirmati, sed etiam ut legitimam sumpserint possessionem, ita ut qua Ordinarii administrent Dioecesim, in qua celebratur. „Non enim intelligendi sunt Patriarchae aut Archiepiscopi distincti ab Ordinario loci, sed ii, qui simul sunt Episcopi illius loci, in quo celebratur." Cf. pt. dec. 22 Aug. 1722, n. 3802, 5, et 19 Jan. 1743, n. 3986.

„Si nomen Episcopi alterius Dioecesis, in qua celebratur, ignoretur, dicitur tantum *Antistite nostro* mente intelligendo Episcopum illius loci. Mer. *loco cit.* et Cav. *ibid. n. 21.* Ut hoc praeveniatur, in Sacristia nomen Episcopi Ordinarii (pariter Patroni Ecclesiae) loco patente scriptum haberi debet." Deherdt.

(3) *Non alterius* etc. Nullum enim aliud nomen addi potest, secluso peculiari indulto S. Sedis. Cf. *pag. 3.*

(4) *Romae.* Ibi enim Ordinarius est Papa.

Rub. 3. Cum dicit, *Memento Domine* [1], elevans et jungens ([1]) manus usque ad faciem vel pectus, sic junctis manibus stat paulisper ([2]) in quiete, demisso aliquantulum capite, faciens Commemorationem Vivorum Christi Fidelium ([3]) ad suam voluntatem, quorum nomina, si vult, secreto commemoret: non tamen necesse est ea exprimere, sed mente tantum eorum memoriam habeat. Potest etiam ([4]) Celebrans, si pro pluribus orare intendit, ne circumstantibus sit morosus, ante Missam in animo proponere sibi omnes illos tam Vivos, quam Defunctos, pro quibus in

1) *Memento* originem traxit a Dypticis. „Scribebantur antiquitus nomina eorum quorum memoria facienda erat, in tabellis quae vocabantur *Dyptica.*"

„Porro *Dyptica* asseres quidam erant in quibus nomina scribebantur eorum, qui genere, dignitate, et munificentia, aut alio titulo spectabiliores ceteris erant et de Ecclesia optime meriti, nec non eorum, qui suas ad Sacrificium oblationes deferebant. Modus peragendi hanc Commemorationem variis temporibus, variisque in Ecclesiis varius fuit. Antiquioribus temporibus cum Sacerdos ad illa verba venisset *Memento, Domine famulorum, famularumque tuarum,* diaconus, acceptis Dypticis, offerentium nomina publice in ambone, aut etiam in altari recitabat. Aliquando ea legebat Subdiaconus ante cancellos: in Missis vero privatis Sacerdos ea nomina recitabat, non tamen omnium offerentium, sed eorum, qui praecipui essent, ne sacrae ceremoniae nimis producerentur." Fornici.

ipsa Missa orare intendit, et hoc loco generaliter unico contextu ipsorum Vivorum Commemorationem agere, pro quibus ante Missam orare proposuit in Missa.

(1) *Elevans,* non tamen extendens, *et jungens.* Cf. dicenda ad *Memento Defunctorum.*

Ad faciem. „Non tamen admovendo ori, uti nonnulli non satis decenter faciunt, stricte nimis hunc textum interpretantes." Lohner.

(2) *Paulisper*, id est, saltem per spatium unius *Pater.* Mer. *n.* 7 cum aliis. Nec tamen diutius est immorandum, praesertim in Missa publica.

(3) *Christi Fidelium,* non quidem limitative. Cum enim haec Oratio sit privata, non necessario restringitur ad Fideles, sed fieri potest etiam pro excommunicatis vitandis, infidelibus etc. Mer. cum Gav. etc. Cs. Cav. cum communi *h. l. n. 45.*

(4) *Potest etiam.* Alter proponitur modus, ne adstantes taedio afficiantur. — *Unico contextu,* v. g. *Memento* ... *famularumque tuarum,* mei illorumque omnium quos speciatim et generatim in praeparatione aut meditatione commendavi, seu pro quibus orare proposui. Ad hoc commodius agendum consultum est ut, in praeparatione ad Missam, aliqua pronuncietur ex formulis pro *Memento* quae in variis libellis aut tabellis reperiri solent inter Orationes dicendas ante et post Missam. Cf. dicta *tit. I.*

Rub. 4. Commemoratione Vivorum facta, demissis et extensis, ut prius, manibus, continuat, *Et omnium circumstantium* etc. Similiter stans prosequitur *Communicantes.* Cum dicit *Jesu Christi*, caput Cruci inclinat ([1]): in conclusione, quando dicit *Per eumdem*, jungit manus. Cum dicit *Hanc igitur oblationem,* expandit ([2]) manus simul super oblata, ita ut palmae sint apertae ([3]) versus ac supra Calicem et Hostiam; quas sic tenet usque ad illa verba *Per Christum Dominum nostrum;* tunc enim jungit manus, et sic prosequitur, *Quam oblationem tu Deus in omnibus, quaesumus,* et ([4]) cum dicit *Bene ✠ dictam, adscrip ✠ tam, ra ✠ tam,* communiter signat ([5]) ter super Hostiam et Calicem simul: deinde cum dicit, *Ut nobis Corpus,* separatim signat semel super Hostiam tantum; et cum dicit *Et Sanguis*, semel super Calicem tantum: deinde elevans ([6]) et jungens manus ante pectus, prosequitur, *Fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi*, et inclinans caput Cruci, extergit ([7]),

si opus fuerit (8) pollices et indices super Corporale, et dicit secreto, ut prius, *Qui pridie quam pateretur:* et accipiens (9) pollice et indice dextrae manus Hostiam, et eam cum illis ac indice et pollice sinistrae manus tenens, stans erectus ante medium altaris, dicit *Accepit panem in sanctas ac venerabiles manus suas,* elevansque ad coelum oculos, et statim demittens, dicit *Et elevatis oculis in caelum ad te Deum Patrem suum omnipotentem*, caputque aliquantulum inclinans, dicit *Tibi gratias agens,* et tenens Hostiam inter pollicem et indicem sinistrae manus, dextra producit signum Crucis super eam, dicens *Bene ✠ dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: accipite, et manducate ex hoc omnes.*

(1) *Caput* libro *inclinat*, cum occurrit nomen Mariae aut Sancti de quo celebratur Missa aut fit Commemoratio *(tit. V, 2).*

(2) *Expandit.* Interim in his locis pulsatur campanula a Ministro, ad praemonendos praesentes de instante consecratione.

(3) *Sint apertae*, cum pollice dextro super sinistrum (juxta *tit. III, 1*, et dec. 4 Aug. 1663, n. 2094, 5), et a palla uno circiter pollice distantes.

(4) Sinistra super altare posita (tit. III, 5), dextra *signat ter super Hostiam et Calicem*, incipiendo a medio pallae. Deinde, juxta Merati, Romsée aliosque, junguntur manus; secus autem juxta alios. „Post tertiam Crucem plures censent, manus ante pectus esse jungendas, et junctis manibus esse dicendum *Rationabilem, acceptabilemque facere digneris;* alii autem dicunt tertiam Crucem ad *Ratam* lente et cum aliqua pausa esse formandam, ita ut post tertiam manus non jungantur, et immediate Crux super Hostiam formari possit.“ Deherdt. Haec sententia tenetur a Gav. Cav. aliisque, et communior dici potest, atque Rubricis conformior; praeterea graves non videntur rationes allegatae favore prioris sententiae [1].

1) „Ratio est quod absoluto Crucis signo sub verbo *ratam,* manus indecore foret in aëre sustinenda usque ad signum Crucis sub verbo *Corpus;* quod inconveniens ut vitetur, manus sunt interea jungendae, praesertim cum in toto cursu Missae Celebrans aliquid benedicturus praevie debeat manus jungere.“ Nota ap. Romsée, *h. l.* At inconveniens adductum vix habetur in altera sententia (cf. tamen Mer.); et quod ad manuum junctionem attinet, sufficit ut fuerint junctae ante 1am crucesignationem, non solum pro 1a et 2a, sed etiam pro 3a.

(5) *Signat super Hostiam,* „manum deprimens paululum versus illam, ita ut manus signans sit juxta altitudinem nodi Calicis: quod semper est servandum, quando sola Hostia signatur." Romsée. Sed juxta Merati *n.* *16*, non demittitur manus dextra super Hostiam, et satis est, inquit, si Celebrans aliquantulum manum ad se retrahat, ut in linea transversa Crucis cadat super Hostiam. Praeplacet praxis a Romsée tradita.

(6) *Elevans.* Agitur de mera elevatione, absque extensione: haec enim neque in Rubrica, neque apud AA. requiritur.

(7) *Extergit,* dicens *Qui pridie.*

Si opus sit, „id est, ait Lohner, si humidi fuerint; unde, si nihil simile advertit, potest omittere, ne frequenti extersione Corporalia sordida efficiantur."

Sed, juxta Merati *n.* *17*, „melius erit eos extergere ad majorem reverentiam, et ne digiti sint humidi: extergit autem non in medio Corporalis... sed in ejus extremitatibus." Consulo sententiam Merati, sed extersio, seclusa necessitate, fiat leviter et semel aut iterum.

(8) Facta *Cruci* inclinatione, si Calix impediat quominus Celebrans possit legere verba consecrationis, quae ob periculum errandi nunquam memoriter proferri debent, removendus est parum versus cornu Evangelii intra Corporale. Ex Romsée.

(9) *Accipiens pollice* etc., indice sinistrae parum premente oram Hostiae.

Rub. 5. Si adsit vas cum aliis Hostiis consecrandis, antequam accipiat Hostiam, discooperit manu dextra Calicem, seu vas aliarum Hostiarum. Cum autem finierit supradicta verba, cubitis super altare positis (1), stans (2) capite inclinato, distincte, reverenter, et secreto *(pag.* *164*, *Rub.* 2*)* profert verba consecrationis super Hostiam, et simul super omnes, si plures sint consecrandae, et Hostiam suam, pollicibus et indicibus tantum, tenens dicit: *Hoc est enim Corpus meum.* Quibus prolatis, Celebrans tenens Hostiam inter pollices et indices praedictos super altare, reliquis manuum digitis extensis, et simul junctis (3) (et Hostiis, si plures sint consecratae, in loco, in quo a principio Missae positae sunt, super Corporale, vel in alio vase, aut Calice demissis) genuflexus (4) eam adorat. Tunc se erigens, quantum commode potest, elevat (5) in altum

Hostiam, et intentis in eam oculis (quod et in elevatione Calicis facit), populo reverenter ostendit adorandam: et mox (6) sola manu dextra ipsam reverenter reponit super Corporale in eodem loco, unde eam levavit, et deinceps pollices et indices non disjungit, nisi quando Hostiam consecratam tangere vel tractare debet, usque ad ablutionem digitorum post Communionem:

(1) *Positis*, quantum commode fieri potest, extra Corporale.

(2) *Stans*, manibus junctis, *capite* mediocriter *inclinato*, et (inquit Mer. cum Bauld. et a Portu) humeris eodem modo inclinatis, cum non possint cubiti super altare collocari cum sola capitis inclinatione.

Reverenter. Cum devotione interiori et exteriori, sine interruptione, sine praecipitatione, sine aspiratione, sine motu capitis. Cf. Romsée.

(3) *Junctis*, Corporale non tangentibus.

(4) *Genuflexus*, uno genu, *eam*, brevi morula *adorat*. „Ut a Celebrante commodius genuflectatur, retrahantur cubiti omnino extra altare, reductis ad extremitatem Corporalis ibique retentis solis manibus, usque ad pulsus... Porro supradicta genuflexio, quae fit unico genu post consecrationem, sicuti fit ante sumptionem Sacramenti, debet fieri cum majori reverentia, et ideo cum aliqua morula.“ Mer. Notanda est vox *morula*, ut vitetur defectus et excessus; et advertendum est praecipitationem cavendam esse in omni genuflexione.

(5) *Quantum commode potest, elevat* [1], ita scilicet ut altitudo Hostiae caput excedat, atque adeo a populo facile videri possit. Lohner. — *Reverenter*, nec festinanter, nec tamen nimis lente.

(6) *Mox*, id est, postquam Hostia a populo fuit per

1) Le Brun, *tom. 1, pag. 476,* ostendit ab initio usque XII saeculi Presbyteros consuevisse post finem Canonis, ubi ad ea verba pervenissent, *omnis honor et gloria,* Hostiam et Calicem elevare, quam nunc secundam seu parvam appellamus Elevationem; eam vero quae nunc fit post Consecrationem eo esse introductam, ut signum catholicae Fidei adversus Berengarii haeresim ederetur, qui vel realem Christi in Eucharistia praesentiam, vel panis conversionem in corpus Christi negavit, ut videre est apud Witasse...“ Bened. XIV, *sect. 1, n. 269.* Cs. Mer. *n. 22,* Fornici etc. Cf. Cav. *h. l. n. 16 et 21.*

morulam adorata, *ipsam reponit*, cavendo ne manipuli extremitates tangant eam Corporalis partem, ubi Hostia deponitur.

Rub. 6. Reposita Hostia consecrata super Corporale, genuflexus (1) ipsam veneratur: si adsit vas aliarum Hostiarum, Patena vel Palla cooperit ut supra [1]. Interim dum Celebrans elevat Hostiam, accenso prius intorticio (quod non extinguitur, nisi postquam Sacerdos Sanguinem sumpserit, vel alios communicaverit, si qui erunt communicandi in Missa), Minister manu sinistra elevat fimbrias posteriores planetae, ne ipsum Celebrantem impediat in elevatione brachiorum, quod et facit in elevatione Calicis, et manu dextra pulsat (2) campanulam ter ad unamquamque elevationem, vel continuate quousque Sacerdos deponat Hostiam super Corporale, et similiter postmodum ad elevationem Calicis.

(1) *Genuflexus*, etiam cum aliqua morula, *ipsam* veneratur „depositis manibus hinc et inde intra Corporale, sic ut manus sint erectae, hoc est quod palmae manuum non debeant poni super altare, sed tantum pars lateralis juxta parvos digitos, *quod semper observari debet in depositione manuum super altare a Consecratione usque ad Communionem inclusive.*" Romsée.

(2) Si nihil obstet, *pulsat campanulam*, ut populus excitetur ad adorandum SS. Sacramentum. — *Ter* vel *continuate ad elevationem,* id est incipiendo a genuflexione usque ad repositionem S. Hostiae vel Calicis. Quamvis alteruter modus permittatur, nihilominus congruit ut servetur praxis propriae Ecclesiae et unus aut alter continuo servetur.

1) *Cooperit ut supra.* Patet vas supponi relinqui super altare. „Unde approbandi non sunt illi, qui peracta Consecratione recondunt Pyxidem praedictam intra tabernaculum, vel extra aram super aliud Corporale. Card. de Lugo, *de Euchar. disp. 20, n. 69.* Reprehendi pariter sunt illi, qui nulla urgente necessitate, statim post consecrationem distribuunt populo illas Particulas tunc consecratas; quae cum pertineant ad idem Sacrificium, non licet eas dispensare Fidelibus, nisi peracto eodem Sacrificio. Quarti, de Lugo, et Tonnellius *loc. cit.* Si tamen urgente aliqua necessitate, ad aliud altare transferri debeat, statim peracta consecratione, praedicta Pyxis, in qua continentur Particulae de novo consecratae, tunc Celebrans retrahat se ad cornu Evangelii, et ibidem genuflexus utroque genu adoret. Tonnellius et Corsettus." Mer. *n. 23.*

Praeterea cavendum est in pulsanda campanula, ne nimius et incommodus fiat fragor et ne ita artificiose pulsetur, ut attentio potius ad pulsationem quam ad SS. Sacramenti adorationem feratur. Ad haec invigilent Ecclesiae Rectores. Cf. dicta *tit. VII, 8, ad 3.*

Rub. 7. Celebrans adorato Sacramento surgit, et discooperit (¹) Calicem, in quem, si opus sit, extergit digitos; quod semper faciat, si aliquod fragmentum digitis adhaereat (²), et (³) stans erectus dicit *Simili modo postquam coenatum est,* et ambabus manibus (⁴) accipiens Calicem juxta nodum infra cuppam, et aliquantulum illum elevans, ac statim deponens, dicit *Accipiens et hunc praeclarum Calicem in sanctas ac venerabiles manus suas* etc. Cum dicit *Item tibi gratias agens,* caput inclinat *(Sacramento);* cum dicit *Benedixit,* sinistra Calicem infra cuppam tenens (⁵), dextra signat super eum; et prosequens *Deditque discipulis suis* etc., et *(his dictis)* ambabus manibus tenens Calicem (⁶), videlicet sinistra pedem, dextra nodum infra cuppam, cubitis super altare positis, et capite inclinato, profert attente, continuate, et secreto ut supra, verba Consecrationis Sanguinis: *Hic est enim Calix* etc. Quibus dictis, reponit Calicem super Corporale, et dicens secreto *Haec quotiescumque feceritis,* etc. genuflexus Sanguinem reverenter adorat. Tum se erigit, et accipiens Calicem discoopertum cum Sanguine ambabus manibus, ut prius (⁷), elevat eum, et erectum, quantum commode potest, ostendit populo adorandum: mox ipsum reverenter reponit super Corporale in locum pristinum, et manu dextra palla cooperit, ac genuflexus Sacramentum veneratur.

(1) *Discooperit* ¹. „Pallam accipit digitis medio et indice, unito pollici dextrae manus, eamque a Calice remotam ponit super extremitatem veli existentis prope Corporale in cornu Epistolae.“ Cav. Mer. etc. Quod tamen non est

1) Gavantus, *h. l.,* quaerit cum Durando *cap. 46,* cur Hostia nunquam cooperitur, et Calix operitur? Et cum eodem respondet: „tum ob periculum ne quid in Calicem cadat; tum ob Mysterium, quia in Calice repraesentatur Christus ut in sepulcro, opertus Sindone, Sudario, lapide clauso, et signato; in Hostia vero, ut in Passione extra sepulcrum: quare tegi nunquam debet in Missa, Durandi judicio, Hostia sacra.“ — „Antiquitus quidem Calix coopertus consecrari poterat; nunc vero nonnisi discoopertus est consecrandus... Mer. *n. 26.*

ita intelligendum ut nulla pars palmae poni possit super extremitatem Corporalis, uti dictum est *tit. VII, 2,* cum Cav. et Mer. *ibi cit.* Cavalieri *t. v. c. 21, n. 14, ad tit. IX, 4,* haec scribit: „Diaconus discooperit Calicem, deponendo pallam super Corporale." Cf. *tit. X, 2.*

(2) *Si aliquod fragmentum digitis* adhaerere putat, ait Lohner, *extergit,* etc. Imo ad majorem cautelam, indices et pollices toties super Calicem paululum moveri solent contra se invicem, quoties Hostiam consecratam contrectarunt. Cs. Romsée.

(3) *Et.* Haec copula videtur indicare ea verba, *Simili modo*, incipi posse dum discooperitur Calix, ita ut tres actiones sic conjungerentur: discooperit, extergit, et stans dicit *Simili modo,* etc.

(4) *Ambabus manibus* etc., id est, capit inter indicem et medium utriusque manus nodum Calicis, qui nodus est infra cuppam. Janss. *n. 70.*

(5) *Tenens.* Calix non est deponendus ut manus jungantur ante crucesignationem. Vid. *tit. III, 5.* Cf. Gav. *h. l.*

(6) *Tenens Calicem* parum elevatum *(Rub. in Ord. Missae),* scilicet parum ad se elevatum (R. et J.), et ultimis tribus digitis sinistrae *pedem*, *dextra nodum*, ita v. g. ut nodus intercludatur pollice et indice unitis atque digito parvo a parte anteriori, et medio atque annulari a parte posteriori. Si Calix, attenta ipsius magnitudine, difficile teneatur elevatus a Corporali, tunc sufficere videtur ut pes ab una tantum parte a Corporali elevetur, altera illud tangente. Interim attendat Celebrans ne manicae albae tangant Hostiam.

De Consecratione guttarum vini, quae parietibus Calicis adhaerent, disputant Theologi. Cf. S. Lig. *de Euch. n. 215.*

Reponit. Calix enim tenetur elevatus infra Consecrationem.

(7) *Ut prius,* scilicet sinistra pedem et dextra nodum.

Erectum perpendiculariter.

Reponit, cavendo ne Hostia manipulo tangatur.

Cooperit, sinistra ad pedem apposita. Equidem juxta Mer. et Cav., sinistra ponitur super Corporale; sed praefertur sententia Romsée, supra *pag. 270.*

Genuflexus, ut supra, cum aliqua morula.

De Missa solemni.

Rub. 8. In Missa solemni ad finem Praefationis accenduntur duo saltem ([1]) intorticia ab Acolythis, quae extin-

guuntur post elevationem Calicis, nisi aliqui sint communicandi, et tunc extinguuntur post Communionem. In diebus etiam jejuniorum, et in Missis pro Defunctis, tenentur accensa usque ad Communionem. Cum autem Celebrans dicit *Quam oblationem* etc., Diaconus (²) accedit ad ejus dextram; et ibi in superiori gradu altaris genuflexus, cum Sacramentum elevatur, fimbrias planetae elevat, et quando opus est, se erigens, Calicem discooperit et cooperit, et cum Celebrante genuflectit. Subdiaconus genuflectit in loco suo (³). Thuriferarius (⁴) genuflexus in cornu Epistolae ter incensat Hostiam, cum elevatur, et similiter Calicem, posito incenso in thuribulum absque benedictione. Reposito Calice, Diaconus redit ad librum, nisi alius assistat. Caeteri surgunt, et stant in locis suis.

(1) *Duo saltem.* Pro solemni Missa Pontificali, sequentia ordinat Caerem. Ep. *l. 2, c. 8, n. 68.* „Dicto *Sanctus* etc., vel incoepto Canone, quatuor, sex, aut ad Summum octo Ministri, cottis induti, afferunt totidem funalia cerae albae accensa, et factis debitis reverentiis, collocant se, genuflexi hinc inde a lateribus Subdiaconi, tenentis Patenam, vel si magis commodum, ad latera altaris."

(2) *Diaconus,* qui ab initio Canonis stat a sinistris Celebrantis, ei assistendo, genuflectit dum dicitur *Quam oblationem,* et accedit ad dextram illius, ibique post signationes, si Calix impediat lectioni verborum Consecrationis, illum de medio versus cornu Epistolae removet, sed intra Corporale; item si adsit Pyxis cum Hostiis consecrandis, et haec etiam obsit lectioni formae Consecrationis, eamdem aliquantulum removet, sed nullatenus extra Corporale neque extra lapidem sacrum: illam detegit, et cooperculum extra Corporale deponit. Deinde, in superiori gradu genuflexus etc., ut in Rubrica. Si adsit Pyxis cum Particulis, eam cooperit et suo loco reponit.

(3) *Subdiaconus genuflectit in loco suo*, id est super infimum gradum ante medium altaris, caputque inclinat. „Si vero Patenam non teneat, etiam per totum Canonem stat post Celebrantem, et ut fit communiter, ad *Quam oblationem* in loco suo debitam reverentiam facit, et Diacono accedente ad dextram Celebrantis, ipse ascendit ad superiorem gradum altaris, ibi a tergo Celebrantis paululum versus cornu Evangelii flectit utroque genu, cum Diacono casulam dextra elevat, et factis elevatione Calicis ac genu-

flexione Celebrantis post illam, surgit atque ad locum suum recedit. In casu autem infra Elevationem SS. Sacramentum forsitan melius incensaret, ut in Missa solemni de *Requiem.*" Deherdt.

(4) *Thuriferarius*, facta inclinatione, *ter incensat Hostiam*, cum elevatur, id est, cum Celebrans adorat, elevat et deponit ad normam pulsationis campanulae. Praeter campanulam, pulsandae snnt campanae majores turris campanariae, ut populus admoneatur. Mer. *n.* 22, cum Gav. Corsetto et Castaldo.

TITULUS IX.

DE CANONE POST CONSECRATIONEM USQUE AD ORATIONEM DOMINICAM.

Rub. 1. Reposito Calice et adorato, Sacerdos stans ante altare, extensis manibus ante pectus, dicit secreto: *Unde et memores* etc. Cum dicit *De tuis donis ac datis*, jungit manus ante pectus: et cum dicit *Hostiam ✠ puram, Hostiam ✠ sanctam, Hostiam ✠ immaculatam*, manu sinistra (1) posita super altare intra Corporale, dextra signat ter communiter super Hostiam et Calicem, et semel super Hostiam tantum, et semel super Calicem tantum, dicens *Panem ✠ sanctum vitae aeternae, et Calicem ✠ salutis perpetuae:* deinde stans ut prius, extensis manibus prosequitur *Supra quae propitio,* etc. Cum dicit *Supplices te rogamus* etc., inclinat se (2) ante medium altaris, manibus junctis super illo positis. Cum dicit *Ex hac altaris participatione*, osculatur altare, manibus hinc inde super Corporale positis. Cum dicit *Sacrosanctum Filii tui,* jungit manus: et dextra signans semel super Hostiam tantum, et semel super Calicem, sinistra super Corporale posita, dicit *Cor ✠ pus et San ✠ guinem sumpserimus:* et cum dicit *Omni benedictione ✠ caelesti,* seipsum signat a fronte ad pectus signo Crucis, sinistra posita infra pectus (3), et prosequitur *Et gratia repleamur.* Cum dicit *per eumdem,* jungit manus.

(1) *Sinistra,* id est, ejus inferiore parte seu parvo digito.

(2) *Inclinat se* profunde *(Rub. in Ord. Missae)*, manibus super altare positis, ut *tit. IV, 1,* et non intra Corporale (dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 36). De profunda corporis inclinatione ad altare facta vid. *p. 16.*

(3) *Posita infra pectus*, juxta parvum digitum, ita ut palma caelum respiciat, pollexque et index juncti casulam

non tangant. Hic, sicuti ad *Agnus Dei,* sinistra apponitur ad pectus et non super altare, quia illud fit commodius, ut dicitur *tit. III, 5.*

Rub. 2. Cum dicit *Memento* [1] *Domine famulorum, famularumque tuarum* (¹) etc., extensis et junctis manibus ante pectus, et usque ad faciem elevatis (²), et intentis oculis ad Sacramentum super altare, facit Commemorationem fidelium Defunctorum, de quibus sibi videtur, eodem modo, ut dictum est de Commemoratione Vivorum. Qua Commemoratione facta, stans ut prius, extensis manibus prosequitur *Ipsis Domine et omnibus in Christo* etc. et in fine ad *Per eumdem,* jungit manus, et caput inclinat [2].

(1) *Tuarum* etc., usque ad *ipsis Domine* exclusive.

Junctis. Ita tarde extenduntur et junguntur manus, ut earumdem junctio fiat cum proferuntur verba *in somno pacis.* Romsée cum Mer.

Junctis manibus, capite inclinato etc., *facit Commemorationem* etc., id est, prout habet Ordo Missae, orat aliquan-

1) „Haec Oratio in vetustis monumentis Oratio *super Diptycha* appellatur, ob eam quam supra rationem attulimus. Mortuorum quondam nomina alta voce recitabantur, sicuti nomina Vivorum, ut diximus in *Memento* pro Vivis..... Episcopi etiam qui Ecclesiam rexerant, aliique aliarum Dioecesium, qui in catholica Fide et Communione obierant, nominabantur; nam si vel in haeresi, vel in schismate mortui essent, e sacris Diptychis expungebantur.“ Bened. XIV, *sect. 1, n. 299.* Cs. Cav. *t. 3, c. 11, n. 3.* Cf. notata *pag. 283.* Hujus praxis vestigium habetur in Mortuorum commendatione quae fit ad Missam, praesertim in Parochialibus Ecclesiis. — *Diptycha* derivatur a *διπτυχος.*

2) *Caput inclinat.* „Gavantus, *part. 2, tit. 9, litt. d,* putat id fieri quia Sacerdos dicturus est statim *Nobis quoque peccatoribus,* quae sunt verba maximae humilitatis; sed si res ita foret, non ad *Per eumdem,* sed ad *Nobis quoque* inclinatio deberet indici, ut juxta Ecclesiae praxim gestus corresponderet verbis. In hoc ego magis peculiare dicerem adesse mysterium, et est, quod ibi sermo est de Christo, in quo Mortui quiescunt, *et omnibus in Christo quiescentibus.* Quare cum Christus mortem nostram moriendo destruxerit, repraesentat sibi Sacerdos Christum morientem, qui inclinato capite, emisit spiritum; in memoriam igitur et venerationem illius gestus, quo Christus mortuus est, Sacerdos inclinat caput; nisi mavis dicere, inclinationem fieri in Commemorationem descensus, quem ad inferos fecit Christi spiritus pro liberandis Mortuis.“ Cav. *tom. 3, c. 11, n. 4.* Notandum est hanc esse unicam conclusionem sub qua caput inclinetur, licet in ea non exprimatur nomen *Jesu.*

tulum (per spatium unius *Pater*, ait Merati) pro iis Defunctis pro quibus orare intendit. Cf. dicta *pag. 213 et 284.*

(2) *Elevatis.* Manuum junctio et elevatio hic paulo aliter indicitur quam ad *Memento Vivorum, tit. VIII, 3,* ubi dicitur *elevans et jungens manus usque ad faciem vel pectus* etc. Juxta illam Rubricam, elevantur et junguntur, et juxta Rubricam h. t. simpliciter junguntur, ac proinde linea recta absque elevatione, ac junctae elevantur *usque ad faciem.* Exinde duo oriuntur dubia: 1° an ad primum et non ad secundum *Memento* elevandae sint manus, cum conjunguntur, et 2° quaenam sit ratio hujus disparitatis?

R. Ad 1. 1° Ad primum *Memento* ex sensu obvio Rubricae et communi doctrina Rubricistarum, manus simul elevantur et conjunguntur. 2° Ad secundum *Memento,* manuum extensio fit absque elevatione, et conjunctae elevantur: hic enim videtur sensus obvius Rubricae. Cs. Mer. Cav. S. Lig., Janss., Romsée etc. Attamen juxta Deherdt, Sacerdos, etiam ad hoc *Memento,* ita manus extendit, elevat et jungit, ut eas tum extendere et elevare incipiat, cum incipit dicere *Memento.* Sed haec expositio videtur repugnare textui Rubricae. Caeterum si ad praxim deducatur, notandum est manus non esse extendendas ultra humeros.

R. Ad 2. Hujusmodi rationem non reperi assignatam apud AA. Inde autem petenda videtur quod manus ante primum *Memento* sunt extensae, ante secundum vero conjunctae: unde cum in posteriori casu prius sint disjungendae et quidem linea recta, facilius est eas eodem motu, seu linea etiam recta, jungere et junctas elevare; in priori autem casu, nihil impedit quin elevari incipiant, dum conjunguntur.

Rub. 3. Cum dicit *Nobis quoque peccatoribus,* vocem aliquantulum elevat [1], et dextra (1) manu pectus sibi percutit, sinistra posita super Corporale, et prosequitur secreto *Famulis tuis,* etc. stans manibus extensis, ut prius. Cum dicit *Per Christum Dominum nostrum; per quem haec omnia Do-*

1) *Elevat vocem,* „publicanum imitatus evangelicum, pectus sibi percutit, simulque signo et voce exprimit se et adstantes peccatores esse, sed per pietatem Dei, non meriti aestimatoris, sed largitoris veniae, sperare partem et societatem cum Sanctis Apostolis et Martyribus quos ex distinctis Ordinibus invocat, diversos tamen ab illis qui in Canone ante consecrationem commemorati fuerunt...“ Fornici, *c. 30.*

mine semper bona creas, jungit manus ante pectus; deinde manu dextra ter signans communiter super Hostiam et Calicem, dicit *Sancti ✝ ficas, vivi ✝ ficas, bene ✝ dicis, et praestas nobis.* Postea discooperit manu dextra Calicem, et genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigit, et reverenter accipit Hostiam inter pollicem et indicem dextrae manus, et cum ea super Calicem, quem manu sinistra tenet circa nodum infra cuppam, signat[1] ter a labio ad labium, dicens *Per ✝ ipsum, et cum ✝ ipso, et in ✝ ipso.* Et similiter cum Hostia signat bis inter Calicem (2) et pectus, incipiens a labio Calicis, et dicit *Est tibi Deo Pa ✝ tri omnipotenti, in unitate Spiritus ✝ sancti.* Deinde tenens manu dextra Hostiam super Calicem, sinistra Calicem, elevat eum aliquantulum (3) simul cum Hostia, dicens *Omnis honor et gloria,* et statim utrumque deponens, Hostiam collocat super Corporale, et, si opus sit, digitos extergit, ut supra; ac pollices et indices ut prius jungens, Calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat.

(1) *Dextra,* id est, tribus digitis inferioribus unitis, cavendo ne pollex et index tangant planetam. In hac pectoris tunsione, caput non est inclinandum.

(2) *Inter Calicem.* Interim incurvetur brachium sinistrum, ne teneatur sub Hostia et forte super illud decidant fragmenta.

(3) *Aliquantulum*, scilicet, circiter ad latitudinem quatuor digitorum. Mer. Bened. XIV, *sect. 1, n. 312*, etc. „Olim quando S. Species post Consecrationem non elevabantur, haec Calicis et Hostiae elevatio altior, quam nunc, erat, tuncque fiebat, ut populus Sacramentum adoraret; cum autem S. Species nunc tantum parum eleventur, haec ratio adorationis non amplius subsistit, et elevatio considerari potest tanquam vestigium antiqui ritus; vel etiam dici potest, hanc elevationem fieri, ut Sacerdos hoc, quod verbis dicit, actione exprimat et demonstret; honor enim et gloria in Calicis et Hostiae elevatione manifestantur." Deherdt, *p. 2, n. 82.*

„Sub his ritibus in multis locis pulsatur campanula: id quidem fit praeter Rubricas: si tamen fiat, pulsanda est

1) *Signat ter ... bis.* Rationes mysticae harum crucesignationum exponuntur apud Bened. XIV, *sect. 1, n. 311.* Cf. S. Thom. *p. 3, q. 84, a. 5, ad 3,* Mer. et Cav. *h. l.,* Deherdt, *p. 2, n. 82,* et supra *pag. 21.*

non sub signationibus ad *Sanctificas* aut *Per ipsum*, sed sub elevatione Calicis et Hostiae, ut constat ex antiquo ritu, quo pulsabatur, ut populus sub elevatione attentus fieret, et Sacramentum adoraret. Vid. Pouget, *sect. 2, c. 7, §. 22, n. 25.*" Ibidem. Cf. Bened. XIV, *l. c.*

De Missa solemni.

Rub. 4. In Missa solemni cum Celebrans dicit *Per quem haec omnia* etc., Diaconus (¹) facta Sacramento genuflexione, accedit ad dextram Celebrantis, et quando opus est, discooperit Calicem, et cum Celebrante adorat; similiter cooperit, et iterum genuflectit. Cum incipit (²) *Pater noster*, idem vadit retro post Celebrantem, facta prius Sacramento genuflexione, ubi stat, dum dicitur Oratio Dominica.

(1) *Diaconus accedit,* „ita opportune, ut postquam Celebrans signaverit Calicem dicens *Sanctificas*, possit genuflectere cum Celebrante; aliter si prius accedat, ipse solus genuflectit ad dexteram Celebrantis, et postea genuflectit iterum cum illo." Mer. Cav. etc. Cum fiunt Cruces duos digitos dextrae apponit ad pedem Calicis (Caer. Ep. *l. 1, c. 9, n. 5,* Gav. Cav. *n. 14,* etc.); et, ait Romsée, sinistra elevat casulam juxta humerum dextrum Celebrantis.

(2) *Cum incipit.* Ubinam standum sit Diacono, dum Celebrans dicit *Per omnia saecula* etc., usque ad *Pater,* AA. non conveniunt. Juxta Caer. Ep. *l. 1, c. 9, n. 5*, Diaconus, „reposita Hostia super Corporale, tegit Calicem palla et redit ad locum suum." Quorum verborum obvius sensus est: Diacono ad suum locum esse redeundum *statim* ac Calicem cooperuit: *tegit Calicem et...* Quod autem attinet ad Rubricam Missalis, AA. dissentiunt in ea exponenda. 1° Sic redditur a Lohner. „Dum Celebrans Praefationem (ut loquitur Gavantus) ad *Pater noster* canit, ipse facta genuflexione vadit post Celebrantem, ibique stat usque ad verba *et dimitte...*" Lohner, *p. 3, tit. 2, §. 2, n. 3.* Cs. Janss. *n. 7.* Sed haec sententia non videtur consonare verbis Rubricae, *Cum incipit* etc. 2° Unde ea sic rejicitur a Cav. *h. l. n. 10.* „Cum, ait, Sacerdos incipit *Per omnia saecula,* hoc est Praefationem ad Orationem Dominicalem, Diaconus per totum tempus, quo Celebrans canit dictam Praefationem, stat, ut prius, ad dextram Celebrantis, et cum incipit Orationem Dominicalem illis verbis *Pater noster* etc., tunc et non

prius genuflectit, et se transfert post Celebrantem, quidquid in contrarium sentiat Lohner, quia inutiliter profecto a Rubrica praescriberetur duplex illa genuflexio, si statim sine mora deberet Diaconus descendere post Celebrantem." Cs. a Portu cum Bauldry. Ita etiam Baldeschi *h. l. n. 31.* 3° Juxta Romsée, cui assentit Deherdt, Diaconus, cooperto Calice, „genuflectit cum Celebrante, et vadit ad latus ipsius sinistrum, ubi renovat genuflexionem. Erectus, si necesse sit, quaerit Orationem Dominicam, eamque indigitat Celebranti; et dum hic incipit haec verba *Pater noster*, genuflectit, et redit ad locum suum retro post Celebrantem: excipe, nisi sit vertendum folium infra Orationem Dominicam; tunc enim solum discederet verso folio." Quaenam sententia sit conformior Rubricae, alii definiant. Quoad praxim, videtur esse distinguendum an habeatur necne Presbyter assistens aut saltem Caeremoniarius (ut supponunt Merati et Cavalieri) [1]. Si prius, potius videtur dari locus sententiae Cavalerii; si vero posterius, amplectenda tunc potius videtur sententia quam Romsée tradit.

An cum Celebrante genuflectendum sit non solum Diacono, sed etiam Subdiacono aliisque Ministris, non conveniunt AA, ut dicitur *sect. II, tit. 4.* Negat Lohner cum Gav. *h. l.* „Quas genuflexiones, ait, solus Diaconus, non autem alii Ministri cum Celebrante faciunt, quia solus Diaconus proprie illi assistit, ut notat Gav. *p. 2, tit. 9, lit. n.*" Cs. Merati etc. Sed „haec, inquit Janssens *h. l. n. 3,* non videntur, ni solida allegetur ratio, contra Rubricam supra *tit. II, n. 11,* admittenda." Vid. *p. 171 sq.*

Subdiaconus autem „si Patenam non teneat, ad quamlibet genuflexionem cum Celebrante genuflectit in plano, ubi stat, retro post Celebrantem *(Rub. gen. tit. XVII, n. 4):* se tunc quoque signat infra Orationem *Supplices* ad *omni benedictione,* et pectus percutit ad *Nobis quoque peccatoribus,*

1) Genuflexione facta a Celebrante et Diacono, Calice discooperto, tunc „Caeremoniarius faciens genuflexionem utroque genu in suppedaneo altaris, accedit ad librum ut inserviat Celebranti, vertendo folia etc., ne Diaconus cogatur importune accedere, et recedere ab uno latere ad aliud; assistit illi Caeremoniarius donec superveniat Subdiaconus dicturus cum Celebrante *Agnus Dei.*" Cav. *t. 5, c. 21, n. 14.* De duobus caeremoniarum Magistris constituendis et de eorumdem Officiis, vid. Caer. Ep. *l. 1, c. 5.*

Diacono hoc indicante aliquantulum per suam dextram se vertendo ad Subdiaconum.“ Deherdt *h. l.*

Quaeritur an Diaconus vel Subdiaconus respondere debeat *Sed libera nos a malo?*

Resp. cum Caval. *t. 5, c. 22, n. 12.* „Doctores non conveniunt; nos cum Bauldryo sequimur sententiam negativam. Quia in iis, in quibus Chorus respondet, nec Diaconus nec Subdiaconus debent respondere.“ Nihil tamen prohibere videtur quin possint respondere voce media.

TITULUS X.

DE ORATIONE DOMINICA ET ALIIS USQUE AD FACTAM COMMUNIONEM.

Rub. 1. Celebrans, cooperto Calice adoratoque Sacramento, erigit se, et manibus extensis hinc inde super altare intra Corporale positis, dicit intelligibili voce *Per omnia saecula saeculorum* [1], et cum dicit *Oremus,* jungit manus, caput Sacramento inclinans. Cum incipit *Pater noster,* extendit manus, et stans oculis ad Sacramentum intentis, prosequitur usque ad finem. Responso a Ministro *Sed libera nos a malo*, et a Celebrante submissa voce *Amen* (1), manu dextra, pollice et indice non disjunctis, Patenam aliquantulum purificatorio extergens (2), eam (3) accipit inter indicem et medium digitos; quam tenens super altare erectam, sinistra super Corporale posita, dicit secreto [2] *Libera nos quaesumus* etc.

(1) *Responso ... a Celebrante.* Hanc Rubricam violat Celebrans qui Patenam accipit antequam responderit *Amen.*

Submissa, id est, secreta [3] voce. Gav. Romsée etc.

1) *Per omnia saecula saeculorum.* „Haec clausula dicitur alta voce, ut Celebrans adstantem invitet populum (cujus nomine recitata sunt praecedentia *Canonis* verba), quatenus consensu suo confirmet ea, quae omnium nomine Sacerdos a Deo postulavit; qui consensus a populo exhibetur per vocem *Amen.*“ Supra *tit. VIII, 1,* notatum est cum sententia veriori, hic desinere Canonem.

2) *Secreto.* „Sacerdos hic, juxta expositionem Soti, tertio ad silentium revertitur, ut numerum silentiorum Christi compleat, quando in Horto, ut dicitur *Matth. XXVI, iterum abiit et oravit tertio.* „Cav. *tom. 5, c. 22, n. 5.*

3) „Dicitur autem secreto, ad significandum, quod nos latet, an exaudiamur in Oratione Dominica data nobis a Christo; et Deus hoc vult latere ne torpeamus.“ Gav. cum Ruperto, *litt. n.*

(2) *Extergens.* Rubrica non indicat modum extergendi Patenam. Varii modi a variis traduntur et servantur. Sequens, qui fere traditur a Romsée, convenientior videtur et ideo consulendus. Pars Patenae subtus Corporale posita premitur inferioribus digitis sinistrae (cavendo tamen ne Hostia tangatur manipulo, neve brachium sinistrum transferatur super eamdem, uti advertit Cav.), et adversa pars, parum elevata, una cum purificatorio accipitur inter indicem et medium dextrae; deinde sinistra manu tenetur Patena, et ejus pars inaurata aliquantulum extergitur, mediante ea purificatorii parte, quae opposita est Celebranti et revoluta infra inferiores digitos dextrae; haec autem extersio non fiat supra aut prope Hostiam, sed, ut tradit Romsée, intra Corporale versus cornu Epistolae. Extersio tamen etiam fieri potest extra Corporale.

(3) *Eam* purificatam accipit. Abstersa Patena, purificatorium ponitur prope Corporale versus cornu Epistolae. Janss. et Romsée.

Super Altare. Ex hoc textu eruendum est Patenam non esse ponendam super, sed extra Corporale; unde „praxis Rubricis in sensu rigoroso conformior videtur, juxta quam accuratiores Rubricistae purificatorium extra Corporale, ut prius fuerat, collocant, et super eo Patenam ponunt, ut extra Corporale posita sit, et simul etiam verum sit, illam super altari, saltem mediate, positam esse." Lohner *h. t.*

Erectam, parte concava Hostiam respiciente.

Rub. 2. Antequam Celebrans dicat *Da propitius pacem,* elevat manu dextra Patenam de altari, et seipsum cum ea signat a fronte ad pectus [1] signo Crucis, dicens *Da propi-*

1) *Seipsum signat.* Hoc signum Crucis, hoc osculum Patenae et haec submissio Patenae subtus Hostiam explicantur a Natali Alex. in sensu mystico. „Natalis Alexand., *lib. 2, Theolog. Dogmat. et Moralis cit. art. 6, num. 10,* ait, Ritum hunc ad pium sanctarum mulierum Officium referri, quae *emerunt aromata, ut venientes ungerent Jesum; et valde mane una Sabbathorum venerunt ad monumentum orto jam sole, et dicebant ad invicem: Quis revolvet lapidem ab ostio monumenti?* Patenam enim hujus lapidis esse Symbolum, sibique Crucis signum Sacerdotem facere, ut annunciet, per Crucem, et per hoc Sacrificium pacata esse omnia in coelo et in terris; Patenam osculari, ut ostendat Christum desiderio satisfecisse sanctarum mulierum, quibus obviam occurrit, et salutavit dicens *Amen;* illae autem in genua provolutae Christi amplexae sunt pedes, ac fortasse, quod verisimile est, osculatae." Bened. XIV, *sect. 1, n. 328,* qui *n. sq.* haec subjungit: „Mysti-

tius pacem in diebus nostris. Cum signat se, manum sinistram ponit infra pectus ([1]): deinde Patenam ipsam osculatur, et prosequens *Ut ope misericordiae tuae* etc. submittit ([2]) Patenam Hostiae, quam indice sinistro accommodat super Patenam, discooperit Calicem ([3]), et genuflexus Sacramentum adorat: tum se erigens, accipit Hostiam inter pollicem et indicem dextrae manus, et cum illis, ac pollice et indice sinistrae manus eam super Calicem tenens, reverenter frangit ([4]) per medium, dicens *Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum,* et mediam partem, quam inter pollicem et indicem dextrae manus tenet, ponit super Patenam: de alia media, quam sinistra manu tenet, frangit ([5]) cum pollice et indice dextrae manus particulam, prosequens *Qui tecum vivit et regnat* etc., et eam inter ipsos dextrae manus pollicem et indicem retinens, partem majorem, quam sinistra tenet, adjungit ([6]) mediae, super Patenam positae, interim dicens *In unitate Spiritus Sancti Deus:* et particulam Hostiae, quam in dextra manu retinuit, tenens super Calicem, quem sinistra per nodum infra cuppam retinet, intelligibili voce dicit *Per omnia saecula saeculorum:*

cam hanc explicationem nos minime explodimus. Ejus tamen ritus rationem afferemus, quae ex naturali deducitur serie actionum, quae partim gestae sunt, partim geruntur. Patena ad Offertorium opus est, super quam panis consecrandus imponatur. Post panis seu Hostiae oblationem, Patena statim Corporali supponitur; ea enim nihil opus est usque ad Communionem; hinc est, quod in Missis privatis Sacerdos eam Corporali subjicit, et in Missis cantatis traditur Subdiacono, qui eam velo involutam teneat. Atque inde fit, ut cum dicit Sacerdos *Libera nos, quaesumus Domine,* appetente tempore, quo se communicet, et adstantibus Eucharistiam praebeat, ubi Patena opus est, ipsemet in Missa privata, eo quem ostendimus modo, Patenam prehendit: in Missa vero cantata Subdiaconus Sacerdoti eam tradit celebranti. Vid. Pouget, *Instit. Catholicar. tom. 2, pag. 870,* ubi illud etiam observat, in Ecclesiis, ubi mos est, ut Diaconus Patenam populo ostendat, idcirco id fieri, quo ad Communionem populus invitetur... Jam vero Sacerdos Patena sibi Crucis signum ducit, eamque osculatur, quia Patena instrumentum est pacis, et vas ubi sacra ponitur Eucharistia, quae Christianorum est pax; eaque utitur ad signum sibi Crucis faciendum; per Crucem enim Christus ea omnia disjecit, quibus pax nostra perturbatur: *Ipse est pax nostra* etc. *Solvens inimicitias in carne sua,* inquit Apostolus ad Ephesios; ideo vero Patena Hostiae subjicitur, quo facilius tolli possit Hostia jamjam frangenda, ut mox dicemus. Vide Le Brun, *tom. 1, pag. 571.*"

℟. *Amen*; et cum ipsa particula signans ter (7) a labio ad labium Calicis, dicit *Pax Domini sit semper vobiscum.* Responso per Ministrum *Et cum Spiritu tuo,* particulam, quam dextra manu tenet, immittit in Calicem (8), dicens secreto *Haec commixtio et consecratio Corporis* etc. Deinde pollices et indices super Calicem aliquantulum tergit, et jungit, Calicem palla cooperit, et genuflexus Sacramentum adorat, surgit, et stans junctis manibus ante pectus, capite inclinato (9) versus Sacramentum, dicit intelligibili voce *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi,* et dextra percutiens sibi pectus, sinistra super Corporale posita, dicit *Miserere nobis,* et deinde non jungit manus, sed iterum percutit sibi pectus, cum dicit secundo *Miserere nobis,* quod et tertio facit, cum dicit *Dona nobis pacem.*

(1) *Infra pectus,* ut *tit. IX, 3. Patenam osculatur* congruentius in extremitate seu ora (dec. 24 Jun. 1683, n. 2876, 5); non enim decet osculari partem ubi ponitur S. Hostia.

(2) *Submittit.* „Modus convenientior videtur, ut Sacerdos Patenam S. Hostiae submittat ex parte cornu Epistolae, Hostiamque indice sinistro accommodet super mediam Patenam vel circa extremitatem Patenae, ut S. Hostia facilius accipi possit; tum Patenam, S. Hostia ei imposita, parum e medio Corporalis removeat versus cornu Epistolae, ne Patena locum, quo S. Hostia posita fuit, attingat, et sacrae Particulae inferiori parti Patenae adhaereant. Alii dicunt Patenam in medio Corporalis esse collocandam, et ad dictum periculum praecavendum eamdem parum esse elevandam super pedem Calicis.“ Deherdt.

(3) *Discooperit Calicem,* et pallam deponit de more super Corporale ex una parte, et ex alia super velum. Cav.

(4) *Reverenter frangit,* magna cum cautione, ne Particulae prosiliant extra Calicem, imo extra Corporale; interim mente revolvat aliquod ex mysteriis quae in fractione et immixtione Hostiae repraesentantur *(p. sq.)* Cav. *n. 9.*

Circa Hostiae fractionem, Deherdt *h. l.* sequentia notat: „Plures, dum ante Missam praeparant Calicem, ducere lineas fractionis cum Patena super Hostiam in palla positam, quia sic commodius et securius frangitur, et partes ab invicem nitidius separantur. Circa hanc autem praxim ulterius notandum est 1° de ea nihil in Rubricis haberi, adeoque non necessariam esse, sed utilem et convenientem dici

posse: 2° eas lineas valde tenues esse debere, ne adstantibus appareant, et ne S. Hostia tempore Sacrificii in duas partes abeat: 3° medium aptius et securius esse, si Hostiarum confectores lineas fractionis in laminis ferreis imprimi curent." *not. 3.*

„Si lineae non sint factae, commodum modum Hostiam in duas partes aequales frangendi esse, ut in suprema, media et infima parte medietatis Hostiae prius fiat modica fractio et deinde tota Hostia frangatur, incipiendo a parte superiori." *Ibid. not. 4.* Cf. Janss. *n. 23 sqq.*

(5) *Frangit* a parte inferiori (dec. 4 Aug. 1663, n. 2094, 6): sic enim fragmenta, si quae sint, decidunt in Calicem. Hujusmodi fractio fit ex usu antiquo [1], et quidem tum ad imitationem Christi Domini qui panem benedixit ac fregit [2], tum propter alias rationes mysticas [3].

(6) *Adjungit.* „Aliqui sic mediae parti jungunt alteram mediam, ut tota rotunditas appareat; alii eamdem super alteram nonnihil imponunt, ut facilius et sine fragmentorum periculo arripi ea possit: neutri contra Rubricas agunt, cum hae nihil circa hunc junctionis modum determinent." Lohner.

1) In Ecclesia Occidentali „olim, inquit Bened. XIV, *sect. 1, n. 319,* Hostia in tres dividebatur partes, quarum una immittebatur in Calicem, alteram manducabat Sacerdos, tertia, quia qui consecrabatur panis, major erat et latior, quam quo nunc utimur, in plures frangebatur particulas, adstantibus vel infirmis communicandis; cujusmodi ritus etiamnum extant in Missa solemni summi Pontificis quaedam vestigia, et in Missa quae celebratur in consecratione Episcopi..."

2) Cf. Bened. XIV, *sect. 1, n. 328,* ubi allato Christi exemplo, asserit nullam esse Liturgiam, in qua Hostiae fractura non praescribatur.

3) „Plures rationes mysticas SS. Rituum Scriptores afferunt, cur Hostia in tres partes frangatur... Nos vero satis esse putamus, quae hac de re scripsit D. Thomas, afferre. Itaque *part. 3, q. 83, a. 5, ad 8,* sequutus Can. *Triforme de Consec. dist. 2,* ait S. Doctor, Hostiam quae immittitur in Calicem, significare in Caelo cum corpore et anima esse Christum, B. Virginem, et si qui alii Sancti cum corporibus sunt in gloria; partem, quam sumit Sacerdos, innuere ambulantes adhuc in terra, qui Sacramentis utuntur, et ita *passionibus conteruntur,* ut panis comesus dentibus atteritur; tertiam denique partem, quae olim in altari pro infirmis reservabatur, significare eos, quorum corpora usque ad judicii diem jacebunt in sepulcro, animae vero sunt vel in Purgatorio, vel in Caelo." Ben. XIV, *l. c. n. 330.*

Interim, scilicet, dum unam partem altari adjungit.

(7) *Signans ter*, ut adnotatur in Ordine Missae. Quibus Crucis signis vel innuitur Christum Jesum tertia die ad vitam rediisse, uti docet S. Th. *l. c. ad 3*... vel significatur SS. Trinitatem Christi Crucifixi animam ejus corpori reddidisse... Bened. XIV, *sect. 1, n. 331*.

(8) *Immittit in Calicem* prope labium, sibi vicinum, quo facilius hauriri possit cum SS. Sanguine. Quandoque tamen Calix istiusmodi est structurae, ut particula adhaereat parieti, si contra hanc immittatur: in tali casu immittitur in medium. Haec autem commixtio repraesentat Christi resurrectionem, et ejus origo repetenda non est a Communione sub utraque specie [1].

(9) *Capite profunde inclinato*, cum aliquali scilicet humerorum incurvatione *(pag. 17)*. In Ordine Missae, Celebrans dicitur *inclinatus Sacramento*: unde concludendum videretur corporis inclinationem praescribi; sed haec verba exponenda et intelligenda sunt juxta praesentem Rubricam, ut dictum est *tit. VIII*; addi potest Celebrantem sibi pectus difficulter percutere, si sit corpore inclinatus. Quoad diversas Auctorum sententias, advertendum est discrepantiam partim esse de nomine, quia non omnes eodem modo dividunt inclinationes *(p. 14 sq.)*.

Dextra, id est, tribus ultimis digitis extensis et unitis.

1) »Actio haec particulam Hostiae immittendi in Calicem est plena mysterii. In Missa usque ad hanc, de qua loquimur, partem, Jesu Christi Passio et mors repraesentatur per Consecrationem Corporis et Sanguinis separatim factam, vi Consecrationis sub specie panis Corpore Christi; et sub vini specie sanguine subeunte: et quamvis separatio haec tantummodo mystica sit, neque re ipsa Corpus est sine Sanguine, nec Sanguis vicissim sine Corpore; tamen mystica hac separatione Corporis a Sanguine, et Sanguinis a Corpore expresse Christi Passio et mors nobis repraesentatur. Reliquum erat, ut gloriosa exprimeretur Christi Resurrectio; neque id concinnius fieri poterat, quam si Hostiae particula immitteretur in Calicem, atque ita Corpus iterum conjungeretur cum Sanguine, quod bene observavit Micrologus.... Hujus actionis quidam originem referunt ad ritum exhibendi populo Communionem sub utraque specie... Nos vero profitemur, non alio ritum hunc immittendi in Calicem particulam Hostiae referri, quam ad causam repraesentandae Resurrectionis Christi...« Bened. XIV, *sect. 1, n. 334*. Cf. *ibid. n. 335*. Ubi explicatur Oratio *Haec commixtio* etc.

Magis decet ut dextra, post singulam tunsionem, non reponatur super altare: sed potius lente moveatur et aliquantisper retineatur contra pectus.

Rub. 3. Tunc manibus junctis supra altare positis (1), oculisque ad Sacramentum intentis, inclinatus dicit secreto *Domine Jesu Christe* etc. Qua Oratione finita, si (2) est daturus pacem, osculatur altare in medio, et instrumentum pacis ei porrectum a Ministro juxta ipsum ad dextram, hoc est in cornu Epistolae, genuflexo, et dicit *Pax tecum.* Minister respondet (3) *Et cum Spirito tuo.* Si non adsit, qui hujusmodi instrumento pacem recipiat a Celebrante, pax non datur, etiamsi illius datio Missae conveniat; nec osculatur altare, sed dicta praemissa Oratione, statim subjungit alias Orationes, ut in Ordine Missae.

(1) *Positis,* ut *tit. IV, 1.* Cf. pt. dec. 7 Sept. **1816,** n. 4376, 35. — Mediocriter *inclinatus* corpore, *dicit* etc. Ad nomen *Jesu* facienda non est specialis inclinatio capitis: satis enim comprehenditur in inclinatione corporis, uti dictum est *tit. V, 2.* Cs. Cav. et Merati contra quosdam.

(2) *Si.* Pax in Missis privatis regulariter non datur, nisi Praelatis et Magnatibus. Mer. In Missis privatis, inquit Cav. *h. l.,* modo Celebrans non dat pacem Ministro. Pro Missa privata, cui assistit Episcopus, cf. Caer. *l. 1, c. 30, n. 2,* et *c. 24, n. 11,* necnon *App. I ad hanc sect.*

Osculatur altare [1] (sed non genuflectit), et deinde *Instrumentum pacis,* quod a Ministro accipit [2]. „Olim dabatur pax cum osculo... Nunc non amplius datur per osculum, sed per amplexum; vel parva quaedam praebetur ad osculum tabella, quam quidem Osculatorium appellant, in qua Crucifixi imago depicta est. Card. Bona *l. c.* existimat osculo sive amplexum, sive tabellae osculum fuisse a Franciscanis Fratribus substitutum, qui cum aliquot mutassent ritus, etiam hunc non sine ratione, propter malitiam hominum mutandum existimarunt...“ Ben. XIV, *sect. 1, n. 336.*

(3) *Respondet* etc. „Tum, facta genuflexione, accedit ad Praelatum et alios, quibus idem instrumentum porrigit, facta tantum reverentia post pacem datam unicuique. Velum

1) *Osculatur altare,* ut ostendat se pacem dare non posse, nisi a Christo, cujus figura est altare, prius acceperit. Ben. XIV.

2) Docet S. Thomas, *p. 3, q. 83, a. 4, in corp.,* populum praeparari per pacem ad Sacramentum percipiendum, quod est Sacramentum unitatis et pacis.

quoque adhibebit colori Missae conveniens, quo qualibet vice terget illud, antequam alter osculetur, si plures sint Praelati; alias non tergat, nisi Praelatis. Neque vero danda est pax hoc loco cuicumque, sed personae vel personis valde insignibus.« Gav. *litt. f.*

Rub. 4. Si vero celebret pro Defunctis, non percutit pectus ad *Agnus Dei,* quia dicit *Dona eis Requiem;* nec dicit primam Orationem *Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis* etc., non dat pacem, sed dicit alias duas sequentes Orationes *Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi,* etc. *Perceptio Corporis tui,* etc. Quibus Orationibus dictis, genuflectens Sacramentum adorat, et se erigens (1) dicit secreto *Panem caelestem accipiam,* etc. quo dicto, dextra manu accipit de Patena reverenter ambas partes Hostiae, et collocat (2) inter pollicem et indicem sinistrae manus, quibus Patenam inter eumdem indicem et medium digitos supponit, et eadem manu sinistra tenens partes hujusmodi super Patenam inter pectus et Calicem (3), parum inclinatus, dextra tribus vicibus percutit pectus suum, interim etiam tribus vicibus dicens voce aliquantulum elevata *Domine non sum dignus;* et secreto prosequitur *ut intres* etc. Quibus tertio dictis, ex sinistra accipit ambas partes (4) praedictas Hostiae inter pollicem et indicem dextrae manus, et cum illa supra Patenam signat seipsum signo Crucis, ita tamen, ut Hostia non egrediatur limites Patenae, dicens *Corpus Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen:* et se inclinans, cubitis super altare positis, reverenter easdem ambas partes sumit: quibus sumptis, deponit Patenam (5) super Corporale, et erigens se, junctis indicibus et pollicibus, ambas quoque manus ante faciem jungit, et aliquantulum quiescit in meditatione Sanctissimi Sacramenti. Deinde, depositis manibus, dicit secreto *Quid retribuam Domino pro omnibus, quae retribuit mihi?* et interim discooperit Calicem (6), genuflectit, surgit, accipit Patenam, inspicit Corporale, colligit fragmenta cum Patena, si quae sint in eo, Patenam quoque diligenter cum pollice et indice dextrae manus super Calicem extergit, et ipsos digitos, ne quid fragmentorum in eis remaneat.

De iis quae omittuntur in Missis Defunctorum, vid. *tit. XIII.*

(1) *Se erigens dicit:* sensus non est, se erigendo, seu dum se erigit, dicit; sed, *surgit,* et erectus *dicit,* juxta Rub.

pecul. in Canone. Caeterum hoc participium adhibetur eodem sensu *pag. 300, lin. 6*[a], *erigens se accipit Hostiam;* item initio Canonis, *extendens,* etc., ut dicitur *p. 281.*

Accipit, cavendo ne fragmenta decidant.

De Patena. Rubrica supponere videtur Patenam nondum fuisse e Corporali levatam. Attamen juxta Rubricam feriae VI in Parasceve, Celebrans *accipit Patenam cum Corpore Christi;* quibus verbis insinuatur Patenam sumi *simul* cum Hostia, ac proinde Hostiam accipi de Patena jam posita inter medium et indicem sinistrae. Qui modus refertur a Janssens *n. 64,* tanquam ab aliis traditus, nec ab ipso reprobatur. Fatendum quidem est Hostiam, hoc modo, facilius excipi e Patena; sed hic modus non facile conciliatur cum verbo *supponit,* nisi forte dicatur hoc verbum, *supponit,* non indicare actum hic et nunc supponendi Patenam, sed actum eamdem tenendi suppositam. Aliquis forte etiam asseret hic agi non de ritu praeceptivo, sed de modo mere directivo. Vid. dicta *tom. I, p. 11,* et supra *pag. 243.*

(2) *Collocat,* unam super alteram ponendo, aut unam juxta alteram ita adaptando, ut Hostia appareat integra.

(3) *Inter pectus et Calicem,* ita tamen ut Hostia non impediat pectoris tunsionem. Digiti autem sint a Corporali elevati, nisi forte, ut advertunt Merati et Janssens, ob debilitatem manus, digitus minimus Corporale attingere debeat.

Percutit modeste et cum sensu pietatis.

(4) *Accipit ambas partes,* unam ita alteri supponendo, ut utraque linguam attingat, nec superior ab ore decidat.

Ad nomen *Jesu,* caput inclinat, juxta *tit. V, 2.* Cs. dec. 24 Sept. 1842, n. 4804, 1. Oppositum docuit Cavalieri.

Sumit. Monet hic Merati Celebrantem, ne indecenter dentibus comminuat S. Hostiam. Si tamen, uti advertit Baldeschi, S. Hostia commode deglutiri nequeat, nisi dentibus aliquatenus prematur, tunc id fieri posse videtur absque ulla indecentia.

(5) *Deponit Patenam,* supra quam extergit digitos, si opus sit. Deponitur autem super Corporale, sed non ubi erat S. Hostia; et quo facilius accipiatur, pars extrema reponi potest super pedem Calicis.

Quiescit, capite paululum inclinato, tempore circiter unius *Pater.* Cav. Romsée etc. Notandum est cum De-

herdt, „si palato aut dentibus aliquod fragmentum adhaereat, id nunquam digito sed lingua inde reverenter esse amovendum; et, si id non succedat, non ideo immorandum meditationi cum admiratione adstantium, sed sumendum esse sanguinem, et cum eodem aut cum ablutione S. Hostiam esse deglutiendam."

(6) *Discooperit.* „Si Celebrans exploret Calicem a suo loco esse removendum, ut fragmenta diligentius colligantur, hunc removeat statim ac discooperit, et postea genuflectat, ne cogatur bis genuflectere." Cav. *n.* 22. Mer. etc. Juxta Romsée, Calix removetur ante *Domine non sum dignus.* Ad cornu Evangelii commodius removetur.

Interim Minister accedit ad Credentiam ut accipiat ampullas; redit ad cornu Epistolae, ibique genuflectit donec infundendum sit vinum in Calicem: debet tamen opportune se erigere.

Accipit Patenam, et, si aliquod notabile fragmentum appareat, illud statim in Calicem immittit, ne forte decidat.

Inspicit Corporale etc. Haec verba, spectato fine in Rubrica praecedenti expresso, sic exponenda videntur: Inspicit Corporale, illud Patena leviter extergendo, sicque colligit fragmenta si quae sint, eaque in Calicem immittit. Mera namque oculis inspectio non conduceret ad finem hic intentum, qui est, sicuti tradit Rub. 5, *ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super Corporale.* Hinc Merati, *ad Rub. 5, n. 17,* dicit Corporale semper esse diligenter extergendum cum Patena, sive Sacerdos videat, sive non videat fragmenta. Equidem major est necessitas extergendi Corporale, quando plures in eo positae sunt Hostiae; attamen nec omnis abest necessitas ubi super illud una tantum consecratur Hostia. Cf. Janss. *h. l. n. 78.*

Colligit... si, etc. Quamvis nullum appareat fragmentum, convenit tamen ut ora Patenae leviter [1] ducatur super mediam partem Corporalis, ad colligenda fragmenta quae

1) „Hic adverti potest nonnullos esse emendandos qui fricant et perfricant Patenam, ut ab ea tollant Particulas ibi ordinarie non existentes; quique in siccando Calice, illum vertunt et revertunt, omni manus conatu fundum et labia ejus prementes cum purificatorio: haec enim praxis non modo est superflua, sed et noxia vasis sacris, quorum inauratio brevi tollitur, et adstantibus fastidiosa; adeoque in his sicuti in aliis unicuique sufficiat diligentia moralis." Nota ap. Romsée, *h. l.*

probabiliter latent; et dum ita ducitur Patena, pars anterior Corporalis sinistra tenetur et aliquantulum elevatur, unitis semper pollicibus et indicibus; deinde eadem anterior pars Corporalis poterit revolvi supra Patenam suppositam. Haec licet a Rubrica non explicite praescribantur, praetermittenda non sunt; in hac enim actione nulla rationabilis diligentia est omittenda qua vitetur periculum *ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super altare. (Rub. 5.)* Aliunde etiam cavendum est ne Corporale inutiliter fricetur ubi nullum potest rationabiliter supponi fragmentum; pariter nimis fricanda non est Patena: hoc enim superfluum est ad colligenda fragmenta, et insuper noxium Corporali et Patenae.

Cum pollice et indice, id est cum pulpa utriusque, et nunquam parte laterali, quia difficile avelli possent fragmenta ei adhaerentia. Patenam sinistra tenet, non tamen a parte qua fragmenta collegit, et sedulo advertit ne quod fragmentum extra Calicem decidat. Cf. Deherdt *n. 27, II.*

Rub. 5. Si vero adsint Hostiae consecratae super Corporale positae pro alio tempore conservandae *(discooperto Calice ut supra)* facta prius genuflexione, reponit eas in vas ad hoc ordinatum, et diligenter advertit, ne aliquod fragmentum, quantumcumque minimum, remaneat super Corporale; quod si fuerit, accurate reponit in Calicem. Post (1) extersionem Patenae, junctis pollicibus et indicibus Calicem dextra manu infra nodum cuppae accipit, sinistra Patenam, dicens, *Calicem salutaris,* etc. et signans se signo Crucis cum Calice, dicit, *Sanguis Domini nostri,* etc., et manu sinistra supponens Patenam Calici, stans reverenter sumit (2) totum Sanguinem cum particula (3) in Calice posita. Quibus sumptis (4) dicit secreto, *Quod ore sumpsimus,* etc. et super altare (5) porrigit Calicem Ministro in cornu Epistolae; quo vinum fundente (6) se purificat: deinde (7) vino et aqua (8) abluit pollices et indices super Calicem, quos abstergit (9) purificatorio, interim dicens: *Corpus tuum Domine, quod sumpsi,* etc. ablutionem sumit, et extergit os et Calicem purificatorio; quo facto purificatorium extendit super Calicem (10), et desuper Patenam, ac super Patenam parvam Pallam: et plicato Corporali, quod reponit in bursam, cooperit Calicem velo, et bursam desuper ponit, et collocat in medio altaris, ut in principio Missae.

(1) *Post* collectionem fragmentorum, et *extersionem,*

Patenae, Calicem accipit infra nodum, id est (Jans.), ipsum nodum, qui est infra cuppam, ut *tit. VII, 5,* et *tit. VIII, 7.*

Dicens. Ex hac Rubrica patet verba, *Calicem salutaris,* tunc tantum esse incipienda cum accipitur Calix. Nec deest ratio: terminata enim fragmentorum collectione, ea verba attentius et majori cum devotione dicuntur. Unde, juxta dicta, *tit. VIII, 1,* Rubrica posita in Canone Missae intelligenda est ad normam praesentis. — Ad nomen *Jesu,* caput inclinatur ut Rub. praec.

(2) *Reverenter sumit.* „*Juxta* S. Alph. de Lig. *lib. 6, n. 408,* et Quarti *p. 2, tit. 10, sect. 1, dub. 6,* decentius est, ut S. Sanguis sumatur unico haustu; sed *juxta* Cav. *t. 5, c. 24, n. 22,* et Mer. *p. 3, tit. 10, n. 20,* duplici haustu; et *juxta* Durand. *lib. 4, c. 54, n. 12* et Gav. *p. 2, tit. 10, Rub. 5, litt. n.* triplici haustu, ter Calicem ori admovendo, vel melius triplici quidem haustu, sed Calicem ab ore non retrahendo, ne interea sacer Sanguis effluat. Primus modus cum Quarti videtur praeferendus..." Deherdt. Nobis tamen praeplacet ultimus modus, a Romsée traditus, ut scilicet triplici sumatur haustu, quin tamen Calix ab ore removeatur. Idem modus permittitur a Deherdt per exceptionem. „Sacerdos autem, ait, qui commode aut sine impedimento S. Sanguinem unico haustu sumere nequit, ut ex ore arido aut raucitate gutturis accidere potest, triplici haustu ita sumere potest, ut prima vice parum, secunda fere totum, et tertia Calicem totaliter ebibat; plures autem quam tres haustus non adhibeat." Ad ultimum haustum reliquiae non sunt ad os attrahendae nimia aspiratione, neque lambendus est Calix; sed aliquantisper immorari potest ut in os effluant. Attamen nec nimis immoretur cum adstantium admiratione.

(3) *Cum Particula.* „Si sumendo Sanguinem, Particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum et sumat" cum purificatione. *Rub. de def. tit. 10, n. 8.* Posterior modus videtur decentior [1], et usurpatur frequentius, ait

1) „Etsi enim, inquit Bened. XIV *l. c.,* contingere potest, ut Sacerdos guttam aliquam vini hauriat, antequam Particulam deglutiat, et rumpatur naturale jejunium; tamen Sacerdos jejunus ad altare accessit, nec nisi coactus reverentia erga Sacramentum, et obligatione illud perficiendi eo modo utitur ad

Bened. XIV, *de Sac. M. sect. 2, §. 145;* qui autem, ait Deherdt, priorem modum adhibet, immediate indicem delingere debet, vel saltem bene cavere, ne quid de S. Sanguine decidat vel alicui adhaereat, et tandem indicem suum bene purificare et abluere.

(4) *Quibus sumptis,* sine ulla meditatione facienda, juxta Deherdt, statim porrigit Calicem. Cs. Cav. *h. l. n. 25,* Janss. *h. t. n. 74* et Romsée, *h. l.* Sed potius consulenda est praxis, quam Merati, *n. 19,* relata hac de re controversia, ita exponit. „Decens tamen mihi videtur, quod sicut Sacerdos post sumptionem Hostiae aliquantisper quiescit in meditatione Sacramenti, idem praestet post S. Sanguinis sumptionem: et quamvis de hac secunda meditatione non loquatur Rubrica, tamen ita pie interpretanda est: quapropter deposito super altare Calice, non retracta ab eo manu, paulisper, dum facit secundam brevem meditationem, quiescit, et dicit postea, *quod ore sumpsimus* etc., porrigitque Calicem Ministro in cornu Epistolae... et sic peragendo inhaerebit potius... sententiae quae est valde pia.“ Cs. Gardel. *§. 19, n. 2.* Utraque praxis refertur a Baldeschi *n. 115,* quin alterutra reprobetur.

Si sumenda sit Hostia quae fuit publicae venerationi exposita, sumatur immediate post sumptionem Sanguinis; quia in partes divisam modo non licet laicis communicantibus ministrari. Cav. *h. l. n. 25.* Item si sumendae sint Particulae. Si Pyxis reponenda sit in tabernaculum, hoc fiat ante purificationem; et juxta Deherdt *n. 29,* hoc etiam fieri potest ante sumptionem SS. Sanguinis.“ Idem, prosequitur Deherdt, dicendum est de impositione S. Hostiae in Remonstrantiam, si in Missa consecrata fuerit, cum Rubrica *n. 5* aeque hunc casum comprehendat, ac si Hostiae pro communione Fidelium sint consecratae; item de impositione Pyxidis in tabernaculum, si Hostiae in eadem sint consecratae.“

(5) *Super altare,* nisi, ait Lohner, tam parvus sit Minister ut super altare brachia tendere non possit. Quando Sacerdos celebraturus est alteram Missam in eadem Ecclesia, Calicem non purificat ad primam. *Vid. sect. V, tit. IX, 4.*

(6) *Vinum fundente,* in eadem quantitate quae fuit con-

extrahendam Particulam e fundo Calicis, ut observat Aversa..... de Lugo.... Quartus...“

secrata [1], et cessante ad signum quod a Celebrante datur aliquali Calicis elevatione. Si vinum fuerit infusum in praedicta quantitate, facile purificabit omnes Calicis partes, quas attigit S. Sanguis, praesertim si paululum circumagatur intra Calicem et ex eadem parte sumatur, ac S. Sanguis. In sumenda hac purificatione, Patena solet supponi mento. Hujusmodi ablutio olim non sumebatur a Celebrante, sed in locum mundum projiciebatur. Cf. Bened. XIV, *sect. 1, n. 341*, et Durand. ap Gav. *h. l. lit. 3.*

(7) *Deinde abluit pollices*, scilicet „deposita Patena super Corporale parum versus cornu Evangelii, accipit cuppam Calicis, quam complectitur tribus ultimis digitis utriusque manus; indices vero et pollices tenet supra Calicem unitos (et, addo, parum inclinatos); tum facta capitis inclinatione Cruci, transit ad cornu Epistolae, ubi Minister primo infundit vinum super indices et pollices, et deinde aquam.“ Romsée; cs. Cav. *c. 24, n. 27.* De loco ubi abluendi sint digiti, non conveniunt Autores [2]. Secluso usu contrario,

1) Ex Epistola S. Pii V ad Archiep. Tarraconen., data 8 Jan. 1571 citata a Bened. XIV *(De Sacrif. Missae, l. 2. c. 21)*, quantitas vini quod infunditur in hac purificatione aequalis saltem debet esse quantitati consecratae; et insuper dicta purificatio debet sumi a parte Calicis per quam sumptus fuit S. Sanguinis. Si tamen quandoque accidat purificationem esse in minori quantitate, tunc satis erit leviter ita agitare Calicem ut vinum superefluat super partes Calicis per quas transiit S. Sanguis. Baldeschi, *nota ad n. 115.*

2) Hujusmodi controversiam ita exponit Deherdt. »Protonotandum hanc ablutionem digitorum juxta plures fieri debere in cornu Epistolae ob praesentiam Crucifixi, et usum generalem, qui est optimus legum interpres. Cav. *tom. 5, c. 27, n. 2.* — Mer. *p. 2, tit. 10, n. 21.* — Dumoulin, *p. 1, art. 10, n. 27.* — Romsée, *t. 1, p. 2, art. 14, n. 3.* Contra in medio altaris *juxta* Janssens, *p. 1, 2, tit. 10, n. 92*, qui dicit transitum a medio altaris fieri sine fundamento, quia nec Rubrica, nec illum decretum, nec ulla ratio aut necessitas illum exigunt; est enim digitorum ablutio, non a sordibus corporis, ut post Offertorium, sed a Particulis sacris, quae forte digitis adhaerent, ut digne in Calicem mittantur, quibus major debetur reverentia, quaeque pariter exigunt, ut Calix constanter super corporale ponatur. S. R. C. consulta 22 Jul. 1848, n. 4977, respondit, *serventur Rubricae pro diversitate Missae.* Quae diversitas Missae intelligi potest de Missa in Coena Domini, pro qua Mem. Rit. *pro min. Ecc. tit. 4, c. 2, §. 1, n. 19*, transitum a medio altaris praescribit, et consequenter de omnibus Missis celebratis coram exposito

convenientius fieri videtur versus cornu Epistolae, id est, inter dictum cornu et medium altaris, uti ad Offertorium dum imponitur vinum; excipe tamen si SS. Sacramentum sit expositum; tunc enim non solum versus, sed ad ipsum cornu Epistolae recedendum est, ex dec. 22 Jul. 1848, n. 4977.

Dixi *convenientius*. Quae convenientia in hoc consistit: *a)* fit extra conspectum Crucis, ad imitationem recessus qui fit ad Offertorium; et *b)* magis consulitur munditiei Corporalis. Aliunde non obstat dec. cit., siquidem in nostra praxi servantur Rubricae, et habetur differentia prout SS. Sacramentum est vel non expositum.

(8) *Vino et aqua,* ita tamen ut haec infundatur in majori quantitate, et vinum cum aqua adaequet vel etiam aliquantulum excedat quantitatem purificationis seu vini consecrati.

(9) *Quos abstergit.* Ablutis digitis, Calix collocatur prope Corporale et purificatorium; pollices et indices excutiuntur supra Calicem; sinistra accipitur purificatorium ad pedem Calicis positum, et, ad vitandum periculum commaculandi mappam aut pedem Calicis, illud admovetur ad manum dextram prope labium Calicis, et absterguntur digiti et quaecumque pars manus, quae casu tetigerit S. Hostiam. Deinde Celebrans, junctis manibus, accedit ad medium, ubi capite Cruci inclinato, sinistra accipit purificatorium illudque ita inter pollicem et indicem tenet, ut ab utraque parte super manum pendeat. Calice dextra accepto, ablutionem, si necesse sit, circumagit, ut guttae dispersae uniantur; deinde, sinistra cum purificatorio supposita mento, ablutionem sumit, os et Calicem purificatorio extergit. In extergendo Calice ad hoc maxime est attendendum, ut perfecte quidem exsiccetur, sed ut quam minus fieri potest fricetur (*p. 307*). Qui duplex finis facile obtinebitur sequenti modo: 1° statim exsiccetur pars exterior,

SS. Sacramento, quod reverentiae causa transitum a medio altaris videtur exigere; cum autem haec ratio non militet in aliis Missis, in quibus tergo etiam verso ad Crucifixum plura fiunt et dicuntur, et pro quibus Rubricae nihil praescribunt; sequitur in his Celebrantem pro libitu posse digitos abluere vel in cornu Epistolae vel in medio altaris.« Deherdt. Ad vitandam varietatem, qua nihil perniciosius est in sacris ritibus (Bened. XIV, *sect. 4, n. 204 fin.*), servandus est usus Dioecesis et propriae Ecclesiae.

qua sumpta est ablutio, ita ut nulla alia pars exterior fricetur; 2° digitis aliquantulum prematur purificatorium super fundum cuppae; 3° sic ablata majori parte relictae ablutionis, alia pars purificatorii, quae nondum est madefacta, semel aut iterum circumagatur super fundum et parietes humidos. Hac ratione praecavetur ne inutiliter, quin cum damno, Calix fricetur purificatorio humido. Hic iterum notandum est adhibenda non esse purificatoria proprio fini inepta, sive quia sunt telae nimis subtilis, sive quia nimis rigida effecta sunt amylo.

Quod ad Ministrum attinet, ipse neque praecipitanter, neque nimis lente vinum infundat, caveatque ne digitos Celebrantis ampullis tangat, et, dato signo a Celebrante, statim ampullas erigat et numquam eas retrahat adhuc incurvas, guttas effundendo super pedem Calicis. Curet etiam ampullas non ponere in aqua ablutionis digitorum, quae forte ex digitorum lotione remansit in pelvicula. Quando Minister bene edoctus est quantitatem tum vini tum aquae infundendam in purificatione et ablutione, tunc non tenetur exspectare signum Celebrantis ad cessandum ab infusione, maxime si soleat eidem Celebranti ministrare; secus autem signum exspectet; et ne hoc inutile evadat, non praecipitanter fundat.

De Sacerdote, qui eadem die plures celebrat Missas, habetur peculiaris Rubrica pro purificatione Calicis et ablutione digitorum. Vid. *sect. V, tit. IX, 4.*

(10) *Super Calicem.* Si adhibeatur cochlear, congruit ut, ad parcendum deaurationi Calicis, ponatur super purificatorium.

Rub. 6. Si qui sunt communicandi in Missa [1] Sacerdos post sumptionem Sanguinis, antequam [2] se purificet, facta genuflexione [3] ponat Particulas consecratas in Pyxide, vel si pauci [4] sunt communicandi super Patenam, nisi a principio positae fuerint in Pyxide, seu alio Calice. Interim [5] Minister ante eos extendit linteum seu velum album, et pro eis facit Confessionem dicens *Confiteor Deo* etc. Tum Sacerdos iterum genuflectit, et manibus junctis vertens se [6] ad populum in cornu Evangelii, dicit *Misereatur vestri* [7], et *Indulgentiam, absolutionem et remissionem peccatorum vestrorum* etc. et manu dextra facit signum Crucis super eos. Postea genuflectens, accipit manu sinistra Pyxidem [8] seu Patenam cum Sacramento, dextra vero sumit

unam Particulam, quam inter pollicem et indicem tenet aliquantulum elevatam super Pyxidem seu Patenam, et conversus ([9]) ad communicandos in medio altaris dicit *Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi.* Deinde dicit *Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.* Quibus verbis tertio repetitis, accedit ([10]) ad eorum dextram, hoc est, ad latus Epistolae ([11]) et unicuique ([12]) porrigit Sacramentum, faciens cum eo signum Crucis super Pyxidem vel Patenam, et simul dicens *Corpus Domini nostri Jesu* ([13]) *Christi custodiat animam tuam in vitam aeternam, Amen.* Omnibus communicatis revertitur ad altare, nihil dicens: et non dat eis benedictionem, quia illam daturus est ([14]) in fine Missae. Si Particulae positae erant super Corporale, extergit illud cum Patena, et si quae in eo fuerint fragmenta, in Calicem immittit. Deinde ([15]) dicit secreto *Quod ore sumpsimus Domine* etc. et se purificat, dicens *Corpus tuum Domine quod sumpsi* etc. et alia facit ut supra. Minister autem dextra manu tenens vas cum vino et aqua ([16]), sinistra vero mappulam, aliquantum post Sacerdotem eis porrigit purificationem, et mappulam ad os abstergendum.

(1) *Si... in Missa.* De Communione extra Missam agitur *parte IV,* ibique traditur modus extrahendi Pyxidem e tabernaculo.

(2) *Antequam se purificet,* Calice tecto (Mer. *n. 23,* Cav. *n. 30,* Baruff.), ne quid in illum decidat et, si opus sit, parum ad alterutrum latus amoto intra Corporale, genuflectit, et ponit etc.

(3) *Facta genuflexione.* Si tamen Particulae fuerint a principio positae in Pyxide, tunc omittenda est haec genuflexio (Cav. *h. l. n. 30*); et ratio est quia in casu non tractatur SS. Sacramentum: supponitur siquidem Celebrans tunc tantum aperire Pyxidem, quando se convertit ad populum, ita ut eadem genuflexio referatur simul et ad apertionem Pyxidis et ad conversionem ad communicandos. Cs. Pontificale Rom. de Communione Ordinatorum.

(4) *Si pauci.* Quaeritur an verba, *facta genuflexione,* referantur etiam ad casum quo una tantum aut paucae Particulae ponendae sint super Patenam?

R. 1° Tam ipse textus *(facta genuflexione... Iterum genuflectit)*, quam paritas rationis nullum relinquere videtur dubium, saltem generatim loquendo.

R. 2° Res tamen non videtur aeque certa, si quaestio limitetur ad casum quo Celebrans, *statim* post Hostias super Patenam positas, se convertit ad communicandos: tunc enim eadem genuflexio videri posset sufficere, et ad ponendas Particulas super Patenam, et ad conversionem ad communicandos, ita scilicet ut unica fieret genuflexio, et haec, impositis Hostiis super Patenam, immediate ante *Misereatur vestri.* In hoc sensu exponenda videntur sequentia verba S. Ligorii, *de Caerem. Missae cap. 12, n. 1.* „Si Particulae pro personis, quae communicare volunt, super altare positae sunt, Sacerdos sumpto Sanguine et antequam purificationem sumat, Calicem palla cooperit, Particulas super Patenam mittit, genuflectit, et aliquantulum ad populum versus, humeris cornu Evangelii respicientibus, dicat orationem *Misereatur vestri* etc." Similia verba habentur in Rituali *(de comm. intra Miss.).* An autem hic liber intendat reipsa unicam edicere genuflexionem, vel potius dicendo, *et genuflectit,* velit solummodo ad memoriam revocare Rubricam Missalis, quasi diceret: genuflectit, prout ordinatur in Missali; hoc non attingunt Autores, quos consului; quare sapientiorum judicio me remitto. Interim et Rubricis, ut supra, et communi Rubricistarum sententiae conformiorem puto praxim bis genuflectendi. Rubricistae enim communiter de duplici loquuntur genuflexione, vel nullum excipiendo casum, vel solum casum (Cav.) qua Particulae fuerint a principio positae in Pyxide aut alio vase; quin a Baldeschi, *tom. 1, c. 3, n. 6,* praxis omittendi alteram genuflexionem reprobatur, qua repugnans Rubricis.

(5) *Interim,* scilicet dum Celebrans *post Sumptionem* Sanguinis, praedicta peragit, *Minister extendit linteum,* et mox genuflexus in cornu Epistolae *(Rit. Rom.), facit Confessionem. Tum Sacerdos,* Hostiis super Patenam impositis, et praedictis a Ministro absolutis, *iterum genuflectit.* Si forte non exspectaverit, vide dicta *adn. praec.*

(6) *Vertens se,* advertendo ne terga vertat Sacramento, uti monet Rit. Rom.; quod ut servetur, non directe, sed oblique se convertit in cornu Evangelii, facie simul ad populum et ad cornu Epistolae versa.

Quaeritur an haec conversio in cornu Evangelii omittenda sit 1° quando omnes; 2° quando nonnulli communicandi reperiuntur post altare, puta in Choro, alii vero ante illud in Ecclesia; vel 3° an conversio facienda sit in

cornu Epistolae quando omnes communicandi reperiuntur ad latus Evangelii, uti non raro occurrit in Ecclesiis Monialium, quae Missae assistunt in Choro post altare sito, sacramque Communionem accipiunt e fenestella ad latus aut cornu Evangelii?

R. Ad 1. Affirmandum est, si omnes communicandi, omnesque Missae assistentes reperiantur ante Sacerdotem, ibique permaneant infra Communionem, puta si altare versum sit ad Orientem ut dicitur *tit. V, 3* et *XII, 2;* in casu igitur Celebrans se parum retrahit ad cornu Evangelii aut Epistolae, et ad communicandos conversus, dicit *Misereatur* etc.

R. Ad 2. Negative: nulla enim habetur ratio recedendi a communi praxi, ut confirmari potest a modo dicendi *Dominus vobiscum* in casu, et benedicendi populum in Missa. Cf. *tit. XII,* 2.

R. Ad 3. Pariter negative, cum Merati, infra *adn. 9.*

(7) *Vestri.* Hoc et sequentia verba, *Domine non sum dignus*, dicuntur absque mutatione, sive una, sive plures personae communicentur.

(8) *Accipit Pyxidem.* Congruit ut, quando plures sunt communicandi, non obstante contraria opinione Cavalerii, *n. 36 fin.*, cum Pyxide accipiatur purificatorium, quo extergatur pars exterior indicis, quando saliva humefacta est; caveatur tamen ne pars interior [1], cui forte adhaerent Particulae, attingat dictum purificatorium. Circa hujusmodi extersionem, sequentia sunt notanda. 1° Agenda non est post uniuscujusque Particulae distributionem; hoc enim non solum esset inutile, sed praeterea saperet introductionem novi ritus; 2° purificatorium quod adhibetur, sit quidem mundum, sed diversum ab eo quod Missae inservit [2]; 3° si pars interior seu pulpa indicis madefiat, congruit ut

1) „Non sunt approbandi illi qui, accipientes cum Pyxide etiam purificatorium, saepius abstergunt in eo digitos, quibus utuntur in porrigendis sacris Particulis: quia adest periculum, quod aliquod fragmentum in terram decidat, et hoc praesertim contingere potest, quando magna est copia communicantium.“ Mer. *n. 26.* Deinde ad hoc vitandum periculum, indicat rationem agendi ut infra *adn. 13, 5°.*

2) „Verum purificatorio non utatur, quod adhibet pro Missae celebratione, quia non decet abstergere digitos saliva humefactos cum eodem purificatorio, quo abstergitur Calix...“. Mer. *n. cit.*

Celebrans ad altare redeat, ad eam partem abluendam (cf. *adn. 13, 5°*). Quando S. Communio ministratur cum Pyxide, Celebrans non potest Patenam supponere mento communicantium. Dec. 12 Aug. 1854, ad 21. Quoad Diaconum, vid. *ibid. ad 19.*

Manu sinistra, pollice et indice junctis, nisi tamen antea fuerint abluti; quod fieri potest, si magna adsit communicandorum multitudo, et vas S. Eucharistiae sit majusculum. Vinitor, *h. t.* §. 6, et Lohner, *part.* 2, *h. l. n.* 4. Advertendum tamen est hoc tantum permitti, data necessitate, et contra Rubricas agere qui illud promiscue faceret. Cf. Merat. *n. 26.*

(9) *Conversus.* „Vertit se ad populum (qui manus suas in formam Crucis componere debet), sed humeris versis ad medium altaris, etiamsi esset Sacramentum expositum, et communicandi in cornu Epistolae vel Evangelii essent." Mer. *n. 25.*

(10) *Accedit.* Descendit per gradus anteriores, non autem laterales, quamvis accessurus sit ad fenestellam in cornu Evangelii (dec. 15 Sept. 1736, n. 3906, 8) vel Epistolae (Cav. *tom. 4, dec. 62, n. 8*). Et per eamdem viam revertitur ad altare. Haec enim via, quamvis sit longior, ea tamen, ut docet Cav. *l. c.*, ab AA. concorditer qualificatur tanquam proprior, devotior et honoratior, adeoque indubie tenenda a Sacerdote deferente Christi Corpus, quidquid sit de eodem Sacerdote, dum intra Missam pergit ad sedendum, vel ad altare a sessione revertitur. Cav. *l. c.* Verba, *habentes fenestellam in parte Evangelii,* quae in dubio 8 citato leguntur, nequaquam limitant responsum; et hoc etiam servandum est, quamvis fenestella reperiatur ad cornu Epistolae. Cs. Cav. *l. c.*

(11) *Ad latus Epistolae.* De loco ubi unusquisque communicatur, dicitur *part. IV.* Hic solummodo advertendum est, incipiendum esse a cornu Epistolae, non solum prima vice, sed quoties, communicatis omnibus qui sunt in mensa, alii accedunt.

(12) *Unicuique.* Quicumque sit communicantium numerus, ad unumquemque faciendum est Crucis signum, pronuntiandaque formula, *Corpus Domini,* etc.

(13) *Jesu.* De capite hic inclinando vel non, ad SS. nomen *Jesu,* nulla fit mentio in hac Rubrica, neque in Rituali, neque apud Gav. Mer. Cav. *(n. 33)*, Fornici, Bal-

deschi, Deherdt, *h. l.* etc. Equidem ex *tit. V, 2* et ex paritate cum Celebrante communicante, agenda videretur; nihilominus potius est omittenda, tum quia de ea communiter silent Rubricistae, tum quia inde obveniret quasi continuus capitis motus, parum conveniens. „Quia, inquit Romsée *h. l. n. 7 fin.*, in diuturna Eucharistiae distributione, frequens et, ut ita dicam, continua inclinationis renovatio aliquid indecori habet. Ideo circa debitum hujus inclinationis silent Autores, ususque generalis eam negligit."

Circa modum distribuendi S. Communionem, sequentia ulterius notare juvat cum Deherdt aliisque.

1° Tempore aestivo, quandoque melius est ut propter sudorem, primo communicando non praebeatur ea Hostia quae populo ostenditur, sed alia.

2° Sacerdos ne praecipitanter S. Communionem distribuat; est enim ministerium sanctissimum, omni possibili attentione et devotione pertractandum: neque oculis per Ecclesiam vagetur, sed iis demissis et ad Sacramentum intentis Communionem distribuat.

3° Caute se gerat, ne errore vel accelerata distributione duas simul sacras species porrigat, et sic superior, ut quandoque accidit, ex ore decidat; item ne Hostia aut aliquod fragmentum ex Pyxide, Patena aut manu decidat: quapropter dum S. Hostiam porrigit, se aliquantulum promoveat, et Pyxidem seu Patenam, in quantum commode potest, supponat, ne longius cogatur portare SS. Sacramentum cum periculo perditionis fragmentorum; caveat tamen, ne communicandorum halitus avolare faciat Particulas in Pyxide aut Patena contentas. Quid faciendum, si Hostia vel Particula dilabatur, traditur *sect. V.*

4° Advertat, ne digitis inferioribus tangat faciem communicandorum: quapropter sub porrectione S. Hostiae inflectantur, et quasi infra pollicem et indicem supponantur.

5° Curet ne humectet digitos in ore communicantium, et idcirco accipiat S. Species non in earum medio sed in extremitate. Si digiti sint humefacti, eosdem bene inspiciat super Pyxidem aut Patenam, et si eis aliquod fragmentum adhaereat, illud extersione digitorum in Pyxidem aut Patenam demittat, et deinde digitos purificatorio abstergat, sed cum praecautione, et junctis prius indice et pollice, ne aliquod fragmentum, quod modo visum fugit, cum purificatorio tollatur (Mer. *p. 2, tit. 10, n. 26*); vel

cum minutissima fragmenta difficillime discernantur, Sacerdos ad altare redeat, ut digitos abluat in vase ad hoc praeparato. Cav. *tom. 4, dec. 66, n. 34.*

6° Si in eodem aut proximo altari celebretur, et SS. Sacramentum elevetur, non genuflectat, sed se vertat ad altare, et erectus cum Ciborio in manibus tantisper subsistat, donec Elevatio sit peracta; nisi consultius videatur omittere campanulae pulsationem, juxta dicta *pag. 274.*

7° Hostiae sint consuetae formae, nimirum, rotundae, congruentis magnitudinis, imaginem Crucifixi impressam habentes. Seclusa igitur necessitate, praebenda non sunt Fidelibus fragmenta *a)* majoris Hostiae quae reservatur Celebranti, aut fuit publicae venerationi exposita, *b)* aut Particularum. Cav. *tom. 4, dec. 55, n. 8 seqq.,* S. Lig. *l. 6, n. 305.* Quae autem necessitas sufficiat ut dividi possint major Hostia aut Particulae, non convenit inter AA. Particulae dividi solent, quando secus praeberi non posset S. Eucharistia omnibus communicandis. Qui usus probatur dec. 16 Mart. 1833, n. 4558, 1. Et idem dicendum de majori Hostia quae fuit publicae venerationi exposita. Quinimo Quarti, *h. t. sect. 3, dub. 3, diff. 4,* docet Celebranti licere partem suae Hostiae dare laico, ne exspectare cogatur, quia alia forma consecrata non est in promptu. Haec tamen sententia impugnatur a Cav. *l. c. n. 9,* ubi resolvit divisionem tantum permitti in necessitate dandi Viaticum; et arguit ex *tit. X, 3, de defect.*

(14) *Daturus est.* In Missis Defunctorum etiam omittitur, quamvis non detur in fine Missae; et ratio est, quia in hujusmodi Missis non benedicuntur Viventes.

De Communione Fidelium in Missis Defunctorum quaedam hic sunt notanda. 1° Inter AA. disputatum est *a)* an omnino esset prohibita, *b)* an licita ex Particulis duntaxat in ipsa Missa consecratis. Cf. pt. dec. 12 Apr. 1823, n. 4444, 9. 2° Hodiedum constat eam permitti, sed solum ex Hostiis in eadem Missa consecratis [1]. Dec. 23 Mai. 1835,

1) Hujus discriminis duplex esse videtur ratio: nempe ex una parte, magis proprie dicitur participare de eodem Sacrificio, qui Hostiam sumit in eodem Sacrificio consecratam (cf. Bened. XIV, *Const. Certiores,* 13 Nov. 1742, *§. Et quamvis*); et aliunde non habetur inconveniens, sicuti quando ministratur ex Particulis praeconsecratis, quia aperiendum non est tabernaculum ad extrahendam Pyxidem: quod non decet fieri in nigris.

n. 4604, *in Veron.* Attamen usus ministrandi ex praeconsecratis non est reprobatus. Dec. 23 Sept. 1837, n. 4666, 3, *in Mutinen.* Unde ubi talis usus non existit, introduci nequit; sed ubi viget, servari potest usquedum aliud a S. Sede fuerit definitum. Cf. dicta *p. 161* et Gardell. *n. 4444, 9.*

(15) *Deinde*, nisi purificanda sit Pyxis, *dicit* etc. De purificatione Pyxidis, seu vasis in quo asservatur S. Eucharistia, sequentia hic sunt notanda. 1° Ea, uti patet, purificanda est quando currit praeceptum renovandi SS. Species; et fieri tantum potest intra Missam, si fiat cum vino et aqua [1]. 2° Si consumendae sint veteres Hostiae, aut recentes quae ex Communione supersunt, sumantur ante purificationem (dec. 3 Sept. 1672, n. 2450, 3). Quo facto, Pyxis purificetur uno ex sequentibus modis. *a)* Si omnia fragmenta possint, mediante indice aut pollice, colligi et in Calicem immitti, sive quia parva est Pyxis et ejus fundum apte dispositum, sive quia unica Particula, bene a fragmentis purgata, fuit in ea posita, tunc potest purificari eodem modo ac Patena, scilicet cum pollice et indice, in sicco, uti notatur hic cum Vinitore. *b)* Si vero, ut communiter contingit, infundendum sit vinum ad omnia fragmenta colligenda, tunc consulitur modus sequens. Celebrans sumpto S. Sanguine, tenens Pyxidem ad nodum super Calicem, indice colligit fragmenta et in Calicem mittit; deinde purificationem accipit in Pyxidem et vinum intra eamdem circumagit, et in Calicem infundit per eam partem Pyxidis per quam deducta sunt fragmenta, et e Calice sumit; digitorum ablutionem etiam cum Pyxide accipit (nisi statim in eam ponendae forent Hostiae consecratae), et in Calicem infundit; si ablutione transfusa, aliquod fragmentum appareat in Pyxide, id digito ori admoveatur; deinde

Cf. Cav. *tom. 4, dec. 59, n. 4 sqq.;* Gardellini, ad dec. 12 Apr. 1823, n. 4444, 9, *in Panormitana,* ubi disserendo de dec. 2 Sept. 1741, n. 3970, 4, haec scribit. „Quidquid vero sit et quocumque motivo S. C. mota fuerit ad illud ponendum discrimen inter modum et modum, probans unum, rejiciens alterum, satis nobis est, quod dubitari nequeat de authenticitate decreti.“ Quod nunc a fortiori dicendum, ex quo hoc decretum fuit a S. C. confirmatum 23 Mai. 1835.

1) „Sunt aliqui qui malunt in sicco rem totam facere, maxime cum suda est aura; sed sciendum infusione vini numquam posse purificari alio tempore, quam in Missa, ante ablutionem.“ Vinitor, *h. t. §. 24.*

digitos et Pyxidem extergit, ablutionemque sumit. Ita fere Quarti *h. t. sect. 2, dub. 8*, verb. *Alio ergo*. Ipse omnino rejicit modum, quo fragmenta e Pyxide sumantur ipso ore, aut digito linguae admoveantur. Sed non improbat praxim infundendi fragmenta in S. Sanguinem ut cum eodem sumantur a Sacerdote adhuc jejuno. Ipsi tamen non videtur violare jejunium Celebrans qui ea fragmenta sumit cum purificatione, tum quia eadem adest ratio ac pro fragmentis ejusdem Sacrificii, tum, et praecipue, quia id moraliter necessarium est ut ea sumantur, debita cum reverentia et decentia erga Sacramentum. Cf. Bened. XIV, cit. *pag. 310* et S. Lig. *l. 6, n. 288*. Cf. pt. Deherdt *n. 30*.

Si Hostiae consecratae statim ponendae sint in Pyxidem, haec exsiccatur ante sumptionem purificationis; positis autem in ea Particulis, abstergitur Corporale et fragmenta immittuntur in purificationem.

Contingere potest, praesertim si purificatorium sit parvum et telae subtilis, ut plus minusve humida remaneat Pyxis nisi exsiccetur altero purificatorio; in casu, haec altera extersio non est praetermittenda post Missam. Notandum tandem est congruere ut purificatorium, in prima extersione adhibitum, modo inverso plicetur, nec amplius adhibeatur ante lotionem; itaque ad vitandas inutiles expensas, sumatur non novum, sed quo jam usus est Celebrans quodque lotione indiget.

(16) *Cum vino et aqua*, quia, ut notatum est *p. 269* cum Tridentino, Christus creditur consecrasse vinum aqua mixtum. Haec ablutio fit quo facilius deglutiatur S. Particula, et ne cum saliva aut pituita aliquid Sacramenti exscreetur. Cf. Gav. *lit. O*, et Ben. XIV. *sect. 1, n. 345*.

Praefata praxis inolevit in Belgio. An autem justis de causis, ut asserit Deherdt *h. l.* cum Janss. *n. 124*, non est meum definire. Hoc tantum moneo: juxta exposita, *P. I. de consuetudine in liturgia*, dicta praxis, ita generatim inoleta, non potest ab inferiore in usum reduci, inconsulto Ordinario.

Rub. 7. Si in altari (1) remaneant Particulae in Calice, seu in alio vase usque ad finem Missae, serventur ea (2), quae in Feria quinta Coenae Domini praescribuntur circa finem Missae.

(1) *Si in altari.* Rubrica supponit S. Particulas quandoque in altari remanere usque ad finem Missae; sed non

dicit quandonam possint aut debeant ibi remanere. Juxta quosdam, ut refert Deherdt *n. 29*, S. Pyxis, etiamsi ad altare habeatur tabernaculum, servanda est in altari usque ad finem Missae. Sed ista opinio non potest admitti, tum quia Rubrica *(si)* exceptionem supponit, tum quia non decet ut SS. Sacramentum sic relinquatur, absque necessitate. Unde huic hypothesi tunc tantum datur locus, quando tabernaculum reperitur ad aliud altare; quinimo si in hoc casu alius adsit Sacerdos qui, post sumptionem S. Sanguinis, possit Sacramentum ad tabernaculum deferre, non convenit ut in altari relinquatur usque ad finem Missae.

Quando tabernaculum est in altari, Pyxis in illud introducatur sumpto Sanguine, ante vel post primam purificationem, nisi forte, manens in Corporali, impedimento sit fragmentis colligendis. Sunt tamen qui velint Pyxidem in tabernaculum esse introducendam ante sumptionem Sanguinis, etiamsi non impediat; haec autem opinio non est consulenda. Cf. Rub. pec. *fer. V, in Coena Domini.*

(2) *Serventur ea* etc. Sumpta Calicis purificatione, vel etiam digitorum ablutione, revolvitur pars anterior Corporalis et circa ejus medium deponitur Pyxis. Calice cooperto, Missa absolvitur ut Fer. V *in Coena Domini.* Deinde, deposito manipulo et, prout magis decet, accepto velo humerali, Celebrans, praecedentibus duobus saltem cereis accensis, defert Pyxidem ad tabernaculum, ut habetur in *Mem. Rit.* etc., *in Coena Domini §. 3.* Tabernaculo obserato, redit ad altare Missae, et reassumpto manipulo, repositoque Corporali in bursa, accipit Calicem, et more solito redit ad Sacristiam. Si Missa celebretur ad altare, ad quod transfertur Pyxis, vide dicta *tit. III, 4.*

De Missa solemni.

Rub. 8. In Missa solemni Diaconus stans retro post Celebrantem, cum in Oratione Dominica dicitur *et dimitte nobis debita nostra*, facta ibidem genuflexione vadit ad dextram Celebrantis, et Subdiaconus circa finem Orationis Dominicae, facta itidem genuflexione revertitur ad altare, et stans in cornu Epistolae porrigit Patenam Diacono, qui eam discooperit, et purificatorio abstergens dat Celebranti, illius manum osculando, et quando opus est discooperit et cooperit Calicem, et cum Celebrante adorat. Subdiaconus reddita Patena, et deposito velo, quod ab humeris ejus

pendebat, genuflectit, et descendit retro post Celebrantem [1], et cum dicitur *Pax Domini,* iterum genuflectens accedit ad sinistram Celebrantis, et simul [2] dicunt *Agnus Dei.* Deinde facta ibidem Sacramento genuflexione, redit post Celebrantem. Diaconus vero a dextris genuflexus exspectat pacem: et cum Celebrans osculatur altare, ipse se erigens simul osculatur illud extra Corporale, et a Celebrante [3], dicente *Pax tecum,* complexus accipit pacem sinistris genis sibi invicem appropinquantibus, et ei respondet *Et cum spiritu tuo.* Postea iterum Sacramento in altari adorato, vertit se ad Subdiaconum retro post Celebrantem, et similiter [4] dat ei pacem. Subdiaconus accepta pace a Diacono, et facta altari genuflexione, comitatus ab Acolytho vadit ad Chorum, et dat pacem primo cujusque ordinis, dignioribus prius, deinde minus dignis, et reversus ad altare, facta genuflexione dat pacem Acolytho, qui ipsum comitaverat, qui et aliis Acolythis circa altare [5] dat pacem: deinde Subdiaconus vadit ad dextram Celebrantis [6], et quando opus est, discooperit Calicem, accipit ampullam vini, et infundit, quando Celebrans vult purificare. Diaconus post datam pacem Subdiacono vadit ad librum: et dum Celebrans se communicat, stant ipse et Subdiaconus profunde inclinati versus altare.

(1) *Descendit retro post Celebrantem* „ubi denuo non genuflectit, et stat junctis manibus usque ad *Pax Domini,* interea tamen genuflectens cum Celebrante ad fractionem S. Hostiae." Deherdt *h. l.* et Janss. *h. l. n. 5.* De hac genuflexione silent Rubrica, Romsée, Autoresque communiter. An autem Rubrica de hac genuflexione sileat quia satis indicatur in Rubrica 5 generali *tit. XVII (p. 172),* vel potius quia reipsa est omittenda, non patet. Vid. dicta ad Rub. gen. cit.; item *p. 248* et *254.*

Si vero *Subdiaconus* Patenam non teneat, inhaerendo Rubricarum sensui, debet manere retro post Celebrantem usque ad *Pax Domini,* et tunc tantum ad sinistram Celebrantis ascendere. Deherdt.

(2) *Et simul* cum Celebrante dicunt *Agnus Dei,* sed voce ita submissa, ut a Celebrante non audiantur; pariterque sinistra infra pectus posita, extremitate dextrae, extensis et unitis omnibus digitis ac paululum incurvis, ter pectus percutiunt, ut Celebrans *(Rub. 2).* Deherdt cum Romsée etc.

Osculatur altare, propter rationem datam ad *Rub. 2.*

(3) *A Celebrante.* Celebrans non genuflectit neque ante pacem dandam, neque post eamdem datam Diacono (Mer.etc.); nec ante, nec post pacem datam, facit reverentiam Diacono *(adn. seq.).*

Amplexus. Celebrans Diaconum amplectitur, ita ut brachia bina aut saltem manus suas quasi super humeros Diaconi ponat. Mer. *n. 43.* Celebrans nec ante nec post caput inclinat Diacono *(p. 246, 11).*

Accipit, supponendo brachia sub brachiis Celebrantis. Mer. Cs. dec. 23 Mai. 1846, n. 4904, 9. Caput autem inclinat ante et post amplexum. Mer. etc.

Sinistris [1] *genis sibi invicem* sine (Jans.), vel (Cav.) cum attactu physico, *appropinquantibus.*

(4) *Et similiter,* absque praevia genuflexione aut inclinatione, *dat,* ut supra, *pacem* Subdiacono; qua data, caput Subdiacono inclinat, et cum eodem versus altare genuflectit, vaditque ad librum. Adverti potest regulam esse ut pacem deferens, nulli inclinationem faciat, nisi data pace. Caer. Ep. *l. 1, c. 24, n. 5,* et *c. 30, n. 2.* Qui vero pacem recipit, plus minusve, pro sua dignitate, respondet in reverentia. Cf. Caer. *l. c. c. 24, n. 20,* infra *App. I, 2, 2°.*

(5) Aliis Acolythis *circa altare dat pacem.* Laicis non datur pax cum osculo. „Si, ait Caerem. *l. c. n. 6,* aderunt laici, ut Magistratus et Barones, ac nobiles, detur illis pax cum instrumento (cs. dec. 5 Jun. 1614, n. 348), quod instrumentum osculetur prius Presbyter assistens.“ Advertendum est in Caer. cit. agi de Missa ab Episcopo solemniter celebrata. Si autem Celebrans non sit Praelatus, nec habeat Presbyterum assistentem, tunc Diaconus osculatur instrumentum, uti tradit Deherdt cum Merati *h. l. n. 46,* cui consonat Cavalieri *h. l. n. 19,* quidquid, ait, alii sentiant. Pace igitur data Subdiacono, Diaconus praefatum instrumentum, sibi ab Acolytho porrectum, osculatur, dicendo *Pax tecum,* et Acolythus respondet *Et cum spiritu tuo.* Tum Acolythus comitatur Subdiaconum deferentem pacem, et postquam pax in Choro fuerit distributa, ipse defert instrumentum osculandum. Ita docet Deherdt. Attamen habenda est ratio personarum. Si enim pax danda sit Prin-

1) „Per sinistras genas significatur, dari pacem e corde, quod ad sinistram vergit; et quod in adversis etiam cum proximo pax habeatur.“ Gav.

cipi aut Magistratui majori, tunc, seclusa contraria consuetudine, eis deferenda videtur ab ipso Subdiacono antequam detur Acolytho. Cf. Mer. *n. 45*, et Caer. Ep. *c. 24*, *cit. n. 7* et *12*. Advertendum est in dec. cit. 5 Jun. 1614, agi de Domino loci.

(6) Data pace, *Subdiaconus vadit ad dextram Celebrantis*, et *Diaconus ad librum*. Ibi stant, genuflectendo cum Celebrante, ex Rub. gen. *pag. 171*. Non dicunt *Domine non sum dignus*, sed cum Celebrante pectus sibi percutiunt.

Rub. 9. In Missa Pontificali, Assistens accipit, et defert pacem, ut in Caeremoniali habetur. Si in Missa solemni fiat Communio, omnia serventur ut supra (¹), sed prius communicet Diaconum et Subdiaconum (²), deinde alios per ordinem: et Diaconus (³) purificationem eis ministret (⁴). Interim a Choro cantatur Antiphona, quae dicitur *Communio*.

(1) *Omnia ut supra*. Ex his verbis inferendum videtur, Confessionem non esse cantandam a Diacono, ad normam Caer. Ep. *l. 2, c. 29, n. 3,* et *c. 30, n. 4*. Attamen in Missa solemni solet Confessio clara voce recitari a Diacono, stante (*ut in Caer. n. 3 cit.*) in cornu Epistolae, aliquantulum versus Celebrantem inclinato ac manibus junctis.

(2) *Communicet Diaconum* etc. „Memores etiam sint Diaconus et Subdiaconus, qui altari ministrant, Dominicis diebus, valde decere, si etiam ipsi, postquam Celebrans communicaverit, Communionem ex ejus manibus sumpserint, prout cavetur in Conc. Trid. *c. 23, sess. 13.*" Caer. Ep. *l. 2, c. 31, n. 5*. Hoc decet, sed non est in praecepto. Cf. Caer. Ep. *l. 1, c. 24, n. 4*.

(3) *Diaconus*, data saltem consuetudine, potest supponere Patenam mento communicantium ad colligenda fragmenta, si quae decidant; et in casu purificationem (de qua *p. 321*) ministrare potest Clericus. Ex dec. 12 Aug. 1854 *in Lucionen, ad 20*. Consuetudo tamen loci, seclusa Superioris ordinatione, est attendenda, uti advertit Mer. *n. 54*.

(4) Subdiacono non assignatur locus infra distributionem S. Synaxis, ac proinde attendenda est loci consuetudo; laudabiliter comitatur Celebrantem, praesertim si eidem assistat Diaconus Patenam tenendo.

Apud Merati, Deherdt, aliosque minutim et per ordinem exponitur quomodo procedendum sit Diacono et Subdiacono, infra hujusmodi distributionem. Cum haec tradantur ad mentem Rubricarum, vel colligantur ex generalibus

regulis aut ex aliqua congruentia, ideo utile erit ea hic in nota referre [1].

De Antiphona quae dicitur *Communio*, vid. *pag. 147*.

1) „Si Communio in Missa solemni distribuatur, Celebrans diligentius sumpto S. Sanguine, Calicem deponit super Corporale versus cornu Evangelii, quem Subdiaconus palla cooperit. Tum cum debitis reverentiis accedunt Diaconus ad dextram Celebrantis, et Subdiaconus ad sinistram sinens Diaconum ante se transire. Diaconus ad dextram Celebrantis constitutus, si Pyxis super Corporale ponatur, eamdem in medio Corporalis collocat et aperit: tum omnes genuflectunt et se sistunt ut infra dicetur. Si autem Pyxis in tabernaculo ponatur, Celebrans et Subdiaconus paululum recedentes versus cornu Evangelii, ibidem prope altare flectunt utroque genu, et interim Diaconus accedens ad medium altaris, debita facta reverentia, tabernaculum aperit, flectit unico genu, erectus collocat Pyxidem in medio Corporalis, et aperit, atque iterum genuflectit: mox surgente Diacono, simul surgunt Celebrans et Subdiaconus. Tum Celebrans in eodem loco, quo genuflexus fuit, versus cornu Evangelii faciem convertit ad cornu Epistolae, ibique stat junctis manibus, et similiter Subdiaconus, qui non dicit confessionem, stat post Celebrantem in cornu Evangelii; Diaconus autem se constituit in cornu Epistolae, vel etiam descendit in planum ad cornu Epistolae, ubi versus Celebrantem profunde inclinatus, alta voce dicit *Confiteor Deo* etc. Confessione facta, Celebrans cum Subdiacono eodem modo stans, dicit *Misereatur* et *Indulgentiam:* Diaconus respondet *Amen*, et manet inclinatus, donec responderit *Amen* post *Misereatur*. Deinde Celebrans reversus ad medium altaris, genuflectit, accipit Pyxidem, et sacram Communionem de more distribuit.

„*Diaconus* et *Subdiaconus*, si non communicent, post *Indulgentiam* facta in loco suo cum Celebrante genuflexione, accedunt ad latera Celebrantis, Diaconus ad dextram et Subdiaconus ad sinistram; et dum Celebrans dixit *ecce Agnus Dei*, conversi ad SS. Sacramentum, illi profunde se inclinant. Dum Celebrans S. Communionem distribuit, Subdiaconus concomitatur a sinistris; Diaconus autem facta SS. Sacramento genuflexione, descendit in planum ad cornu Epistolae pro ministranda purificatione; si autem purificationem non ministret, concomitatur Celebrantem a dextris.

„*Diaconus* et *Subdiaconus* si communicent, data absolutione, genuflectunt SS. Sacramento in locis suis, deinde accedunt ad secundum gradum ante medium altaris, ubi flectunt utroque genu super suppedaneum capite inclinato, tempore quo Celebrans dicit *Ecce Agnus Dei*. Sumpta Communione et purificatione ad Credentiam, si velint et usus habeat, Subdiaconus accedit ad sinistram Celebrantis, Diaconus autem in cornu Epi-

TITULUS XI.

DE COMMUNIONE ET ORATIONIBUS POST COMMUNIONEM DICENDIS.

Rub. 1. Celebrante purificato, dum Calicem collocat in altari, liber Missalis defertur ([1]) per Ministrum ad cornu Epistolae, et collocatur ut in Introitu. Ipse autem Minister genuflectit juxta cornu Evangelii, ut in principio Missae. Deinde Celebrans ([2]) stans junctis manibus, legit Antiphonam, quae dicitur *Communio;* qua lecta junctis itidem manibus ante pectus vadit ad medium altaris, et eo osculato, vertit se ad populum a manu sinistra ad dextram, et dicit *Dominus vobiscum,* et per eamdem viam redit ad librum, dicit Orationes post Communionem, eisdem modo, numero et ordine, ut supra dictae sunt Collectae. Quibus finitis ([3]), claudit librum ([4]), et jungens manus ante pectus, revertitur ad medium altaris, ubi eo osculato vertit se ad populum, et dicit ut supra *Dominus vobiscum:* quo dicto, stans junctis manibus ante pectus versus populum, dicit, si dicendum est, *Ite Missa est,* et per eamdem viam revertitur

stolae ministrat aliis purificationem, et si usus non habeat, accedit simul cum Subdiacono ad Celebrantem; et infra distributionem S. Communionis eumdem comitantur, Diaconus a dextris, et Subdiaconus a sinistris.

„Finita distributione accedunt ad altare, Diaconus a dextris et Subdiaconus a sinistris. Celebrans deposita Pyxide in medio Corporalis, se cum Subdiacono retrahit versus cornu Evangelii, et uterque flectit utroque genu; interim Diaconus ad medium altaris accedens, genuflectit, Pyxidem cooperit et reponit in tabernaculum; iterumque genuflectit et tabernaculum claudit: tum surgunt Celebrans et Subdiaconus; Celebrans accedit ad medium altaris, ad ejus sinistram Diaconus, et ad dextram Subdiaconus, qui statim Calicem discooperit, et ministrat Celebranti ut alias. Si Pyxis sit purificanda, deposita Pyxide, omnes genuflectunt, si sacra Species supersit; et deinde Celebrans eamdem purificat, et Diaconus mox accedit ad sinistram et Subdiaconus ad dextram Celebrantis. Item si sacrae Species supersint, et Pyxis super altare servetur usque ad finem Missae; deposita Pyxide omnes genuflectunt. Diaconus Pyxidem cooperit, deinde Celebrans Missam prosequitur, et Diaconus ad sinistram et Subdiaconus ad dextram Celebrantis. Vid. *n. 28.* — Caerem. Ep. *lib. 2, c. 29 et 30.* — Gav. *p. 2, tit. 10, Rub. 6,* — Mer. *ibid. n. 51 et seq.* — Cav. *tom. 4, dec. 4.* — Vinitor. *p. 4, tit. 3.*“ Ita Deherdt, *h. l. n. 54, II.*

ad altare. Si vero non sit dicendum, dicto *Dominus vobiscum*, revertitur eodem modo per eamdem viam ad medium altaris, ubi stans versus ad illud (5), junctis ante pectus manibus dicit *Benedicamus Domino*. In Missis autem Defunctorum eodem modo stans versus altare dicit *Requiescant in pace*.

(1) *Liber defertur*, cum genuflexione in transitu ante medium altaris *(p. 233 sq.)*. Juxta Deherdt, Minister incedit per planum; sed juxta Mer. et Cav., dum tenet librum, transit per gradum suppedaneo proximiorem. Velum Calicis non est superimponendum Missali; nam istiusmodi praxis non solum fit absque ratione, sed praeterea saepissime nocet Missali incommodumque affert Celebranti cum velum accipit. Ad majus, excipiendus foret rarissimus casus, quo altare ita parvum esset, ut velum continere non posset prope librum. Si Minister sit impotens, ipse Celebrans transfert Missale.

(2) *Celebrans*, junctis manibus, caput Cruci inclinat et accedit ad librum, ubi *stans* etc.

(3) *Finitis*. „Hinc, inquit Lohner *p.* 2, *tit.* 28, *n.* 6, errant qui, indecore properantes, librum claudunt ante finem conclusionis, eamque, accedendo ad medium altaris, absolvunt." Cs. Vinitor, Mer. Janss. etc.

(4) *Claudit librum*, Modus claudendi librum non praefinitur in Rubrica; juxta Mer. Cav. Romsée etc., et nostram praxim ita clauditur ut apertura respiciat medium altaris. Cf. Lohner *l. c. n.* 5, et Janss. *h. l. n.* 8. Si autem ultimum Evangelium legendum sit e Missali, et loco cussini adhibeatur pulpitum, tunc Celebrans non claudit librum, sicque admonetur Minister de illo ad cornu Evangelii transferendo. Cf. Janss. *n.* 5 et Romsée.

(5) *Versus ad illud*. Congruit enim ut Sacerdos, dum benedicit Deo, conversus sit ad altare, ubi Dominus adest modo peculiari. Quod etiam, imo magis convenit, dum dicit *Requiescant in pace;* per haec enim orat Sacerdos, et populum non alloquitur.

Rub. 2. In Quadragesima autem a Feria IV Cinerum usque ad Feriam IV majoris Hebdomadae in feriali Officio, postquam Celebrans dixit Orationes post Communionem cum suis solitis conclusionibus, antequam dicat *Dominus vobiscum*, stans (1) in eodem loco ante librum dicit *Oremus, Humiliate capita vestra Deo*, caput inclinans, et extensis

manibus, subjungit eadem voce Orationem super populum, ibidem positam; qua finita, osculatur altare, et vertens se ad populum dicit *Dominus vobiscum*, et alia ut supra.

(1) *Stans.* Celebrans, secus ac Diaconus, non se vertit ad populum, cum dicit *Humiliate capita vestra.*

Caput inclinans etc., juxta *tit. V, 1;* nimirum caput inclinatur, manusque aperiuntur et junguntur solito more, cum dicitur *Oremus.* Sed haec inclinatio facienda non est ad verba *Humiliate* etc., ut ex ipsis verbis manifestum fit. Os. Rub. *ad fer. IV Ciner.* et dec. 16 Mart. 1833, n. 4558, 7.

De Missa solemni.

Rub. 3. In Missa solemni (¹) Diaconus (²) defert librum Missalis ad cornu Epistolae, deinde vadit retro post Celebrantem: Subdiaconus vero vadit (³) ad cornu Evangelii, ubi Calicem mundat, aptat cum purificatorio, Patena et palla cooperit, plicat Corporale, *(ut p. 227)*, reponit in bursam, et illam ponit super Calicem coopertum velo, quem collocat in altari, vel super Credentia ut prius: postea redit ad locum suum retro post Diaconum, qui cum dicit *Ite Missa est,* cum Celebrante vertit se ad populum: et in Quadragesima dicto per Celebrantem *Oremus,* Diaconus in cornu Epistolae vertens se ad populum, junctis manibus dicit ut supra *Humiliate* etc. quo dicto vertit se versus altare a tergo Celebrantis, et Celebrans dicit Orationem super populum.

(1) *In Missa solemni.* Rubrica nihil habet de agendis hic a Celebrante, quia ipsi omnia sunt agenda ut in Missa privata, si excipias quae fiunt a Diacono et Subdiacono. Itaque *Celebrans,* sumpta ablutione digitorum, Calicem, leviter vel nullo modo extersum, relinquit Diacono ulterius extergendum ac vestiendum. Non dicit *Ite Missa est;* sed dum cantatur a Diacono, ipse stat etiam versus ad populum, ut in Rubrica; dicit tamen *Benedicamus Domino* et *Requiescant in pace*, (dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 31); sunt enim laus et preces, hocque respectu disparitas habetur cum *Ite Missa est.*

(2) *Diaconus,* dum Celebrans sumit ablutionem digitorum, accipit Missale cum cussino aut pulpito, illudque defert ad cornu Epistolae, incedens inter Celebrantem et Subdiaconum, atque genuflectens Cruci, juxta *tit. IV, 7.* Cf. pt. Janss. *p. 2, II, h. t. n. 1.* Communione Celebranti indicata, vadit retro post illum, et eumdem comitatur

debitis cum reverentiis (*p. 248*), dum vadit ad medium altaris et redit ad cornu Epistolae. Primam Orationem Celebranti indicat; deinde absque genuflexione redit post illum, nisi vertendum sit folium. Si aliae Orationes sint quaerendae, nec adsit Presbyter assistens aut Caeremoniarius, qui id faciat, tunc ipse easdem ostendit Celebranti; haec enim praxis videtur consona menti Rubricarum. Cf. Janss. et Deherdt. Quidam Diaconi et Presbyteri assistentes, cum folia, sibi adversa, sunt vertenda, transeunt ad latus sinistrum Celebrantis; de hoc transitu omnino silet Caer. Ep. *l. 1, c. 7, n. 6;* neque hoc videtur consulendum, nisi forte pulpitum aut Missale tantae sit molis, ut folia convenienter verti nequeant a latere dextro. Quando tamen Diaconus aut Presbyter assistens transit de uno ad aliud latus Celebrantis, nullam facit gennflexionem. Si stet non ad librum, sed retro post Celebrantem, versus finem ultimae Orationis, accedit ad claudendum librum, aut ad quaerendum ultimum Evangelium. — Ante *Ite Missa est*, genuflectit illudque cantat versus ad populum; sed ad *Humiliate capita vestra* neque genuflectit, neque caput inclinat.

(3) *Subdiaconus vero vadit.* Rubrica silet de transferendis velo Calicis et palla ad cornu Evangelii. Cujus silentii ratio potest esse vel quia velum et palla possunt suo loco, prope medium altaris, relinqui, vel quia velum Calicis potuit ad Offertorium relinqui ad Credentiam (*p. 275, 1*), aut supponuntur [1] transferri ab Acolytho (de hoc cf. Cav. *h. l. n. 46*). His in locis, velum Calicis, palla et parvum cochlear transferuntur a Subdiacono. „Subdiaconus, ait Deherdt, redditis ampullis, accipit dextra pallam, sinistra cochlear parvum, et velum Calicis, si in cornu Epistolae ponatur, utraque manu juxta extremitates, sic ut pars pulchrior veli et pallae sit exterior, et quod in iis depictum est, non sit inversum; et illa simul defert ad cornu Evangelii, incedens per gradum inferiorem seu per planum, cedens superiorem locum Diacono, et cum eodem in medio altaris eamdem simul reverentiam faciens.“ Exterso et vestito Calice, collocatoque in medio altaris, vel delato (vid. *pag. 275*) ad Credentiam aut, hac deficiente,

1) „Velum e Credentia ab Acolytho est transportandum post Communionem ad altare in cornu Evangelii; quod si forte esset in cornu Epistolae, Subdiaconus acciperet illud utraque manu....“ Romsée, *tom. 2, p. 1, a. 7, nota.*

ad viciaam Sacristiam, redit ad locum suum retro post Diaconum; si Calix statim ab altari deferatur, Subdiaconus illum accipit sinistra ad nodum, dextra super bursam posita; deinde caput Cruci inclinat, et „discedens se vertit facie ad cornu Epistolae, et in medio ante infimum gradum altaris debitam reverentiam facit; deposito Calice, redit manibus junctis ad altare, ante medium altaris iterum debitam reverentiam facit, et deinde se sistit retro post Diaconum. Potest etiam, si Credentia sit ad cornu Evangelii, via breviori per gradus laterales discedere; item si Credentia sit versus cornu Epistolae, via breviori inde redire, et absque reverentia in accessu facienda se collocare retro post Diaconum, quia non transit medium altaris. Orationibus finitis, accedit per planum cum Celebrante et Diacono ad medium altaris, ibi debitam reverentiam facit, et stat in plano retro post Celebrantem et Diaconum." Deherdt.

TITULUS XII.

DE BENEDICTIONE IN FINE MISSAE, ET EVANGELIO S. JOANNIS.

Rub. 1. Dicto *Ite Missa est,* vel *Benedicamus Domino* ut supra, Celebrans ante medium altaris stans junctis manibus super eo, et capite inclinato, dicit secreto *Placeat tibi sancta Trinitas,* etc. quo dicto, extensis manibus hinc inde super altare positis, ipsum in medio osculatur: tum erigens se, adhuc stans (1) versus illud, elevat ad caelum oculos et manus, quas extendit, et jungit, caputque Cruci inclinans, dicit voce intelligibili, *Benedicat vos omnipotens Deus,* et junctis manibus, ac demissis ad terram oculis, vertens se ad populum a sinistro latere ad dextrum, extensa manu dextra, junctisque digitis, et manu sinistra infra pectus posita, semel [1] benedicit populo dicens, *Pater et Filius* ✠ *et Spiritus Sanctus,* R. *Amen;* et circulum perficiens accedit

1) *Semel.* Olim Presbyteri hoc loco ter populo benedicebant, nimirum ter producens signum Crucis, 1° versus cornu Epistolae, dicendo *Pater,* 2° in medio, dicendo *Filius,* et 3° versus cornu Evangelii, dicendo *Spiritus Sanctus.* Qui ritus perdurasse videtur usque ad S. Pium V. Hic autem trinam benedictionem prohibuit dari a Presbyteris, praeterquam in Missis solemnibus; et deinde in recognitione Missalis, sub Clemente VIII, eadem prohibita est generatim Presbyteris, et Episcopis reservata. Cf. *Rub. 7 et 8,* et Caer. Ep. *l. 1, c. 26, n. 5.*

ad cornu Evangelii, ubi dicto *Dominus vobiscum*, et R. *Et cum spiritu tuo*, pollice dextro signans (²) primum signo Crucis altare seu librum (³) in principio Evangelii, deinde frontem, os et pectus, dicit *Initium S. Evangelii secundum Joannem*, vel *Sequentia sancti Evangelii*, ut dictum est in Rubricis generalibus, et R. *Gloria tibi Domine:* junctis manibus, legit Evangelium, *In principio,* vel aliud ut convenit. Cum dicit *Et Verbum caro factum est*, genuflectit versus cornu Evangelii, et *(illis nempe dictis)* surgens prosequitur ut prius: quo finito Minister stans a parte Epistolae respondet *Deo gratias.*

(1) *Stans* incipit *Benedicat vos*, oculos elevando ad caelum, id est ad Crucifixi imaginem (Mer. etc.), manus quoque elevando etc.; et, cum dicit *Deus*, caput Cruci profunde inclinat.

(2) *Signans* pulpa pollicis (Mer.) dextri *primum altare .... deinde frontem* etc., *dicit Initium* etc. Obvius sensus horum verborum, *signans... et dicit*, est: incipiens signare sive altare sive librum, dicit *Initium* etc. Equidem ex Caer. Ep. *l. 2, c. 8, n. 80,* Episcopus, solemniter celebrans, „facto signo Crucis super altari, dicit *Initium S. Evangelii secundum Joannem.*" Unde quaeri potest 1° an verba *facto signo Crucis... dicit,* accipienda sint in suo proprio sensu, ita ut non dicantur verba, *Initium* etc., nisi altari signato? 2° Quae sit ratio hujusmodi differentiae inter lectionem primi Evangelii et illud S. Joannis in fine? Et 3° an a quolibet Celebrante dicta differentia sit servanda, quando ultimum Evangelium legitur absque libro? Vid. not. ap. Romsée, *tom. 1, p. 2, a. 5, n. 4.* Et quoad 3am quaest. puto servandam esse Rubricam Missalis.

(3) *Altare seu librum.* „Si libro non utatur Sacerdos, neque folio in quo scriptum sit Evangelium S. Joannis, signet altare; quod si utatur libro aut folio, signet in eo initium Evangelii." Vinitor *§. 5* cum Gav. Celebrans, juxta Cav. *n. 11*, quando legit Evangelium S. Joannis, „signat tabellam in qua continetur, si in promptu sit, sin autem, signat altare, et postea frontem..." Quae expositio consonat textui Rubricae; nam verbum, *altare*, est relativum ad *Initium*, et verba *seu librum*, correspondent ad haec, *Sequentia* etc., ita ut liber signandus sit et non altare quando aliud legitur Evangelium quam S. Joannis; et a pari, ipsa tabella, quando est in promptu. Equidem

juxta Janssens *n. 16*, res est arbitraria. „Alterutrum itaque, ait, signari debet, vel altare vel liber aut tabella, prout id placet Celebranti." Puto autem adhaerendum esse expositioni datae cum Gavanto etc.

Rub. 2. Si Celebrans in altari vertit faciem ad populum [1], non vertit se, sed stans ut erat, benedicit populo ut supra in medio altaris: deinde accedit ad cornu Evangelii, et dicit Evangelium S. Joannis.

(1) *Ad populum.* Unde ad hoc non sufficit, ut ante se habeat qui Missae assistant. „Si, inquit Cav. *n. 11 cit.* ante ipsum in Choro haberet Celebrans Clerum, aut Moniales, his non obstantibus se vertere debet, ut supra, ad populum, eumque benedicere directa intentione ad omnes, etiamsi in Ecclesia seu Capella, non adesset nisi solus inserviens Minister, et sic circulum perficere." Ita etiam Vinitor *§ 4* cum Gav. Cf. dicta, *tit. V, 3* et *tit. X, 6.*

Rub. 3. Si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinali, et Legato Sedis Apostolicae, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo in Provincia, Civitate vel Dioecesi sua existente, Celebrans, dicto *Placeat tibi sancta Trinitas* etc. dicit, *Benedicat vos omnipotens Deus*, et convertens se ad summum Pontificem genuflexus, ad Cardinalem vero, et Legatum, vel alium ex supradictis Praelatis capite inclinato, quasi licentiam benedicendi petens, prosequitur, *Pater, et Filius, ✠ et Spiritus Sanctus,* benedicens adstantes a parte, ubi non adest Pontifex, Cardinalis, Legatus aut Praelatus praedicti. Si autem celebravit coram Patriarcha, Archiepiscopo et Episcopo extra eorum Provinciam, Civitatem, vel Dioecesim constitutis, eis absque ullo respectu, ut caeteris, qui intersunt, more consueto benedicit.

Rub. 4. Si autem celebravit pro Defunctis, dicto *Placeat tibi Sancta Trinitas,* ut supra, et osculato altari, accedit ad cornu Evangelii, et dicit Evangelium S. Joannis praetermissa benedictione, quae in Missis Defunctorum non datur.

Rub. 5. Finito Evangelio in fine Missae, si celebravit coram Summo Pontifice, Cardinali, et Legato Sedis Apostolicae, vel Patriarcha, Archiepiscopo, et Episcopo, convertit se ad illum, coram quo ex praedictis celebravit, et facit reverentiam convenientem. Si non celebravit coram aliquo praedictorum, hujusmodi reverentiam praetermittit.

Rub. 6. Quibus omnibus absolutis *(N. B.)* extinguuntur per Ministrum candelae: interim Sacerdos accipit sinistra

Calicem, dextram ponens super bursam, ne aliquid cadat, *(facta Cruci reverentia, p. 222, 2)* descendit ante infimum gradum altaris; et ibi in medio vertens se ad illud, caput inclinat ([1])—(vel, si in eo est tabernaculum SS. Sacramenti, genuflectit), *(in plano, p. 227, 1)*, et facta *(N. B.)* reverentia accipit Birretum a Ministro, caput cooperit, ac praecedente eodem Ministro, eo modo quo venerat, redit ad Sacristiam, interim dicens ([2]) Antiphonam, *Trium puerorum*, et canticum ([3]) *Benedicite* ([4]). Si vero sit dimissurus paramenta apud altare ([5]), ubi celebravit, finito Evangelio praedicto, ibidem illis se exuit, et dicit Antiphonam *Trium puerorum*, cum Cantico et aliis Orationibus, ut suo loco ponuntur.

(1) *Caput inclinat,* non corpus, ut initio: et ratio disparitatis inde petenda videtur quod major actus humilitatis convenit quando Sacerdos celebraturus est, quam quando Dominum suum hospitem habet.

(2) *Dicens Antiph.* juxta qualitatem ritus et temporis.

(3) *Canticum Benedicite.* Agit contra Rubricas qui loco hujus Cantici aliud dicit, v., g. *Te Deum;* nisi forte non valeat illud memoriter recitare: quo in casu poterit quidem redeundo dicere *Te Deum* aut quid simile; sed, exutis vestibus, legat *Benedicite* cum Antiph. Caeterum advertendum est hoc Canticum posse absque magna difficultate memoriae mandari, si sequens adhibeatur methodus. Primo bene perspectum habeatur mediante aliquo commentario et attenta Cantici lectione, quaenam sint ejus partes, et quo ordine omnia Domini opera invitentur ad benedicendum suo Creatori; deinde per vices, unus aut aliqui versus memoriae mandentur, non materialiter tantum, sed attendendo ad praefatum ordinem. Et cum agatur de servanda ordinatione S. Matris Ecclesiae, nullus sane Sacerdos asserere poterit sibi tempus deesse ad illa media adhibenda, maxime cum pluries in die inter manus habeat praedictum Canticum.

Quaeritur an post Missam liceat Celebranti, paramentis sacris adhuc induto, recitare ante altare aliquem Psalmum, v. g. *Miserere, De profundis*, aut Litanias Lauretanas, ut alicui legato satisfaciat?

N. B. Quaestio ponitur de aliquo legato, quia de illa nominatim agit Romsée; sed responsum est etiam intelligendum de aliis adimplendis oneribus, v. g. de onere a Superiore imposito aut a stipendium dante.

R. 1° Negat Romsée *tom. 1, h. l.*, et *tom. 5, n. 170*, ubi sequens allegatur S. R. C. decretum „Quando adest legatum quod Sacerdos antequam discedat ab altari, recitet aliquod Evangelium, Psalmum, seu Orationem, post terminatam Missam, debet oneri sibi injuncto satisfacere post finem Missae, exutis vestibus Sacerdotalibus, et cum sola cotta in altari vel in Sacristia, et sic legatum adimplere. S. R. C. 31 Aug. 1669....“ Porro, addit ipse, ratio hujus decreti est, ne devotione indiscreta fidelium, aliquid tandem substantiae Sacrificii admisceatur, prout accidit olim respectu Evangelii S. Joannis.“ Cs. Deherdt *h. l.*, citando insuper S. R. C. dec. 11. Jul. 1820, n. 4417. Decretum, quod refert Romsée, legitur, apud Spiridionem Talu *n. 476*, iisdem verbis et sub eadem data, *in conversana*. Sed haec lectio est adultera; nam in authentico S. R. C. decreto 31 Aug. 1669, n. 2339, *in Conversanen.*, agitur tantum de Passione Domini recitanda post Evangelium *In principio;* pariter in alio decretro, quod allegat Deherdt, de sola Passione agitur.

R. 2° Quamvis adsint argumenta quae afferri possint ad probandum id fieri contra Rubricas et Decreta, id tamen non videtur posse asseri tanquam certum. *Argumenta pro prima parte* sunt sequentia: 1. Per hujusmodi Psalmum interrumpitur et invertitur ordo eorum quae in Missali ordinantur. 2. Quaedam fieri videtur Missae additio; quod omnino vetitum est. 3. Propter paritatem rationis, hoc etiam prohibitum videtur per citata decreta. — *Argumenta pro secunda parte:* 1. Interruptio inter ult. Evangelium et Canticum *Benedicite*, non est illicita si fiat ex rationabili causa, ut v. g. ad praebendam S. Synaxim; ergo argumentum nimis probat. 2. Si Celebrans, non stans quidem ad altare, ut infra Missam, sed in infimo gradu genuflexus aliquam interdum recitat precem, v. g. *De profundis* pro aliquo Defuncto, imo Litanias Lauretanas pro aliqua necessitate imperatas, reputabitur post Missam orare, non vero aliquid addere Missae. 3. Non probat argumentum ex allegatis decretis deductum, quia habetur disparitas inter utrumque casum, non solum quatenus valde longior est *Passio* quam *Miserere*, sed etiam et praecipue quatenus *Passio*, si post Missam ad altare legatur, uti supponi videtur in decretis allegatis, facilius existimabitur fieri additio Missae.

R. 3. Ex dictis sequitur praxim, a S. R. C. propositam pro legenda Passione, consulendam esse etiam pro recitandis Psalmis, aliisve precibus, indictis a Testatore aut ab Ordinario loci. Attamen cum probatum non sit, praxim recitandi dictas preces, statim post ultim. Evang. in infimo gradu altaris, reipsa repugnare Rubricis aut Decretis; ideo nec damnandus qui ita ageret, quando habetur ratio, v. g. si talis sit Ecclesiae consuetudo, aut si precibus statim recitatis populus assistat, qui e contra ab Ecclesia exiret, dum paramenta exuuntur precibus nondum recitatis. Hoc tamen ultimum militat tantum pro casu, quo populus praemoneri non posset, aut, etsi praemonitus, non remaneret.

(4) *Ad Sacristiam* redux, Celebrans Calicem adhuc tenens, capiteque tecto facit Cruci vel Imagini debitam inclinationem; deinde deponit Calicem, caputque aperit, et sacras vestes exuit osculando Crucem manipuli, stolae et amictus; Calicem quoque exuit, et purificatorium appendit ut siccetur, nisi haec ab alio fiant. Deinde, si haec existat laudabilis consuetudo (cf. dec. 12 Aug. 1854, *in Lucionen. ad* 28), manus lavat, in reverentiam SS. Sacramenti [1]. Quibus absolutis, animo recollecto debitas agit gratias pro tanto beneficio, precesque fundit hoc tempore tam propitio, tam acceptabili. Ad quem finem recitet Orationes in Missali positas, aliasque pro opportunitate; vacare etiam poterit piis meditationibus; imo congruit ut non tantum preces vocales recitet, sed ut plus minusve vacet Orationi mentali, pro sua devotione et temporis opportunitate. Quod vero attinet ad temporis spatium in hac gratiarum actione impendendum, hic etiam applicari possunt dicta de praeparatione Sacerdotis celebraturi. Pii autem Sacerdotes solent

1) „Depositis sacris vestibus, Celebrans lavat manus; quod tamen non fit ad tollendam aliquam maculam, quia potius ex contactu Sacramenti novum quoddam *Esse* sacrum manibus Celebrantis adhaeret; sed potius fit ad deponendum illud *Esse* Sacrum, priusquam Sacerdos manibus contrectet alias res profanas. Quarti, *part. 2, tit. 12, dub. 4*.... Scriptores citandi maxime laudant quarumdam Ecclesiarum consuetudinem, parandi scilicet in Sacristia duo manutergia, quorum unum inserviat Sacerdotibus pro abstergendis manibus ante Missam, et alterum post Missam: et quidem valde laudabilis est harum consuetudo, cum majorem reverentiam erga Sacramentum denotet.“ Mer. *n. 14* cum Gav. Bauld. Tonnell. et Biss.

huic gratiarum actioni vacare per quartam, ad minus[1], horae partem. Quod consonat praxi quae statuitur in Cong. Archiep. Dioec. Mechlin. 1848 *de Sacrif. Miss. n. 4*, ut scilicet (prout refertur ap. Deherdt, *h. l.*) „post peracta divina Mysteria, Sacerdos quartam circiter horae partem in Sacristia vel Ecclesia pie orando transigat, ut debitas Deo gratias agat, ejusque auxilium sibi suisque enixe imploret.“ Quaenam autem ratio possit omnino aut partim excusare ab hac gratiarum actione non est hic locus definiendi. Si tamen meum sensum proferre liceat, breviter dicam me non posse approbare praxim Sacerdotum qui *promiscue*, exutis sacris paramentis, *statim* pergunt ad excipiendas confessiones. Ipsi quidem dicunt se ita agere ne poenitentes

1) Quarta pars horae non reputatur sufficiens a S. Ligorio, uti videre est in opusculo, cui titulus *Selva*. Ibi, *tom. 1, inst. 1, n. 16 sq.*, multa tradit, et multum quidem commendanda, de hac gratiarum actione, et ibi dicta sic concludit. „Entretenons-nous donc avec Jésus-Christ après la Messe, au moins pendant une demi-heure, au moins pendant un quart d'heure; mais hélas! un quart d'heure c'est trop peu.“ Adverti potest, privilegium, quo Sacerdos donatur saepius quam Fideles refici S. Synaxi, rationem esse non breviandi, sed protrahendi gratiarum actionem.

Juvat insuper notare verba quae profert Vinitor de eadem re, *h. t. §. 15.* »Peracto, inquit, Sacro-Sancto Missae Sacrificio, non minor cura, quam ad antecedentem Missae praeparationem requiritur, ut quisque in omni silentio ac quiete actionum, locutionum, sensuum, et cogitationum, sese contineat; et si per occupationes diu non potest, paulisper tamen, et per quartam minimum, aut octavam saltem horae partem devote secum meditetur, et intenta cogitatione perpendat quis, quid egerit: et qua fide.... Nam quod Sacerdotes multi quotidie aut frequenter sacrificent, pauci autem ex illis proficiant: et multi vani, omnique solida pietate vacui existant, non alia arbitratur esse causa, quam quod sine ullo timore ac devotione tam sanctum opus aggrediantur, et perfunctorie atque ex quadam consuetudine aut necessitate, magis quam ex sincera et vera devotione perficiant, et mox, una cum sacris vestibus, omnem rei peractae cogitationem deponant, omnemque internam, et externam pietatis formam exuant, totoque corde et animo ad fabulas, ad vana et otiosa effundantur. Quod sane non facerent, si meditationi sanctae debito modo aliquamdiu intenti fuissent; et illustriorem in se quotidie custodiae exterioris et interioris hominis debere esse disciplinam, quam in laicis, quando in festo Paschae Corpus Domini accipiunt, sentirent.«

diutius exspectent taedioque afficiantur; et proinde se Deum relinquere propter Deum.

At nimis exaggeratur periculum, ne propter congruam gratiarum actionem poenitentes taedio afficiantur; nam non erit multum timendum illud periculum, si Fideles bene instruantur de obligatione, quae tam ipsis quam Sacerdotibus incumbit, debitas agendi gratias Christo Domino, in Communione recepto. Inde ostendi poterit ipsis non aegre, sed grato animo, esse ferendum, si et ipse Confessarius suo satisfaciat oneri; et quidem eo magis quod Confessarius infra illud tempus non solum propria gerit negotia cum suo magnifico Hospite, sed multa etiam ab eodem impetrat in favorem suorum poenitentium. Rogari etiam poterunt Fideles ut, qui exspectare nequeunt donec terminata sit gratiarum actio, curent alio tempore se praesentare. Hac agendi ratione, Sacerdos non solum sibi et poenitentibus multas impetrabit gratias a suo benigno atque omnipotenti Hospite, sed praeterea illud magnum exinde exurget commodum: ipse suo praelucens exemplo, suos auditores, suos poenitentes multo efficacius suis adhortationibus inducet ut congruum tempus impendant gratiarum actioni. Porro si ex gratiarum actione majus bonum spirituale, majorque Dei gloria oriatur quam ex ejus omissione, verum non est quod praetenditur, Deum scilicet, in casu, jure relinqui *propter Deum.* Dicta tamen intelligenda sunt generatim loquendo, videlicet de praxi *promiscue* omittendi congruam gratiarum actionem, ut statim excipiantur confessiones; occurrere enim possunt circumstantiae propter quas ea non solum possit, sed et debeat differri. Si vero hujusmodi necessitas occurrat, tunc haec duo serventur: non plus brevietur, quam exigit necessitas: hacque cessante, suppleatur quod fuit omissum.

Si quis opponat praxim hic propugnatam non approbari, sed tanquam impossibilem haberi a viris experientia doctis, illi et ego repono, Sanctum Alphonsum de Lig. virum non solum sanctitate et eruditione conspicuum, sed etiam longa experientia doctum, magnoque flagrantem zelo charitatis erga peccatores, hunc Sanctum, inquam, non permittere ut Sacerdotes suae Congregationis, etiam quando occupantur in Missionibus, minus quam quadrantem praedictae gratiarum actioni impendant, quamvis adsit magna populi frequentia Confessariorumque penuria. Velint pii

Sacerdotes haec omnia meditari, tempore praesertim Exercitiorum spiritualium. Cf. quae in nota *p. 337* dicuntur cum S. Lig. et cum Vinitore.

(5) *Apud altare.* Quod ad arbitrium fieri non potest; sed tantum ob defectum Sacristiae aut alterius loci congruentis; haec enim Rubricae dispositio apponitur per modum exceptionis. Cs. Mer. Janss. *Ibidem,* postquam tamen accessit ad medium altaris, ad inclinandum caput Cruci. Mer. Janss. Cav.

De Missa solemni.

Rub. 7. In Missa solemni Celebrans eadem voce et modo, quo in Missis privatis, semel tantum benedicit populo, nisi sit Episcopus, et dicto Evangelio secundum Joannem, vel alio ut supra, ministrante Subdiacono librum, si opus est, discedit cum Ministris, ordine et modo, quo venerat.

Diaconus cantato *Ite Missa est*, vel *Benedicamus*, flectit utroque genu super infimum, aut secundum aut alium gradum altaris juxta consuetudinem Ecclesiae aliquantulum versus cornu Epistolae.

Subdiaconus similiter flectit utroque genu sub benedictione juxta Diaconum in eodem gradu altaris paululum versus cornu Evangelii.

Diaconus et *Subdiaconus,* qui non sunt Canonici, genuflectunt infra benedictionem (dec. 27 Aug. **1836**, n. **4633, 12**), caput profunde inclinant, seque signant dum Celebrans benedicit populo, deinde accedunt ad Celebrantem, eique assistunt dum legit ultimum Evangelium, se signando, caput inclinando et genuflectendo cum eodem. Juxta Deherdt, infra hoc Evang. Diaconus stat ad dextram Celebrantis, Subdiaconus ad sinistram, et solus Subdiaconus sinistra aut etiam Diaconus dextra ministrat tabellam. Juxta Gavant. Biss. Cav. et Romsée, Diaconus stat in 2° gradu inter Celebrantem et Subdiaconum, aliquantulum post ipsum Celebrantem. Quae dissensio forte oritur ex diversa hypothesi, quatenus scilicet in prima, et non in 2ª sententia tabella supponitur sustineri sive ab uno, sive ab utroque. Servanda igitur videtur Ecclesiae consuetudo, ut *tit. VI, p. 259, 3.*

Subdiaconus, si opus sit, transfert librum ad cornu Evangelii, genuflectendo in medio altaris, illumque collocat, ut

ad primum Evangelium. Infra benedictionem genuflectit, et se signat, juxta solitum; si tamen liber non potuerit prius collocari ad cornu Evangelii, illum tenet nec se signat.

„*Diaconus* et *Subdiaconus,* lecto Evangelio, accedunt cum Celebrante ad medium altaris, ibique Diaconus a dextris et Subdiaconus a sinistris cum Celebrante debitam faciunt reverentiam: deinde se vertentes facie versus Celebrantem, cum ipso descendunt ad planum ante infimum gradum altaris, ubi facie versus Celebrantem se vertentes ad altare, debitam cum eodem faciunt reverentiam. (Vid. *pag.* 247). Erecti, Subdiaconus accipit birretum, et se cooperit, et Diaconus accipit birretum Celebrantis, eique offert, atque suum, et se quoque cooperit. Tum manibus junctis ante pectus, redeunt ad Sacristiam eodem ordine et modo, quo ad altare accesserunt, praecedentibus Acolythis cum candelabris; primo incedit Subdiaconus, sequitur post ipsum Diaconus, et ultimo Celebrans. In Sacristia se constituunt ante Crucem: Diaconus a dextris Celebrantis et Subdiaconus a sinistris; tum posita sinistra super pectus, dextra se discooperiunt, et birretum prae manibus tenentes, vel illo deposito, manibus junctis, Cruci caput profunde inclinant; et deinde se vertentes ad Celebrantem, ei pariter caput paululum inclinant. Deinde sacras vestes exuunt ordine retrogrado, manipulum, stolam et amictum osculantes, et sacras vestes super mensam debite componentes.“ Ex Deherdt aliisque.

„Notent Diaconus et Subdiaconus convenire, non ut a sacro ministerio ad mundana statim prosiliant, sed ut per aliquod tempus in Ecclesia orantes remaneant.“ Deherdt.

Rub. 8. Episcopus autem ter benedicit populo, etiam in Missis privatis, ut in Caeremoniali habetur.

TITULUS XIII.

DE HIS QUAE OMITTUNTUR [1] IN MISSA PRO DEFUNCTIS.

Rub. 1. In Missa pro Defunctis ante Confessionem non dicitur Psalmus *Judica me Deus,* sed pronuntiata Antiphona

1) „Ex triplici capite, inquit Quarti *h. l.,* omittuntur nonnulla in Missis Defunctorum. 1° Ratione significationis gaudii et laetitiae, seu consolationis cujusdam quae non congruit dolentibus de proximorum transitu, et cruciatu in purgatorio, ut docent Alcuinus etc... 2° Omittuntur ea quae pertinent ad

Introibo ad altare Dei, et responso a Ministro *Ad Deum qui laetificat* etc. dicitur Vers. *Adjutorium nostrum;* et Confessio cum reliquis ut supra. Cum Celebrans ad altare incipit Introitum, non signat se, sed manu dextra extensa, facit signum Crucis super librum, quasi aliquem benedicens. Non dicitur *Gloria Patri*, sed post Psalmum repetitur *Requiem aeternam;* nec dicitur *Gloria in excelsis*, nec *Alleluia*, nec *Jube Domine benedicere*, nec *Dominus sit in corde meo;* nec osculatur librum in fine. Non dicitur *Credo:* non benedicitur aqua in Calicem fundenda; dicitur tamen Oratio, *Deus qui humanae substantiae* etc. Cum lavat manus, in fine Psalmi, *Lavabo inter innocentes*, non dicitur *Gloria Patri.* Ad *Agnus Dei* non dicitur *Miserere nobis*, cujus loco dicitur *Dona eis requiem*, nec tertio *Dona nobis pacem*, cujus loco dicitur *Dona eis requiem sempiternam*, neque percutitur pectus. Non dicitur [1] prima Oratio ante Communionem, scilicet, *Domine Jesu Christe, qui dixisti*

festivam solemnitatem, quia, in ritibus festivis est etiam quaedam hilaritas minus congruens Missis pro Defunctis, quae sunt moeroris et luctus. Durandus etc... 3° Ob specialem applicationem fructus Sacrificii et precum seu Orationum, quae in Missis pro Defunctis potius dirigendae sunt ad animas Purgatorii, quam ad Viventes: quasi, inquit Hugo Victorinus, magis Defunctorum quam nostri memores, indulgeri eisdem Deum precemur. Hinc omittuntur nonnullae preces, quae proprius pertinent ad Viventes et Viatores, et commutantur in alias pro Defunctis."

„Ex *primo capite*, prosequitur Autor, omittuntur 1° Psalmus *Judica me Deus*, in quo sunt aliqui versus laetitiae, ut *Confitebor tibi in cithara;* 2° omittitur *Gloria Patri* etc.; 3° omittitur *Gloria in excelsis Deo, Alleluia;* et alia similia. — Ex *secundo capite*, non dicitur *Jube, Domine, benedicere* ante Evangelium, nec Sacerdos osculatur librum in fine, non dicitur *Credo*, nec datur benedictio in fine Missae; et similia omittuntur. — Ex *tertio capite*, cum Sacerdos incipit Introitum, non signat se, sed facit signum Crucis super librum, quasi benedicens Defunctos, et dirigens ad illos illas preces, quas legit ex libro: ad *Agnus Dei* non dicitur *Miserere nobis*, sed *Dona eis requiem* etc. [1]; et in fine Missae non dicitur *Ite Missa est* etc., sed *Requiescant in pace;* tandem non benedicitur aqua, quia hac benedictione significatur justificatio viatorum; animae vero Purgatorii justae sunt."

1) *Non dicitur* 1ª *Orat.*, quia est de pace, quae non datur in Missa Defunctorum.

1) *Dona eis Requiem.* „Quasi magis Defunctorum quam nostri memores, indulgeri eisdem Deum precemur." Gav.

Apostolis tuis etc., nec datur pax [1]. In fine non dicitur *Ite Missa est,* nec *Benedicamus Domino,* sed *Requiescant in pace.* Et non datur benedictio; sed dicto *Placeat,* et osculato altari, dicitur ut supra, *In principio erat Verbum,* etc. Alia omnia ut in aliis Missis.

1. Cum in Missis Defunctorum non conveniant signa laetitiae, neque conveniens sit ut in iisdem nostra attentio et oratio avertantur a Defunctis, ideo omnia omittuntur quae laetitiam significant, et generatim Orationes, Benedictiones ac reverentiae, quae ad Vivos spectant. Cf. notata *pag. praec.* cum Quarti.

2. De his ultimis verbis, *Alia omnia,* nonnulla veniunt notanda. Hic, ut etiam alibi fieri solet, subintelligitur haec trita limitatio: nisi alia mutatio alibi notetur, v. g. locis propriis, aut sequatur ex exceptionibus hic expresse factis. Unde iis quae hic expresse excipiuntur, sequentia addenda sunt. 1° Dum liber benedicitur ad Introitum, manus sinistra ponitur super altare (*tit. III, 5;* cs. dec. 7 Sept. 1816, n. 4376, 42). — 2° Non dicitur *Per evangelica dicta.* Dec. 11 Sept. 1847, n. 4950, 12. — 3° Praefatio et *Communicantes* semper dicuntur communia; omittuntur Commemorationes, et Collectae pro Vivis; nec proinde caput inclinatur ad nomen Sancti de quo fit Officium aut Commemoratio *(p. 252)*, ut dicitur titulis propriis. Cf. pt. Dec. 4 Jun. 1644, n. 1361, de *Communicantes;* et dec. 12 Apr. 1823, n. 4444, 13, de capitis inclinatione. — 4° Ad *Agnus Dei,* cum pectus non percutiatur, manus tenentur junctae ante pectus.

3. *Ut in aliis Missis.* Ex illis, quae agenda sunt ut in aliis Missis, notanda veniunt sequentia. 1° Inter AA. non convenit utrum ad haec referendae sint preces quae in Missali assignantur pro praeparatione Sacerdotis. „Tertia et vera sententia, inquit Quarti *h. l. dub. 1,* docet praeparationem ad Missam, seu preces de quibus est quaestio,

1) *Nec datur pax,* quia est signum laetitiae, quod non convenit Missae Defunctorum; vel probabilius, quia Sacra Mortuorum erant privata, non solemnia: in solemnibus autem erat Communio Populi, et ad eam praeparatio per pacem; quae cessabant in privatis. Gav. et alii. S. Th. cit. in nota *pag. 304,* addit in Missis Defunctorum non dari pacem, quia in Missis Defunctorum non pro praesenti pace Sacrificium offertur, sed pro requie Mortuorum. Cf. Bened. XIV, *sect. 1, n. 326.*

dicendas esse ante Missas *de Requiem,* aeque ac ante alias Missas, excepto illo casu de quo est sermo in Caeremoniali Papae supra citato; adde et in Caeremoniali Ep. *lib. 2, c. 11.*" — 2° Omittenda non sunt oscula amictus, manipuli et stolae. — 3° In discessu ab altari, recitatur more solito Antiph. *Trium puerorum,* et Canticum *Benedicite.*

Verba *Requiem aeternam dona eis,* et *Requiescant,* semper dicenda sunt prout jacent, in numero plurali, etsi pro uno celebratur Missa: nam generatim loquitur Rubrica, absque ulla exceptione. Cs. dec. 22 Jan. 1678, n. 2709.

De Missa solemni.

Rub. 2. In Missa solemni non incensatur altare [1] ad Introitum, et Subdiaconus finita Epistola non osculatur manum Celebrantis, nec benedicitur: Diaconus non petit benedictionem, nec osculatur Celebrantis manum; non tenentur luminaria ad Evangelium, nec portatur incensum, sed duo tantum Acolythi sine candelabris stant, unus a dextris, et alter a sinistris Subdiaconi tenentis librum Evangeliorum. Non incensatur liber, nec in fine Celebrans; nec defertur liber Evangeliorum osculandus. Oblata et altare incensantur ut supra: incensatur solus Celebrans, et non incensantur alii. Subdiaconus non tenet Patenam post Celebrantem: sed tempore elevationis Sacramenti genuflexus in cornu Epistolae illud incensat. Ministri cum aliquid porrigunt Celebranti, in hac Missa non osculantur ejus manum, neque rem, quae porrigitur.

1. Quae hic non recensentur tanquam omittenda aut mutanda, nec aliunde debent omitti, puta vi praecedentis alteriusve Rubricae, ea peragenda sunt sicut in aliis Missis,

1) *Non incensatur altare* etc. Ex notatis supra cum Quarti facile colligitur cur in Missa solemni Defunctorum omittatur incensatio altaris ad Introitum, benedictiones et oscula, similesque ritus, qui indicant solemnitatem et laetitiam. „Incensantur tamen Oblata, ut praeparentur ad consecrationem, et in eumdem finem incensatur altare, et solus Celebrans, non tamen incensantur alii. Subdiaconus non tenet Patenam, quae solemnitatis indicium est; et tandem Ministri cum aliquid porrigunt Celebranti, non osculantur ejus manum, nec rem quae porrigitur, quia oscula haec indicant hilaritatem quamdam et oblectamentum, et idcirco omittuntur ex dictis supra in primo capite." Quarti. Cf. notata *p. 274,* de ritu sustinendi Patenam.

juxta dicta ad Rub. praec. Itaque hic solummodo agendum est de iis circa quae oriri potest dubium aut difficultas. 1° In accessu ad altare, et discessu ab eodem, Acolythi deferunt candelabra cum candelis accensis, ut alias; et cerei toto Missae tempore manent accensi. Deherdt cum Mer. 2° Juxta Merati, Romsée, Deherdt etc., *Diaconus* et *Subdiaconus*, facta confessione, more solito cum Celebrante ascendunt ad altare, et ibi debitam faciunt reverentiam: deinde Celebrante accedente ad cornu Epistolae, Diaconus et Subdiaconus se collocant, ut alias ad Introitum; Celebrante autem librum signante, se non signant, et stant junctis manibus. Attamen, juxta Baldeschi *tom. 2, c. 8, n. 5*, Diaconus et Subdiaconus non ascendunt ad altare, sed se sistunt, unus post alium, locis suis retro post Celebrantem, ibique genuflectunt cum Celebrans osculatur altare. 3° Quando cantatur Sequentia, convenit ut, Evangelio a Celebrante lecto vel non, pro more Ecclesiae, fiat sessio ut ad *Gloria*. Cum cantatur *Oro supplex* Celebrans et Ministri solent, hisce in locis, inclinare caput; quo versu cantato, Diaconus accedit ad dicendum *Munda*, vel si Prosa non cantetur, illud dicit circa finem tractus quem cantat Chorus. Cf. Mer. et Cav. 4° Circa delationem Calicis ad altare, non eadem est omnium Ecclesiarum praxis, ut advertit Janss. *n. 7*. Si in altari non ponatur ante Missam, videtur deferendus ad Offertorium, cantato *Oremus (tit. VII)*; cs. Cav. *n. 16* et Mer. *n. 15;* sed hic defertur absque velo humerali. 5° Diaconus et Subdiaconus, Celebrantem imitati, non percutiunt pectus ad *Agnus Dei*. 6° Celebrans dicit *Requiescant in pace* versus ad altare *(p. 328)*.

Rub. 3. Si distribuenda sint candelae [1], distribuantur post Epistolam, et accendantur ad Evangelium, ad elevationem Sacramenti, et post Missam dum fit absolutio. Si

1) „Distribuuntur candelae in Missis pro Defunctis, et accenduntur ad significandum animas vivere....; et diutius tenentur accensae, quia excitant ad considerationem poenarum et flammarum Purgatorii, et ad ferenda ferventius suffragia pro animabus quae ibi cruciantur....“ Quarti. Advertit Merati, *n. 17*, quod candelae distribuendae deberent esse de cera communi, ex Caer. Ep. *l. 2, c. 11*, et Gav., nisi voluntas haeredum, aut eorum ad quos spectat, inclinaret ad ceram albam. Vid. dicta *pag. 206*. Rationes mysticas, ob quas candelae accendantur ad Evangelium etc., tradit Gav. *h. l.*

habendus est sermo, habeatur finita Missa [1] ante Absolutionem.

Rub. 4. Finita Missa, si facienda est absolutio, Celebrans retrahit se ad cornu Epistolae, ubi exuitur Casula et deposito manipulo *(quod etiam faciunt Ministri. p. 190)*, accipit pluviale nigrum. Subdiaconus medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis defert Crucem sicut in Processionibus, praecedentibus duobus aliis Acolythis, uno cum thuribulo, et navicula incensi, alio cum vase aquae benedictae et aspersorio: sequitur Celebrans facta prius altari reverentia, et Diaconus a sinistris ejus. Subdiaconus cum Cruce sistit se ad pedes tumuli ([1]), seu lecticae Mortuorum contra altare, medius inter dictos Acolythos tenentes luminaria: Celebrans vero ex alia parte in capite loci inter altare et tumulum aliquantulum versus cornu Epistolae, ita ut Crucem Subdiaconi respiciat: a sinistris ejus Diaconus, et prope eum alii duo Acolythi deferentes thuribulum et vas aquae benedictae. Interim cantatur Resp. *Libera me Domine*, et circa illius finem Celebrans ponit incensum in thuribulum, benedicens illud more solito *(tit. IV, 4)*, ministrante Diacono naviculam: et finito *Kyrie eleison*, incipit intelligibili voce *Pater noster*, et secreto prosequendo reliqua, accipit aspersorium de manu Diaconi, et facta altari reverentia, comitante eodem Diacono a dextris, et tenente fimbriam anteriorem pluvialis, circuiens tumulum, aspergit illum aqua benedicta, ter a parte dextra ([2]), et ter a sinistra. Cum transit ante Crucem, profunde inclinat, Diaconus vero genuflectit: postea de manu ejusdem Diaconi accipit thuribulum, et eodem modo, quo asperserat, incensat. Et rediens ad pristinum locum, Diacono tenente librum, junctis manibus dicit: Vers. *Et ne nos inducas in tentationem;* Resp. *Sed libera nos a malo.* Vers. *A porta inferi*; Resp. *Erue Domine animam ejus.* Vers. *Requiescat in pace;* Resp. *Amen.* Vers. *Domine exaudi Orationem meam;* Resp. *Et clamor meus ad te veniat.* Vers. *Dominus vobiscum;* Resp. *Et cum spiritu tuo.*

1) *Finita Missa.* Hac enim occasione non solet explicari Evangelium, sed virtus et meritum Defuncti pro quo celebratur, et ideo fit extra Missam. Quarti. Cf. dicta *tit. VII, 6;* item Caerem. Ep. ibi cit., et dec. 14 Jun. 1845, n. 4865, juxta quae sermo habendus est in nigris.

OREMUS.

Absolve, quaesumus, Domine, animam famuli tui N. ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria, inter sanctos et electos tuos resuscitatus respiret. Per Christum Dominum nostrum. Resp. *Amen.*

Deinde Celebrans faciens Crucem manu dextra super tumulum dicit Vers. *Requiem aeternam dona ei Domine.*

Resp. *Et lux perpetua luceat ei.*

Et dicto per Cantores *Requiescat in pace,* et Resp. *Amen,* praecedente Cruce redit cum aliis ad Sacristiam.

Si officium fit pro pluribus Defunctis, omnia dicantur in numero plurali.

(1) Ad pedes tumuli, „ita ut sit inter Ecclesiae portam et tumulum, in medio talis spatii, faciem convertendo contra altare, et animadvertendo ut relinquatur spatium Celebranti et Diacono quamprimum illac transituris." Mer. *n.* 24. Rubrica dicit generatim ad pedes tumuli seu lecticae, ac proinde excipiendus non est casus quo Absolutio fiat pro Sacerdote: an vero idem etiam dicendum sit quando praesens est corpus, vid. *Part. IV, tit. de Exequiis.*

(2) *Ter a parte dextra,* id est, incipiens a *sua* parte dextra, ut habet Caer. Ep. *l.* 2, *c.* 11, *n.* 18. Caeterum patet ordinem naturalem, seu modum faciliorem esse ut Celebrans tumulum ad suam sinistram, et non ad dextram habeat, cum illum aspergit aut thurificat.

APPENDIX I AD SECT. III.

De receptione Episcopi et Missa coram eodem.

Praenotandum. Expositis tredecim titulis in quibus traditur *Ritus celebrandi Missam* privatam et solemnem tam pro Vivis quam pro Defunctis, superest, ad complementum hujus sectionis, ut nonnulla in unum colligamus et exponamus quae, licet quandoque occurrant servanda in aliqua peculiari Missa, desiderantur tamen in praefatis titulis, vel nonnisi sparsim et nimis succincte in eisdem traduntur. Ideo tres hic subjiciuntur appendices: 1. de Receptione Episcopi et Missa coram eodem; 2. de Expositione SS. Sacramenti et sacris functionibus coram eodem; et 3. de Missa cum Presbytero assistente.

§. I. DE RECEPTIONE EPISCOPI.

Triplex distinguitur circumstantia in qua recipitur Episcopus, scilicet: recipitur *a)* quando ingreditur civitatem aliquam aut oppidum insigne, *b)* quando accedit ad aliquam Ecclesiam eam visitaturus, vel *c)* ad eam accedit rem divinam peracturus aut ei adfuturus. Inde triplex recipiendi modus.

I. *In primo casu* Processio, si id ferant circumstantiae loci, instituitur ad obviandum Praelato extra portam urbis, prout ordinat Pontificale Rom., et processionaliter deducitur ad Ecclesiam. „Cum... intrat portam majoris seu principalis Ecclesiae, Praelatus Ecclesiae, seu majorem dignitatem habens, indutus superpelliceo et pluviali pretioso, detecto capite, offert illi aspersorium cum aqua benedicta, quod Praelatus, seu Legatus, accipiens, aspergit primo seipsum, deinde alios. Tum idem Praelatus Ecclesiae, seu primam dignitatem habens, offert ei naviculam, aliquo alio Sacerdote superpelliceo induto thuribulum porrigente, et Legatus, seu Praelatus, imponit incensum; et statim Praelatus Ecclesiae, seu dignitatem habens, incensat ipsum Praelatum seu Legatum stantem cooperto capite, more consueto. Deinde procedunt ad altare majus Ecclesiae, et ibi super faldistorio ante infimum gradum altaris parato procumbit, et orat Praelatus, seu Legatus. Interim vero Praelatus Ecclesiae, seu dignitatem majorem habens, stans in cornu Epistolae altaris versus ad orantem detecto capite, dicit:

„Vers. *Protector noster aspice Deus.* Resp. *Et respice in faciem Christi tui.* (Hic notat Pontificale praecedentem versum omitti quando Praelatus est *Diaconus* Cardinalis). Vers. *Salvum fac servum tuum.* Resp. *Deus meus sperantem in te.* Vers. *Mitte ei Domine auxilium de Sancto.* Resp. *Et de Sion tuere eum.* Vers. *Nihil proficiat inimicus in eo.* Resp. *Et filius iniquitatis non apponat nocere ei.* Vers. *Domine exaudi Orationem meam.* Resp. *Et clamor meus ad te veniat.* Vers. *Dominus vobiscum.* Resp. *Et cum Spiritu tuo.*"

„*Oremus. Omnipotens sempiterne Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super hunc famulum tuum, et cunctas congregationes illi commissas, Spiritum gratiae salutaris: et ut in veritate tibi complaceat, perpetuum ei rorem tuae benedictionis infunde. Per Christum Dominum nostrum.* Resp.

Amen." Ita Pontificale Rom., *tit.* „*Ordo ad recipiendum processionaliter Praelatum vel Legatum.*" Vid. not. *ad calc.*

Quando autem processio non potuit fieri extra Ecclesiam, nec ideo Praelatus osculatus est Crucem, tunc ea illi offertur ad ingressum Ecclesiae. Absolutis supra traditis, et data benedictione, Praelatus Ecclesiae, et alii, ait Pontificale, dimissis paramentis, associant illum usque ad diversorium suum... Notandum est eos, qui non sunt Canonici, genuflectere dum aqua asperguntur ab Episcopo. *Mer.*

II. *Pro secundo casu* sequentia tradit idem Pontificale, titulo *Ordo ad visitandas Parochias.* „Pontifex visitaturus Dioecesim et Parochias suas, cum ad civitatem seu oppida suae Dioecesis pervenerit, recipitur processionaliter eo ordine, prout supra in receptione Praelati, seu Legati dictum est. Hoc solo dempto, quod loco Orationis *Omnipotens sempiterne Deus,* etc., seu *Deus omnium* etc., ipso Praelato ante altare in faldistorio genuflectente, dicitur sequens Oratio."

„*Oremus. Deus humilium visitator, qui eos paterna dilectione consolaris, praetende societati nostrae gratiam; ut per eos, in quibus habitas, tuum in nobis sentiamus adventum. Per Christum Dominum nostrum.* Resp. *Amen.*" „Qua finita, Pontifex surgens ascendit ad altare majus, osculaturque in medio, et ibidem populo solemniter benedicit."

III. *De tertio casu* agit Caerem. Ep. *l. 1, c. 15.* Quae ibi traduntur, directe quidem spectant ad Ecclesias Cathedrales et Collegiatas; nihilominus jure merito servabuntur in aliis Ecclesiis. Cf. dicta *tom. I, p. 14 sq.* Episcopus recipitur ad portam Ecclesiae, et ad altare deducitur, prout ordinat dictum Caeremoniale *(l. c. n. 3* et *5,* necnon *l. 2, c. 9, n. 3)* et Merati *(part. 2, tit. 14, n. 25).* Itaque facta aquae aspersione, absque thurificatione, Episcopus deducitur ad altare SS. Sacramenti, ubi genuflexus super pulvino aut genuflexorio ibi parato orat; deinde, si altare majus sit diversum, ad illud accedit, et dum ibi orat, Celebrans et Ministri vestiuntur: hi enim non accedunt ad portam Ecclesiae paramentis Missae induti. Cf. Caer. *l. 1, c. 15, n. 11.* Oratione facta, Episcopus accedit ad sedem sibi praeparatam.

Notandum est aspersorium porrigi, ut supra, a prima Ecclesiae Dignitate aut Rectore, sicuti concludi potest ex supradictis, et pluries declaratum est a S. R. C. Cf. pt. multa decreta, apud Deherdt, *p. 2, n. 72, 3,* et Cav. *tom. 4,*

cap. 23, dec. 4. Attamen ex dec. 18 Jan. 1653, n. 1511, excipe casum quo Capitulum Ecclesiae Cathedralis capitulariter, cum indumentis canonicalibus procedit ad eam Ecclesiam.

§. II. DE MISSA CORAM EPISCOPO.

I. *Praeparanda.* 1° Ante gradus altaris, paretur faldistorium aliudve genuflexorium cum operimento coloris Missae, quod facile amoveri possit. — 2° Sedes Episcopalis a latere Evangelii, nisi altare sit in medio, et Chorus inter altare et parietem: in hoc enim casu sedes Episcopalis e regione altaris parieti applicatur, ita ut Episcopus, in ea sedens, respiciat recta linea mediam altaris partem. Caer. Ep. *l. 1, c. 13, n. 1* et 2. „Utroque autem casu tribus gradibus ad eam ascendatur, qui pannis, aut tapetibus tegantur. Forma sedis erit praealta et sublimis ... quae debet tegi et ornari aliquo panno serico, non tamen aureo, nisi Episcopus esset Cardinalis; et super eam umbraculum, seu baldachinum ejusdem panni et coloris, appendi poterit, dummodo et super altari aliud simile, vel etiam sumptuosius appendatur, nisi ubi super altari est ciborium marmoreum vel lapideum: quia tunc superfluum est, nec aptari commode potest.“ Caer. *l. c. n. 3.* A lateribus sedis Episcopalis, ponantur duo scabella nuda (Caer. *l. 1, c. 8, n. 2*), pro Canonicis assistentibus. — 3° Missale, in quo Episcopus legat Introitum, etc. Caer. *l. 1, c. 20, n. 1* et 2. — 4° Si de Missa privata agatur, paretur instrumentum pacis *(tit. X, 3)*; si vero de Missa solemni, cui Episcopus velit assistere paratus, super altare ponantur amictus, alba, cingulum, pectorale, pluviale et mitra.

II. *Ritus servandi.* 1. *In Missa privata* serventur ritus traditi *tit. III, 2, 8* et *11,* de initio Missae, de confessione et de accessu ad altare; *tit. VI, 2,* de osculo libri post Evangelium; *tit. X, 3,* et Caer. Ep. *l. 1, c. 30, n. 2,* de pace; *tit. XII, 3* et *5,* de benedictione, et de recessu ab altari.

Apud Baldeschi, *tom. 1, c. 10,* habetur instructio ad inserviendum Missae privatae ab aliquo Cardinali aut Episcopo celebratae in propria Dioecesi. Cf. Caer. Ep. *l. 1, c. 29.*

2. *In Missa solemni.* 1° *Servanda quoad Episcopum.* Episcopus interest Missae vel paratus cum pluviali et mitra, vel cappa *(pag. 187 nota)* tantum vestitus; in utroque casu iidem ei exhibentur actus reverentiae et praeeminentiae

„excepto quoad thurificationem, quia quando non est paratus, non debet thurificari, nisi post thurificationem oblatorum tantum.“ Caer. Ep. *l. 2, c. 9, n. 8,* et *l. 1, c. 23, n. 13.* Itaque quando Episcopus assistit Missae solemni per inferiorem cantatae, ipse benedicit incensum, Subdiaconum, Diaconum, et Concionatorem *(p. 261)*, qui osculantur ipsius manum; item benedicit aquam, thurificatur, et, in fine, benedictionem impertitur. Caer. *l. c.* Quod ad thurificationem attinet, Episcopus, quando assistit cum pluviali, thurificatur et quidem triplici ductu, non tantum post oblata, sed etiam ante Introitum et post Evangelium. Caer. *l. 1, c. 23, n. 13.* Omnes coram eo faciunt debitas reverentias: Celebrans ei se inclinat, quando coram eo transit et infra benedictionem in fine; Ministri autem, qui non sunt Canonici Ecclesiae Cathedralis, genuflectunt in transitu ante illum, in accessu et recessu; excipe eum qui pacem defert. Tandem omnes caveant, ne terga ei vertant.

2° Sequentia sunt servanda a Celebrante etc., usque ad thurificationem altaris. *a)* In accessu ad altare, Celebrans et Ministri se sistunt aliquantulum versus cornu Evangelii; cum Praelatus ad altare pervenit, Celebrans „stans a sinistris Praelati *(p. 235)*, facit cum eo confessionem, et alia servat ut in Caeremoniali ordinatur.“ Presbyter autem assistens, Canonici, Diaconus et Subdiaconus stant post Episcopum et Celebrantem, ut in dec. 14 Nov. 1676, n. 2653, 6 et 12 Nov. 1831, n. 4520, 15.

Haec Rubricae verba, *facit cum eo confessionem,, et alia servat ut in Caerem.*, quod attinet ad initium Missae, sic exponenda videntur: Episcopus dicit Psalmum, cum *Misereatur* et *Indulgentiam,* respondente Celebrante; confessio fit simul a Praelato et Celebrante; et Vers. *Deus tu conversus,* cum sequentibus, dicitur seorsim ab Episcopo et a Celebrante. Vid. dec. 4 Aug. 1663, n. 2094, 7, 14 Nov. 1676, n. 2652, 6, et 12 Nov. 1831, n. 4520, 15.

b) „Dicto per Praelatum *Indulgentiam* etc. Celebrans et Ministri ei faciunt reverentiam, et aliquantulum se retrahentes cedunt locum Praelato, qui tunc de medio altaris discedit cum suis Assistentibus ad sedem sibi paratam, interea dicens *Deus tu conversus* etc. alternatim cum suis Assistentibus. Post recessum Praelati, accedunt Celebrans ad medium ante gradus altaris, et Diaconus ad dextram Celebrantis; ac Celebrans alternatim cum Ministris dicit

Deus tu conversus etc., et reliqua de more peragit usque ad finem Orationis *Oramus te Domine*, quando stans exspectat, quousque thuribulum allatum fuerit.“ Deherdt, *n. 72, 6.*

3° Quoad reliquas Missae partes, seorsim tradenda veniunt quae spectant ad Celebrantem, ad Presbyterum assistentem, ad Diaconum, ad Subdiaconum et ad Thuriferarium.

Celebrans. Quoad ejus thurificationem, distinguendum est utrum Episcopus assistat cum vel sine pluviali: si primum, Celebrans thurificatur duplici ductu ante Introitum et post oblata, non vero post Evangelium *(tit. IV, 5,* et Caerem. Ep. *l. 1, c.* 23, *n. 13)*; si secundum, tunc Celebrans thurificatur ante Introitum et post Evangelium more solito, sed post Offertorium, duplici tantum ductu, post Episcopum. — Solus Episcopus osculatur librum Evangeliorum *(tit. V, 5).* Celebrans dat pacem Presbytero assistenti aut Diacono, juxta solitum *(tit. X, 8 et 9)*; sed non benedicit populum: dicto *Placeat* etc., osculatur altare, et statim se retrahit ad cornu e regione sedis Episcopalis, ita ut faciem habeat versus Episcopum, caputque inclinat infra benedictionem ab Episcopo datam (cf. Caer. *l. 1, c. 25, n. 5 et 7*); deinde, publicatis indulgentiis (Caer. *l. c. n. 8*), legit ultimum Evangelium. Quo finito, descendit, et, facta altari et Praelato reverentia *(tit. XII, 5)*, discedit. Si Celebrans et Ministri, redeundo ad Sacristiam, transituri sint ante Episcopum, tunc reverentia quae fit Episcopo in recessu ab altari, videtur omittenda, quia ejus locum tenet ea quae fit in transitu.

Presbyteri assistentes Episcopo, cum eo accedunt ad altare initio Missae, eique respondent. Quorum primus ministrat naviculam more solito, Episcopumque, si sit paratus, thurificat (Mer. *h. l. n.*); tempestive accedit ad Celebrantem ut ab eo pacem accipiat more solito *(tit. X, 8 et 9,* et Caer. *l. 1, c. 24, n. 8 et 10)*, eam Episcopo delaturus, inclinando post et non ante pacem datam (Caer. *l. c. n. 5*).

Presbyter assistens Celebranti ministrat juxta solitum, his exceptis: *a)* debitas facit reverentias Episcopo; *b)* ad confessionem initio, se sistit post Celebrantem *(p. 350)*, et ad benedictionem in fine, ad ejus sinistram vel dextram, prout Episcopus dat benedictionem e latere Evangelii aut Epistolae; *c)* pacem accipit, non a Celebrante, sed a Presbytero qui illam Episcopo detulit. Caer. *l. 1, c. 24, n. 9.*

An hic Assistens, si non sit Canonicus, debeat Episcopo genuflectere vel tantum se inclinare, non dicit Caeremoniale; spectato tamen ejus ministerio, aequiparandus videtur, quoad reverentias, potius Celebranti quam Diacono, ac proinde teneri ad solam inclinationem.

Diaconus Missae omittit oscula manus Celebrantis, puta thuribulum aut Patenam porrigendo. Dec. 12 Sept. 1857, ad 2, juxta Caer. Ep. *l. 1, c. 18, n. 16;* quod fit reverentiae causa erga Episcopum. Si Episcopus non habeat Assistentem, tunc Diaconus ad ejus sedem accedit cum genuflexione, naviculam et cochlear ministraturus quoties thus est imponendum: offert naviculam, uno genu flexus (Mer. *tit. 14, n. 26*) debitis cum osculis, dicendo *Benedicite Pater Reverendissime.* Deinde redit ad Celebrantem, cui thuribulum offert sine osculis; incensato altari, vadit ad Episcopum cum Thuriferario thuribulum deferente, et facta genuflexione, illum thurificat stantem cum mitra *(p. 347).* Si Episcopo assistat aliquis ex suis Canonicis Ecclesiae Cath., hic ministrat naviculam; „Diaconus non accedit ad Episcopum pro imponendo thure, sed sufficit Thuriferarius cum Caeremoniario; et tunc idem Presbyter assistens incensat Episcopum paratum.“ Mer. Deinde Diaconus thurificat Celebrantem duplici ductu, ut supra. Cf. Caer. *l. 2, c. 8, n. 47.* Incenso imposito et dicto *Munda cor meum,* accedit ad Episcopum, benedictionem petiturus, dicendo *Jube Domne benedicere;* lecto Evangelio thurificat vel Episcopum vel Celebrantem ut *pag. 351,* Pacem accipit a Subdiacono, vel, si non adsit assistens, ab ipso Celebrante juxta solitum. „Si adsit Episcopus, qui non habeat Presbyterum assistentem, convenit ut Diaconus pacem a Celebrante acceptam, statim Episcopo deferat; et postea eam dabit Subdiacono, et hic Clero, et aliis. Bauld.“ Mer. *part. 2, tit. 10, n. 45.* Infra benedictionem genuflectit a sinistris aut a dextris Celebrantis vel Presbyteri assistentis, prout sedes Praelati est ad cornu Evangeli aut Epistolae.

Subdiaconus. In accessu et recessu facit Praelato debitas reverentias, id est genuflexiones, servando quae supra (2°) dicuntur. Lecta Epistola, accedit ad sedem Episcopi, benedictionem petiturus; in accessu flectit unum genu, et utrumque infra benedictionem; accepta benedictione, osculatur annulum. Si Episcopus sit paratus *(p. 350)*, ei defert librum Evangeliorum, unum flectendo genu post, et

non ante osculum Evangelii (Caer. *l. 1, c. 10, n. 4*). „Canonicum, seu Presbyterum assistentem, cum pace recedentem ab altari, sequitur, et pacem accipit ab eo in plano Capellae, quam deinde dat Cantoribus in Choro, tum Diacono, demum Caeremoniario, vel Acolytho...“ Mer. *part. 2, tit. 14*, *n. 32*. Si non adsit Presbyter assistens, nec ipse Diaconus pacem Episcopo deferat, tunc Subdiaconus pacem, a Diacono acceptam, Episcopo defert, ac deinde caeteris distribuit. Cf. Mer. *l. c.* Infra benedictionem in fine, genuflectit ad sinistram aut ad dextram Diaconi, prout Sedes Episcopi est ad cornu Evangelii aut Epistolae. In fine flectit Episcopo, cum Diacono.

Thuriferarius, dum ad Episcopum accedit pro impositione et benedictione incensi, flectit uno genu in accessu et recessu; et utroque cum imponitur et benedicitur incensum. Cf. dicta *tom. I, p. 451,* et Caer. *l. 1, c. 18, n. 15.*

APPENDIX II AD SECT. III.

De expositione SS. Sacramenti et ritibus coram eodem exposito servandis.

Cum hic tradendus sit ritus celebrandi Missam coram Venerabili, publicae venerationi exposito, nec habeatur in Rubricis Missalis titulus peculiaris de expositione SS. Sacramenti et ritibus coram eodem exposito servandis, ideo hic videtur esse opportunus locus colligendi quae hac de re passim traduntur in Rubricis et decretis, aut apud Autores. Duo erunt §§., unus de ipsa Expositione, alter de ritibus servandis tam in ipsa Expositione, quam in aliqua sacra functione coram eodem.

§. I. DE EXPOSITIONE SS. SACRAMENTI.

1. Expositio frequentius aut rarius facienda, juxta prudens arbitrium Ordinarii. — 2. Expositio est *privata* aut *publica*, haecque plus minusve diuturna, aut solemnis. — 3. Ad *privatam* non requiritur causa publica, neque Ordinarii licentia: facienda tamen est debito modo et ritu. — 4. Ad *publicam*, duo generatim requiruntur, autoritas videlicet et decentia. — 5. Decentia quoad circumstantias etc. — 6. Circumstantiae. — 7. Ornatus Ecclesiae et altaris. Reliquiae et Statuae Sanctorum. — 8. Numerus et qualitas luminum tam ex congruentia quam ex praecepto, pro varia expositione. — 9. Servanda et omittenda: cura de altari; Missa aut Communio ad altare expositionis; genuflexiones; pulsatio in Missis privatis; concio; sessio; Sacer-

dotes in continua adoratione; Missae Defunctorum, etsi exequiales, interdictae; cantanda; *Alleluia;* inclinatio ad *cernui.* — 10. Ritus expositionis et repositionis, pro variis circumstantiis; stola, color paramentorum; Oratio super infimum gradum; expositio; regula de omittenda vel non benedictione incensi; inclinatio ante impositionem incensi; modus exponendi Sacramentum in fine Missae; casus quo desit Hostia major; Sacerdos assistens non induit pluviale. — 11. Benedictio cum SS. Sacramento; non nimis frequens; velum humerale albi coloris; silent Cantores; incensatio infra benedictionem; semi aut plenus circulus; una vel trina benedictio; thurificatio laudabilis antequam recondatur Sacramentum. — 12. Ritus in Missa servandi: unde desumuntur; circa quae versantur; ritus servandi Fer. V et VI majoris Hebdomadae coram Sacramento super altare. — Duplex vel una genuflexio in accessu et recessu — Prima Celebrantis actio in accessu, et ultima in recessu, est genuflexio. — 13. Ritus *Missae privatae.* — 14. Ritus *Missae solemnis.* — 15. Oscula certo servanda; casus dubius. — Ministris genuflectendum cum Celebrante. — 16. Sessio et genuflexio infra *Gloria* et *Credo* — Thurificatio ad Offertorium.

1. An SS. Sacramentum possit exponi publicae venerationi, nullus catholicus dubitabit, attentis quae habentur in Trid. *sess. 13, cap. 5 de Euch.*, et *can. 6.* Unde quaestio tantum esse potest de utilitate frequentis expositionis. Circa quod non conveniunt AA., uti exponunt Bened. XIV, *Inst. 30, n. 5 et sqq.*, et Deherdt, *part. 2, n. 64, II.* Hujusmodi autem quaestio solvi nequit modo absoluto, opusque est distinctione. Vid. Bened. XIV, *cit. infra in nota 1.* Expositio enim SS. Sacramenti, si in se sola spectetur, procul dubio res est optima, pia, fonsque uberrimus maximorum bonorum; ac proinde hoc sub respectu esset frequentissime habenda. At spectatis et hominis natura, et ipsius expositionis circumstantiis, incommoda oriri possunt ex frequentiori expositione, quatenus nata sit minuere devotionem ac reverentiam erga hoc maximum Mysterium: experientia enim quotidiana constat, uti advertit Romsée, omnia usu vilescere, etiam sacratiora, nisi singulari praecautione tractentur; cujusmodi praecautio facilius negligitur in frequentioribus expositionibus. Cf. Romsée, *tom. 3, art. 19, n. 9.* Itaque quaestionis solutio praesertim pendet a circumstantiis. Cf. S. Lig. *l. 6, de Euch. n. 424, v. Refert.* Judicium autem de circumstantiis relinquitur prudentiae Ordinarii [1]: ipsi aestimandum est an frequentior aut rarior

1) Bened. XIV, rescribendo Episcopo Warmiensi, sequentia

expositio expediat in sua Dioecesi; ipsi etiam invigilandum et procurandum, ut expositio debito modo fiat. Unde jam apparet expositionem, ut licita sit, faciendam esse juxta leges generales Ecclesiae et statuta dioecesana.

2. *Duplex expositio* distinguitur, ratione causae, et ritus seu modi: *privata* et *publica*. *Privata* habetur, quando

tradit in sua constitutione 16 Apr. 1746, *Accepimus:* Quaerebatur, „an sacra Eucharistia, quae frequentissime in ista civitate publice exponi solet, deinceps adorationi Fidelium rarius exponenda videatur; an etiam Ecclesiae, an dies, in quibus id permittendum judicabitur, ab Episcopo designari debeant."

„Illud in primis, ait, certissimum est huic Sedi Apostolicae, in quibuscumque Ecclesiis, etiam privilegio immunibus, sive saecularibus, sive regularibus, non licere exponi publice divinam Eucharistiam, nisi causa publica et Episcopi facultas intervenerint; solius autem Episcopi partes esse, ut causae publicae meritum expendat, ac declaret. Id nos ipsi luculenter ostendimus in nostra Institutione (30ª *Edit. lat.*).... In illa igitur Institutione cognitum perspectumque fecimus, quam difficile reipsa sit decernere, utrum probanda, an improbanda sit Eucharistici Sacramenti frequens expositio. Haec sane quaestio conferri potest cum alia quaestione, utrum consentaneum magis judicetur rem Divinam singulis diebus conficere, an vero aliquando intermittere; utrum pariter illi qui Sacerdotes non sunt, et tamen ad percipiendam Eucharistiam quotidie accedunt, laude an censura digni videantur. Nullum his quaestionibus responsum fieri potest, nisi antea declarentur peculiares rerum circumstantiae, ex quibus omnis solutio difficultatis desumenda est."

„Ii, qui frequentes Eucharistiae expositiones improbant, in medium afferunt irreverentiam, quae plerumque cum ejusmodi frequentia conjungitur. Contra vero intelligimus veteri consuetudine factum esse, ut frequenter in ista civitate Sacra Mysteria exponantur; quae si abrogetur, fore ut populi Religio, ac pietas imminuatur, ac turbae concitentur. Itaque qui praesens isthic versaris, et animarum curae ac gubernio praepositus es, omnem operam studiumque impendere debes, ut populus cultu, quo decet, ac veneratione Divinam Eucharistiam prosequatur. Quod si pro re consequenda opportunum existimes, frequentes Eucharistiae expositiones diminuere, ea prudentia consilioque hoc negotium administres, ita ut pusilli nullum scandalum et offensionem patiantur; Rectores Ecclesiarum convoces, cum quibus tempus idoneum constituas, quo sacra Mysteria exponenda in qualibet Ecclesia sibi videantur; ipsas divinae Eucharistiae expositiones ita distribuas, ut in singulis urbis regionibus sacra Mysteria publicae venerationi quotidie exhibeantur, ne populus cultum deserat, quem sacrae Eucharistiae praestare consuevit." Cf. not. *p. 359.*

S. Eucharistia exponitur, et quidem velata [1], propter causam privatam, puta propter aliquam personam aut familiam. An vero hujusmodi expositio fieri possit extra tabernaculum, dicitur *n. sequenti*. *Publica* est, quando, publica de causa, SS. Sacramentum extrahitur e tabernaculo et publicae venerationi detectum exponitur. Porro tam causa quam solemnitas publicae expositionis potest esse minor aut major; unde utroque vel alterutro respectu, publica expositio subdistingui potest in solemnissimam, solemniorem et minus solemnem. Cf. Gard. *Prooem. ad Inst. Clem. n. 13*, et *§. 36, n. 2.*

3. *De privata expositione.* Haec pauca sunt notanda de ejus causa, de modo et ritu quo fieri possit aut debeat. 1° Ut fieri possit, sufficit causa privata, et opus non est licentia Ordinarii (Bened. XIV, *Inst. 30, n. 16, cit. in nota*), quando Pyxis non extrahitur e tabernaculo.

2° *Triplex* distinguitur *modus*. *Primus* est, quo Pyxis, suo [2] velo cooperta, relinquitur in tabernaculo aperto. *Secundus* in hoc consistit quod SS. Sacramentum, e tabernaculo extractum, exponitur in Ostensorio quidem, sed ita velatum ut non conspiciatur S. Hostia. Tandem juxta *tertium* modum, Pyxis, e tabernaculo extracta, conspectui adstantium exponitur, cum (Gardel. *§. 36, cit. n. 15*) vel sine

1) »Ante *Urbani IV* Tempora, nondum in usu erant vasa monstrantia, et aevo S. *Caroli Borromaei*, S. Hostia in eleganti pretioso tabernaculo ad modum cilindri elaborato, et in pyramidis formam desinente includebatur. Ostensorium, quo nunc utimur, ad recentiora tempora pertinet. Docemur insuper ex ejusdem S. Antistitis Instructione, etiam in expositione solemnissima XL Hor., sacrum illud tabernaculum non in throno sub umbella, sed in altaris mensa collocari consuevisse, sed desuper velo, quod obumbraret, sed non omnino tolleret aspectum Sacramenti, imposito. Ita factum arbitror ob reverentiam Sacramenti, et ad devotionem adstantium conciliandam.... Modo ea viget consuetudo, quod non tegatur velo Ostensorium; nisi in casu quod expositum sit pro privata aliqua necessitate; et quod initio fuit reverentiae argumentum, modo adhibetur in signum tanquam non dubium, quod expositio fit non ex Praesidum mandato, et publica causa, sed pro aliquo infirmo, aut alia privata necessitate permittitur...« Gardell. Inst. clem. *§. 36, n. 9.* De Ostensorio vide *ibid. dicta, ad §. 5, n. 10 et sqq.*

2) Quaestio hic est de velo quo S. Pyxis servatur cooperta in tabernaculo, ut ordinat Rituale Rom. *tit. de SS. Eucharistia.*

suo velo; sive privata [1], sive publica nuncupetur hujusmodi expositio.

Primus modus, juxta omnes servari potest, imo ipse solus [2], seclusa Ordinarii licentia, servandus videtur. Secundum permittit Card. Lambertini pro sua Archidioec. Bononien.; sed tertium rejicit [3]. An vero hic tertius modus, ubi est in usu, tolerari possit ab Ordinario loci, non ego definio, et tantummodo sequentia *pro* et *contra* subjicio. *a)* Juxta Romsée et Hazé *(de Festo Corporis Christi n. 9 fin.)*, introducendus est hujusmodi usus, qua medium ad resecandas frequentiores expositiones cum Remonstrantia [4]; praeterea praefatus modus supponitur in dec. 7 Mai. 1746,

1) Gardellini, *l. c. n. 10.* „Parum interest, inquit, hic determinare, an publica dicenda sit expositio, quia palam in throno Sacramentum exponitur adorandum, vel privata, quia ex causa privata fit.“

2) S. C. Episcop. et Regular. sequentia de expositione privata decrevit. „Si quandocumque privata ex causa Sacrosancta Eucharistia exponenda videbitur, a tabernaculo nunquam extrahatur, sed in Pyxide velata, aperto ejusdem tabernaculi ostiolo, cum assistentia alicujus Sacerdotis stola et superpelliceo induti, et cum sex saltem luminibus cereis collocetur: quod idem in Ecclesiis saecularium servari mandamus. S. C. Ep. et Reg. die 9 Dec. 1602.“ Ap. Bened. XIV, *Inst. 30, cit. n. 21.* Cf. Gardell. *l. c. §. 36, n. 11.*

3) „Si sermo sit de exponenda privatim Eucharistia... tabernaculum solum aperiatur: et S. Pyxis clausa, suoque velamine obtecta, populi oculis subjiciatur; vel si Eucharistia e tabernaculo proferenda sit, sphaera intra crystallum inclusa sub umbella statuatur, et caetera omnia circum apponantur, de quibus sermonem inferius instituemus. Sphaera tamen velo adoperta ita sit, ut S. Hostiae aspectus impediatur. Primam Eucharistiae exponendae normam decreta Scriptoresque superius allati aperte commemorant; altera vero Romanae Urbis consuetudine probatur. Verum penitus interdicitur, Sacram Pyxidem ob privatam causam extra tabernaculum efferri, ac velatam sub umbella collocari; cum nullum hujusce ritus vestigium apud Scriptores, nulláque Sedis Apostolicae consuetudo deprehendatur, quam sequi omnino debemus.“ *Inst. cit. n. 16.* „Certum est, ait Gardell. *l. c. n. 11,* in expositionibus vere privatis non licere Pyxidem ex aperto tabernaculo extrahere, et benedictionem populo cum ea impertiri.“ Cf. *ibid. n. 15 et 16.*

4) „Quoad expositiones SS. Sacramenti id (resecare scilicet abusus) attentare poterunt Ecclesiarum Rectores, exponendo diebus Dominicis et aliis, non solemnissimis, sacram Pyxidem loco Remonstrantiae.“ Hazé, cum Romsée, *l. c.*

n. 4032. *b)* At omnino rejicitur a Bened. XIV, *Inst. 30, n. 16*, et a Gardell. *l. c. §. 36, n. 26, sextum.* „Nunquam permittendum, ait, ut Pyxis loco Ostensorii in throno collocetur, quia id Sanctae Romanae Ecclesiae consuetudinibus adversatur.“ Vid. *ibid. n. 11 et sqq.* Cs. Card. Lambruschini *cit. hic n. 8.* Cf. dec. 23 Mai. 1835, n. 4599, 4. Vetus tamen consuetudo extrahendi S. Pyxidem ad benedicendum populo, approbari potest, certis sub limitibus [1].

3° *Ritus.* Quando expositio fit 1° modo, tunc ex *dec.* S. C. Ep. et Reg., *cit. nota 3*, sex saltem requiruntur cerei. Cs. Ben. XIV, *l. c. n. 22.* Si autem 2° (aut 3°) modo fiat, tunc Ordinarii est determinare qua ratione sit agenda. Ben. XIV, dum erat Archiep. Bononien., sequentia pro sua Dioecesi ordinavit: „Si vero privata de causa Sacrosancta Hostia inclusa solita sphaera, et velo cooperta sub umbella ponatur, tunc praecipimus, ut saltem cerei bis sex accendantur, et Sacerdos aliquis stola *(p. 192)*, ac superpelliceo indutus ibi flexis genibus precibus detineatur. Quocumque tamen modo exponatur Eucharistia, qui id postulaverint, nanciscantur etiam diligenter Presbyteros qui singulis horis alternatim Christo Domino cultum exhibeant; nisi id cognitum certumque prius habeant, Praefecti Ecclesiarum facultatem non tribuent, ut Sacra Mysteria exponantur.“ *Inst. 30, n. 22.* Cf. Gardell. *§. 6, n. 8 fin., cit. infra in nota ad n. 8.*

4. *Publica expositio,* ratione temporis quo durat, duplex distingui potest: alia enim fit diuturniori tempore, alia brevi spatio ad dandam benedictionem. De hac posset quaeri an sit proprie expositio publica? Sed nomen parum refert; sive publica, sive privata *(p. 356)* sive mixta dicatur, certo fieri nequit absque licentia Ordinarii, et cerei tot saltem ardere debent quot in expositione privata, quae fit *secundo modo.* Hic quaestio est de ea quae fit diuturniori tempore, et de hac plura veniunt notanda.

1° Conditiones generatim requisitae ut SS. Sacramentum possit publicae venerationi exponi, ad duas reducuntur, scilicet: ad „auctoritatem et decentiam; quae duae conditiones sunt, inquit Gardellini *§. 36, cit. n. 7,* quas, quotquot hac de re scripserunt, licet in contrarias sententias quoad frequentiam incidentes, necessarias omnino esse docuerunt; quod et ipsa religio actionis plane suadet.“ Ad-

1) Cf. Bened. XIV, *Inst. 30, n. 23.*

esse quidem debet causa publica; sed haec conditio includitur in auctoritate, id est, in licentia Ordinarii cujus est meritum causae publicae expendere et declarare [1]. Apud Deherdt, *n. 65*, 2° plura citantur S. R. C. decreta de hujusmodi licentia data. Sed ejus necessitas abunde probatur ex Constitutione Benedictina *cit. in nota p. 354.*

2° Sed praeter autoritatem, requiritur decentia; et ad hanc maxime attendere debent Ecclesiarum Rectores. Praeterquam enim quod Sancta sancte tractanda sunt [2], ex hac agendi ratione maxima exurgit Fidelium aedificatio: si enim accurate fiant quae hac de re ordinat Ecclesia, excitatur et nutritur in animis Fidelium devotio et reverentia erga augustissimum Sacramentum; si vero ea omittantur, quid proderunt concionatorum verba, Superiorum [3] adhortationes, ad promovendum augendumque SS. Eucharistiae cultum?

5. In specie decentia oritur *a)* ex circumstantiis in quibus fit expositio, *b)* ex ornatu Ecclesiae et altaris, et *c)* ex qualitate et numero luminum, *d)* ex omissione quorumdam, *e)* ex accurata observantia rituum in ejus expositione et repositione, et in Missa coram eodem.

Circa quae, duo sunt advertenda. 1° Habenda est ratio

1) Cavalieri, *tom. 4, dec. 115 in Ord.* seu 8, *cap. 7,* loquendo de quibusdam expositionibus publicis quae videri possent fieri *sine magno criterio causae,* sequentia scribit: „Consuetudo ipsa, consentientibus Praelatis, si non latius, certe non strictius eamdem interpretatur causam, dum sine magno criterio causae ad publicas procedit Eucharistiae expositiones, in quibus caeteroqui item publica latet causa, quatenus inde populus, qui ad eas accurrit, excitatur ad virtutum actus, a rebus profanis avertitur, et ad devotionem erga SS. Sacramentum accenditur. Hae aliaeve similes, quatenus adsint et eveniant causae, etsi nulla alia gravis occurrat et publica, utique Episcopi in concessione se poterunt praebere faciles; difficiles vero, si ex uberiori frequentia non exurgant congrui pietatis fructus.“ Cf. dicta *supra n. 1.* Cs. S. Lig. *l. 6, n. 424, ad 16, V. Refert.*

2) „Antonius Albergattus, Sedis Apostolicae Nuncius, cum Parochos civitatis ac Dioecesis Leodiensis institueret, ita libere scripsit: *Multo melius est, ut non ita frequenter exponatur, et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius et sine debito obsequio et reverentiae significatione id fiat, ut cum nostra animi commotione multis in locis exponi vidimus, et invenimus.*“ Ap. Bened. XIV, *Inst. 30, n. 7.*

3) Cf. Litt. a RR. DD. Episcopo Nostro datae die 8 Mai. 1853, de hoc argumento.

locorum, temporum et personarum, quoad minorem aut majorem ornatum, modo tamen decentia non deficiat. Cs. Gard. §. *36, n. 8, fin.* — 2° Quae servanda sunt ratione expositionis, oriuntur ex jure communi vel particulari. Quae distinctio vix quidem aliquid utilitatis habet pro locis ubi viget Particularis Institutio Ordinarii, qua omnia ordinantur quae servanda sunt, sive ad jus commune, sive ad jus Particulare pertineant. Verum pro aliis locis, maximi est momenti, et haec duo accurate sunt distinguenda, ne praeceptum cum consilio seu mera convenientia confundatur. Itaque, cum pleraque eorum, quae hic exponuntur, desumantur ex *Inst. Clem. (vid. ad calcem h. tomi)*, necnon ex *Inst. 30* Bened. XIV, praemonendum duco, non solum Inst. Benedictinam extra Dioec. Bononien., sed etiam Inst. Clementinam extra Urbem esse, *per se*, directivam tantum; unde ea, quae in eis continentur et ad jus commune non pertinent, alibi, secluso particulari praecepto, non obligant, quamvis tamen laudabile sit eadem servare, si nihil obstet, uti declaravit S. R. C. die 12 Jul. 1749, n. 4054, de Inst. Clementina. Cf. Gardell. *Prooem. n. 9,* et *sqq.* Pariter Institutio Benedictina, quamvis per se sit juris Particularis, valde tamen est commendanda, tum quia ad eamdem remittit Pontifex in sua constitutione, *Accepimus, (p. 354)* tum quia multa continet ad eruditionem simul et ad praxim pertinentia, quaeque hic brevitatis causa, silentio praetermittere cogor.

6. *Circumstantiae* in quibus publice exponitur SS. Sacramentum ita comparatae esse debent, ut Fidelium mentes omnemque reverentiam convertant ad Venerabile, et minime alio divertant. Unde exponendum non est hunc in finem, ut quamdam adjiciat solemnitatem Festo aut sacrae functioni: ordo enim omnino invertitur, dum Sanctus Sanctorum fit quasi quid secundarium et accidentale; a fortiori exponendum non est in functionibus in quibus irreverentiae facile committuntur, v. g. quando multa interveniunt instrumenta musicorum. Hac et aliis ductus rationibus, Cavalieri *tom. 4, dec. 135*, Benedictum XIV, *Inst. 30, n. 15,* secutus, non probat praxim exponendi S. Eucharistiam in Festis solemnibus Sanctorum (vide tamen Gardellini, *Inst. Clem.* §. *3, n. 8 sqq.*), et, si agenda videatur, consulit ut fiat tantum versus finem Officii, ad Hymnum Vesperarum, vel ad *Magnificat.* Hoc tamen committitur etiam prudenti

arbitrio Ordinariorum. „Verum, ait, cum, pro expositione, Episcoporum sit licentiam facere, non putamus satius rem definiri posse, quam eorum prudentiae et curae dimittere, ut, pro circumstantiarum contingentia, id statuant, quod magis ad honorem Sacramenti tendere et ad salutem Fidelium expedire judicaverint." Cf. pt. Breve Innocentii PP. XI ad Archiep. Mechlinien. Alp. De Berghes datum, 20 Mai. 1682, quod refertur in *Synodicon Belgicum, tom. II, p. 381* et *sqq.* Ex dictis non sequitur, uti patet, Sanctos non posse invocari coram Venerabili publice exposito.

7. De peculiari Ecclesiae ornatu non habetur lex generalis. Unde, seclusa peculiari ordinatione, satis est ut plus minusve ornetur pro variis opibus et pro varia solemnitate. Cf. *Inst. Clem. §. 2, 3, 6* et *8.* Hic autem, ut jam dictum est *n. praec.*, ad id etiam maxime attendendum est, ut nullum sit ornamentum quod mentes Fidelium a SS. Sacramento distrahat, sed omnia conducant ad reverentiam erga eumdem et ad ejus honorem. Cs. Gard. *§. 3, n. 6* et *13.* Propterea 1° cautum est (dec. 2 Sept. 1741, 5) ne Sanctorum Reliquiae apponantur super altare in quo publice exponitur S. Eucharistia. Cs. dec. 19 Mai. 1838, n. 4683, ubi agitur de expositione etiam per breve tempus. Cs. Gard. *§. 4, n. 5.* Et hujus sanctionis ratio est in promptu; ex una enim parte actus reverentiae praestari non possunt Reliquiis coram SS. Sacramento, et ex alia, Reliquiae sunt res sacrae, nequaquam ad ornatum destinatae, et quae exponuntur ut ipsis exhibeatur cultus. Quoad statuas Sanctorum, idem resolvendum est, pro tempore expositionis XL Hor. *(§. 3* et *4)*; secus autem pro aliis expositionibus (Gard. *§. 3, n. 7*). 2° Congruit ut pro expositione eligatur altare princeps *(§. 3)*, splendideque ornetur pro cujusque Ecclesiae facultate; festivus autem sit ornatus, non tantum altaris, sed etiam totius Sacelli; ea quae immediate Sacramento inserviunt, non autem alia, debent esse coloris albi; super altare nihil apponendum est quo impediatur Sacramenti aspectus; collocari tamen possunt vasa cum floribus inter candelabra et super altaris mensam, dummodo sint in humiliori loco, nec impediant aspectum Sacramenti. Cf. *§. 5* et *18* cum Gard. *§. 5, n. 3, 6.* 3° Congruus adhibeatur cereorum numerus, ut *n. seq.* 4° Crux infra Missam apponi potest, pro varia Ecclesiarum consuetudine, ut dictum est *pag. 204 sq.* Quando autem

apponitur, inclinationes quae ad eam dirigi solent, fiunt Sacramento.

8. *Numerus et qualitas luminum.* 1° Magnus luminum numerus multum, procul dubio, confert ad reverentiam erga SS. Sacramentum et ad ejus honorem, necnon ad acuendam Fidelium pietatem: quod testari possunt quotquot propriis oculis contemplati sunt illam magnificam luminum congeriem, eleganter ordinatam circa SS. Sacramentum expositum in Ecclesiis Urbis pro Or. XL Hor. Cf. Gard. *§. 6, n. 4.* Quare Ecclesiarum Rectoribus adlaborandum est et, pro viribus, procurandum (sive ex Ecclesiae reditibus, si id patiantur, sive ex pia beneficentia propria et Fidelium) ut non solum semper cerei ardeant in numero praescripto, sed etiam ut major adsit numerus, praesertim tempore vespertino. Et quo major obtineatur numerus, expensis non auctis, poterunt, ultra numerum praescriptum cereorum, apponi lumina ex alia materia. Cf. dec. 15 Mart. 1698, n. 3315 et Gard. *§. 6, n. 11.* Haec intelligenda sunt de publica expositione; quod attinet ad privatam, vide dicta *n. 3, 3°.*

2° Numerus luminum, ultra ea quae ad decentiam omnino requiruntur, relinquitur prudenti arbitrio Ordinariorum, et pietati facultatique expositionem facientis. Cf. dec. 15 Mart. 1698 *cit.* Gard. *§. 6, n. 11* et Cav. *t. 4, dec. 117.* Quis autem numerus semper requiratur ad decentiam, id expresse non est definitum aliqua generali lege: statuta enim quae afferri possunt, v. g. *Inst. 30 Bened. XIV,* aliave Particularia, *Inst. Clem. §. 6,* aut decretum, quod fertur a S. R. C. datum in *Rupellen. an. 1849,* non constituunt legem generalem, neque praeexistentem declarant. Cf. dicta *n. 5 praec.* et *tom. 1 de authenticitate et promulgatione Decretorum S. R. C*[1]. Laudabiliter tamen ubique adhibebuntur cerei in numero ab *Inst. Clem.* praescripto, si hujusmodi expensae fieri valeant[2]. Videtur autem pro regula habendum

1) Advertendum est Benedictum XIV, dum edidit suam *Inst. 30, n. 17,* non habuisse *Inst. Clem.* ut regulam generalem quoad numerum cereorum in publica expositione. Cf. Gard. *§. 6, n. 8.*

2) „Quae tamen sanctio (nempe *Inst. Clem. §. 6, de 20 luminibus*) praeceptiva est pro Ecclesiis Urbis tantummodo, nec eadem regula necessario servanda est ubique locorum extra Urbem, quamvis laudabile sit, ut omnes se ei conforment. Sed

a) SS. Sacramentum non posse exponi nisi *sex saltem* cerei ardeant, et *b)* hunc numerum non sufficere, quando non militat aliqua Ecclesiae inopia, *c) sed duodecim saltem* requiri, ubi suppetunt Ecclesiarum facultates. Quae tres propositiones confirmantur multis particularibus statutis: non quasi hujusmodi statuta generalem constituant legem, sed quatenus exprimunt id quod faciendum est causa decentiae et reverentiae erga S. Eucharistiam. Porro requiruntur *a)* ab Innocentio PP. XI, in Brevi *cit. p. 361*, saltem *decem* candelae ex cera candida; *b)* a Bened. XIV, *Inst. cit. n. 17* et *22*, cerei *duodecim saltem; c)* a Card. Lambruschini in sua Syn. dioec. *pag. 33* duodeviginti saltem cereae faces (in expositione diuturniori). Afferri etiam possunt dec. S. C. Ep. et Reg. *cit. p. 355*, et dec. S. R. C. an. 1849, *in Rupellen.* Advertendum est in praefatis decretis numerum *denarium, duodenarium, duodevigesimum,* non poni absolute et generatim, sed cum limitatione *saltem:* quae limitatio apponitur quia, favore Ecclesiarum pauperum [1], indicatur minor numerus qui permittatur, cum

quoniam non semper, non ubique fieri potest quod magis congruit, dummodo fiat quod saltem decet, ideo si alicubi diversa sit ratio, vel ex Synodorum praescripto, vel ex probata consuetudine, quandoquidem debitae venerationi consultum sit, non videtur reprobanda. Quamquam enim nulla lex habeatur, ubique tamen locorum prostant aut Synodalia Decreta, aut Episcoporum Edicta, aut laudabiles et rationabiles consuetudines, quae pro respectivis Dioecesibus vim saltem directivae legis habent. Nedum enim habenda ratio est ad Sacramentum, cui per quamcumque ingentem luminum copiam nunquam satis honoris deferri potest, sed etiam ad Ecclesiarum et locorum angustias, ne ob egestatem absterreantur ab expositione cum non levi pietatis detrimento, vel onere graventur, cui ferendo impares experiuntur vires.« Gard. *§. 6, n. 6.*

1) Gardellini, *§. 6, n. 8,* adductis verbis Bened. XIV, *Inst. 30, n. 17 et 24,* sequentia subjungit, loquendo de expositionibus quae extra Urbem fiunt, non ad modum XL Hor., singulis hebdomadae diebus. »Recedendum non esse crederem a methodo, pro Ecclesiis civitatis Bononiae a Bened. XIV praescripta, scilicet ut saltem cerei duodecim continuo ardeant. Dixi *saltem* quia in facultate erit majori copia lumina apponere, si id exposcat Fidelium pietas, vel Ecclesiae majus onus subire valeant; minorem haud convenire crederem, ob decentiam, qua sacra illa actio est peragenda. Quod certe servandum est, quoties Ostensorium collocatur in throno vel detectum, aut velatum. Etenim sive ex causa publica id fiat, sive ex privata, semper tamen ali-

tamen major numerus aliis consulatur, sin minus praecipiatur.

De *qualitate* luminum satis erit unum notasse: lumina in numero praescripto debent esse ex cera et quidem candida *(p. 206)*; superaddi autem possunt ex alia materia.

9. *Quaedam servanda aut omittenda* coram S. Eucharistia exposita. 1° Quantum fieri potest, qui curam habet de altari et luminibus infra expositionem, sit Clericus, et ad altare non accedat, nisi superpelliceo indutus, atque suo Officio pie modesteque fungatur *(§. 7)*. — 2° Missa, seclusa sufficienti ratione, non celebretur ad altare expositionis (cf. Caer. Ep. *l. 1, c. 12, n. 8* et *9*), excepta Missa expositionis et repositionis, ad normam *Inst. §. 12* [1]; et si, data ratione [2], celebretur, omnes serventur ritus proprii hujus Missae. — 3° „Quod si Communio eodem tempore, quo SS. Sacramentum expositum est, administranda fuerit, id fiat in altari diverso, sumendo SS. Sacramentum ex ciborio, et finita Communione reponatur in tabernaculo, aut ita velo tegatur, ut conspici non possit." Innoc. XI, *Brev. cit. p. 361.* Si vero desideratur altare diversum, aut locus congruus ad ministrandam S. Eucharistiam extra conspectum altaris expositionis, tunc si expositio possit interrumpi, Ostensorium obtegatur ut supra, aut in tabernaculum reponatur. — 4° Omnes cujuscumque conditionis utrumque genu flectere tenentur, dum ante illud transeunt, ad illud accedunt aut ab eo recedunt *(p. 18)*. — 5° In Missis privatis cessandum est a pulsatione *(§. 16 et supra pag. 274)*.

quam habet solemnitatem: idcirco nostra Instructio in Urbe exposcit eumdem ardentium cereorum numerum tam pro expositione XL Hor., quam in qualibet alia, licet velatum sit Ostensorium."

1) „Lex autem, quae vetat celebrari alias Missas, praeter duas recensitas in altari Expositionis, nedum obtinet in Orat. XL Hor., verum etiam extenditur ad alias omnes, quae per annum fiunt." Gard. *§. 12, n. 2.*

2) Praeter necessitatem audiendi Sacrum, quia v. g. unicum est altare, „et aliam fortasse rationabilem causam afferre potest longaeva consuetudo, quae difficillime abrumpi posset sine populorum offensione, et scandalo." Gard. *§. 12, n. 6,* ubi in confirmationem duo citantur decreta. Rationabilis etiam causa mihi videtur necessitas, ex parte Sacerdotum, nempe si altaria minora non habeantur vel non sufficiant, et desit alia Ecclesia, uti apud nos non raro occurrit die Adorationis perpetuae, in Ecclesiis ruralibus.

— 6° Concio non habeatur (*§. 32*), nisi excipias exhortationem de S. Eucharistia ex altari facta, ita ut populus non vertat terga ad S. Sacramentum, nec ejus mens alio avertatur. Cf. Ben. XIV, *Inst. 30, n. 17.* — 7° Inde tamen non sequitur haberi non posse concionem ex cathedra, ad populum confluentem die Adorationis perpetuae: cum enim expositio non sit continua, ad vitandam omnem irreverentiam, SS. Sacramentum reconditur aut saltem velo crassioris materiae obtegitur, tempore concionis. In casu autem providendum est ne interrumpatur Adoratio. — 8° Sicuti dicitur *part. II, p. 359,* convenit ut infra Divinum Officium omnes stent: huic tamen convenientiae praevalere potest contraria consuetudo [1]. Quod ad Celebrantem et Ministros attinet, servanda videtur praxis sedendi juxta solitum [2];

1) An sessio licita sit nunc infra Officium divinum coram S. Sacramento publice exposito, non convenit inter Autores. Negant Gavantus, *sect. 10, c. 2, n. 3,* Cavalieri, *tom. 4, dec. 153, n. 6,* Romsée, *tom. 5, n. 53 et 175.* „Non sedet tamen unquam, ait Cav. *l. c.* (loquendo de Celebrante infra Vesperas, exposito Venerabili), neque caput tegit... cantantur Vesperae, omnibus adstantibus detecto capite.“ Notandum autem est Caerem. Episc. (*l. 2, c. 33, n. 33, cit. tom. I, p. 359*), erronee adduci a Gav. quasi praeciperet esse standum: loquitur enim tantum de convenientia. — Contra, affimat Gardellini, *Inst. Clem. §. 25, n. 5.* Advertit sessionem non prohiberi in Caer. *l. c.*, ne nimis defatigentur qui Choro assistunt. Addit: „Praxis Patriarchalium Ecclesiarum et aliarum principalium Ecclesiarum Urbis declarat et firmat regulam *Caeremonialis.* Siquidem per octiduum Festi Corporis Christi, tam matutinae quam vespertinae Horae persolvuntur, necnon Missa conventualis celebratur solemniter coram exposito Sacramento, et in stando ac in sedendo consuetus ordo servatur; omnes tamen detecto capite assistunt.“

2) Circa sessionem Celebrantis et Ministrorum infra Missam coram SS. Sacramento, pariter dissentiunt Autores. Eam esse licitam negant Merati, *p. 2, tit. 4, n. 36 versus fin.*, et Romsée, *l. c.* Cavalieri vero dicendus est implicite affirmare ad *Inst. Clem. §. 25.* Gardellini non solum affirmat, sed docet potius esse sedendum. „In more est, inquit *§. 25, n. 7,* ubique recepto, quod, exposito Sacramento, tam Psallentes quam Celebrantes sedeant statutis a Rubrica temporibus, nunquam tamen sub ulla consuetudine, aut praetextu caput tegant. Praxi cohaeret *Instructio...* Aperte innuit standum esse potius praxi, limitationi et indulgentiae, quam eidem regulae.“ Quaestio est de regula convenientiae Caer. Ep. *l. c.* Subjungit dispositionem Instructionis extendi ad omnes Missas, quas contingat celebrari

sed capite aperto: caput enim numquam cooperitur coram SS. Sacramento patenter [1] exposito, si excipias Sacerdotem celebraturum ad aliud altare *(p. 226)*. — 8° Maxime convenit ut, cum SS. Sacramentum exponitur extra divina Officia, continuo adsint Sacerdotes *(p. 192)* aut Clerici coram eodem orantes, ut *§ 9.* Haec pia praxis non solum vergit in honorem SS. Sacramenti et in bonum Sacerdotis, verum etiam summopere est aedificationi Fidelibus, praesertim tempore XL Hor. aut Adorationis perpetuae. Optandum igitur omnino est, ut hisce in circumstantiis, saltem longiori quo fieri potest tempore (sin minus semper), Sacerdotes aut Clerici versentur in Oratione coram Venerabili. Et si, quod vix evenire potest, aliud non suppeditetur tempus, saltem Horae canonicae legantur coram amantissimo Jesu. De hac salutari praxi (si hac de re non habeatur ordinatio Episcopalis; cf. Gardell. *§. 9, n. 3* et *sqq.,* et dec. 10 Dec. 1701, n. 3448, 18), inter se conferant Sacerdotes tunc congregati ad audiendas confessiones, et unicuique, pro opportunitate, assignetur tempus ad vacandum adorationi S. Sacramenti. Si mente grata revolverimus excessum amoris Salvatoris, hominumque ingratitudinem, libenter aliquam nobis vim faciemus, ut possimus conversari cum benignissimo Jesu, vel a suis quandoque derelicto. — 9° Missae Defunctorum prohibentur, ut dicitur *p. 80.* Cf. *Inst. Clem. §. 17*, et Gardell., qui *ibidem* omnino rejicit sententiam Cavalerii. Caeterum pro nostra Dioecesi nullum subesse potest dubium, ut videre est in Ordine divini Officii, v. g. *an. 1850, pag. 14.* Unde si occurrant exequiae cum expositione quae est continua, transferendae sunt; si vero non sit continua et interrumpi possit, tunc Ecclesiae

coram Sacramento. Praeclarus adnotator, *n. 4 praec.,* occurrit objectioni petitae ex verbis Caer. *l. 1, c. 12, n. 9.* Et respondet ibi minime agi de sessione ad *Hymnum Angelicum, Prosam* aut *Symbolum.*

1) Plurimis constat caput numquam posse cooperiri coram Venerabili patenter exposito, et quaestio tantum fieri potest de casu quo sit velatum. Et circa hoc distinguendum videtur cum Gardellini, *§. 32, n. 8,* an adhibeatur velum subtile aut crassioris materiae, an S. Hostia sit parum, vel omnino velata: in hoc, et non in illo casu, licere videtur caput birreto cooperire. Sub hac distinctione videntur intelligenda duo S. R. C. dec., scilicet, 10 Sept. 1796, n. 4320, 3, et 23 Sept. 1837, n. 4666, 4; nisi quis malit contendere prius per posterius implicite revocari.

Rector perpendat quid, omnibus attentis circumstantiis, magis expediat: an S. Sacramentum recondere ut exequiae agantur; an vero has transferre ad 1am diem liberam? Ubi tamen quaestio est de Adoratione perpetua, alicui diei ab Ordinario loci assignata, integrum non videtur Rectori Ecclesiae expositionem interrumpere, Superiore inconsulto. — 10° Quoad cantum, serventur ea quae exponuntur, *tom. I, pag. 362 sqq. Alleluia*, extra tempus paschale, et Octavam Festivitatis Corporis Christi, omittitur ad Antiph. Vers. et Resp. juxta dec. 12 Aug. 1854 *in Lucionen. ad 34*, et *Inst. Clem. §. 31*, Cf. Gard. *§. cit. n. 2.* Inclinatio fit ad *Tantum ergo*, etc. Dum intonatur *Tantum ergo* „omnes, inquit Gardellini *§. 24, n. 9*, debent profunde inclinari usque ad 2um vers. inclusive, nam in verbo *cernui* completur dictionis sensus, qui inclinationem postulat."

§. II. DE RITIBUS SERVANDIS IN EXPOSITIONE, IN BENEDICTIONE ET MISSA.

Praenotandum hic non exponi singillatim omnes ritus servandos in unaquaque ex praefatis functionibus: plerumque enim sufficit vel applicare Rubricas alibi expositas, v. g. de accessu ad altare et recessu ab eodem, de genuflexionibus, de aperiendo tabernaculo etc., vel laudabiles sequi consuetudines. Quare hic agitur tantum de iis quorum specialis mentio videtur necessaria aut utilis.

10. *Ritus expositionis et repositionis* non sunt semper iidem, sed habenda est ratio circumstantiarum temporis et solemnitatis. 1° In omni expositione adhibenda est stola coloris convenientis ut infra. Si fiat a Presbytero assistente, cotta induto, „stolam tantum adhibere debet, inquit Deherdt *part. 2, n. 67, 3,* dum aperit tabernaculum, et pertractat ipsum SS. Sacramentum seu Ostensorium; et statim ac has functiones peregit, stolam a collo pendentem sibi aufert, eamque alicui custodiendam tradit, vel super brachium suum sinistrum deponit. Mer. *p. 4, tit. 12, n. 39,* Cav. *tom. 4, dec. 153, n. 2* et *5.*" Cs. dec. 12 Aug. 1854, 48, *in Lucionen.* Quoad usum contrarium, vide dicta *part. I.* — 2° Color paramentorum sit albus, aut conformis Missae vel Officio, juxta dicta *tom. I, p. 367.* Excipiendus tamen est color niger (dec. 10 Feb. 1685, n. 2926, 1 et 2), et velum humerale, quod semper esse debet coloris albi (dec. 9 Jul. 1678, n. 2715, 6, 7, 8 et 9). — 3° Fit a Presbytero assi-

stente, a Diacono aut ab ipso Celebrante, si sit solus. Fieri potest initio, aut fine Officii divini vel Missae, aut sejunctim ab alia functione. Cav. *l. c. n. 9.* — 4° In accessu ad altare Celebrans cum Ministris unum flectit genu in plano, deinde utrumque in infimo gradu, ibique aliquantisper orat antequam ad altare ascendat. Aperto tabernaculo, Ostensorium seu Sacramentum ponitur, debitis cum reverentiis, super altare (substrato corporali, aut palla, juxta Gardell. *§. 5, n. 2* et *3*), vel, ut melius videtur, in throno: thurificatio enim, quamvis fieri possit statim ac apertum est tabernaculum, aut Ostensorium super altare collocatum, convenientius tamen fit, illo jam in throno existente [1]. Si tabernaculum sit in alio altari, SS. Sacramentum inde transferatur, a Sacerdote humerali induto, cum luminibus, et, quod magis congrueret, etiam cum incenso. Cf. Deherdt *n. 67, 4,* et dicta *p. 322.* Thus imponitur more solito, sed absque osculis et benedictione; et Sacerdos genuflexus thurificat Sacramentum. „Si SS. Sacramentum super altari expositum sit, semper ab Episcopo, vel alio Celebrante, genuflexo thurificandum est triplici ductu: quod si ipsum *solum* Sacramentum sit thurificandum, ut in principio, et fine Processionis Feria V et VI majoris Hebdomadae .... nunquam debet ab Episcopo, neque ab alio thus benedici, sed simpliciter poni in thuribulum, et porrigitur sine osculatione manus Episcopi....“ Caer. Ep. *l. 1, c. 23, n. 18.* Cs. *l. 2, c. 22, n. 11,* et *c. 25, n. 31.* Quando vero praeter Sacramentum aliud thurificatur, puta altare, Oblata, tunc incensum benedicitur, more solito (Caer. Ep. *l. 1, c. 23, n. 19*); nihilominus omittuntur oscula. Juxta Deherdt *p. 2, n. 67, II,* et nostram praxim, Sacerdos, antequam surgat ad imponendum incensum, cantandam Orationem, aut dandam benedictionem, item statim ac genuflexit, dicta Oratione aut data benedictione, caput profunde inclinat (non autem corpus); quando tamen immediate post genuflexionem thurificatur Sacramentum, tunc inclinatio fit tantum accepto thuribulo. Sunt qui nostram praxim impugnent, et inclinationes praedictas, iis exceptis quae fiunt ante et post thurificationem, rejiciant. Ea praxis non quidem praescribitur per Rubricas; attamen mihi videtur

1) Seclusa Episcopi ordinatione, necesse non est ut Sacramentum exponatur loco alto quoties datur benedictio cum eodem. Dec. 7 Sept. 1850, *in Rupell.*

laudabilis, et servanda ubi viget. — 5° Quando exponitur in fine Missae Hostia in ea consecrata, tunc, post sumptionem S. Sanguinis, dum Celebrans pusillum meditantis more consistit, ad altare defertur Ostensorium, ei adaptatur Hostia, adjuvante Diacono, si adsit; Ostensorioque reverenter posito in medio corporalis, Celebrans prosequitur Missam debitis cum genuflexionibus. Cs. Gardell. *§. 19, n. 2.* De velando, vel non, Ostensorio usque ad finem Missae, quam secutura est Processio cum SS. Sacramento, cf. *ibid. n. 4* et *sqq.* — 6° Si ex oblivione magna Hostia non fuerit consecrata pro expositione, et haec existimetur non posse omitti, tunc aliud non videtur suppetere medium (cf. Cav. *t. 4, dec. 153, n. 10 et sq.*), nisi ut Particula consecrata exponatur adoranda a populo, qui, ait Cav. *l. c. n. 11,* cum fuerit monitus, non propterea plurimum patitur admirationis aut scandali. Imo poterit quandoque magis expedire ut populus non praemoneatur, ne ad hoc excitetur ejus attentio. — 7° Sacerdos assistens non induit pluviale; si duo autem adsint Assistentes, tunc parantur dalmatica et tunicella. Dec. 17 Sept. 1785, n. 4272, 1.

In repositione, similes ritus sunt servandi.

11. *De benedictione danda cum SS. Sacramento.* 1° Frequentiores benedictiones cum SS. Sacramento non probantur ab Ecclesia, propter rationes quae militant *(p. 354)* contra frequentiores expositiones. Quare pluries danda non est infra eamdem functionem, v. g. initio et fine Missae aut Processionis; et cavendum est ne multiplicentur benedictiones in Processionibus. Cf. dec. 23 Sept. 1820, n. 4424, *in Volaterrana,* et Gardell. *ibidem.* Benedictio cum Pyxide, extra administrationem s. Viatici dari non permittitur absque licentia Ordinarii *(p. 357)*, etiam data consuetudine [1].

1) Gardellini, *§. 36, n. 26,* ex disputatis *num. praecedentibus* quaedam breviter colligit. „*Primum,* firmatur regula generalis, quod in expositione privata non licet S. Pyxidem e tabernaculo extrahere, et cum ea benedictionem populo impertiri... *Tertium,* si in aliqua Ecclesia vigeat contraria consuetudo, haec probanda est ab Ordinario, qui, si agnoscat eam abrumpi non posse sine populi offensione, et pietatis detrimento, poterit ipse opportunam facultatem concedere. *Quartum,* quo in casu, non est relinquenda in arbitrio id agendi facultas, toties quoties videbitur, qualibet data occasione, in eadem die; sed indulgendum, ut solummodo fieri possit semel in die, vel etiam rarius, prout Ordinarius, attentis circumstantiis, magis expedire judi-

Cf. Gardel. §. *36, n. 23,* et *26;* item *n. 23* ubi recensentur multa incommoda, nata sequi si privatorum arbitrio committeretur dare benedictionem cum SS. Sacramento. — 2° Adhibendum est velum humerale (*Inst. Clem.* § *31, Rit. Rom. de Process. cum SS. Sacram.*) et quidem albi coloris. Dec. 9 Jul. 1678, n. 2715, 6, et 7, 8, 9. Cf. Mem. Rit. *tit. V, c. 1, ad 4 n. 2.* Quoad contrariam consuetudinem, vid. dicta *part. I,* et dec. 20 Sept. 1806, n. 4353, 1. — 3° Infra benedictionem nihil est canendum, uti dicitur *tom. I, p. 54,* et declaravit S. R. C. 9 Feb. 1762, n. 4159, inhaerendo Rit. Rom. *de benedictione post Comm. infirm.* et Caerem. Ep. *l. 2, c. 23, n. 27,* et ubi tam Episcopus quam Sacerdos dicitur benedicere, *nihil dicens:* tacet Benedicens, quia non ipse sed SS. Sacramentum populo benedicit; tacent Musici, Clerici et Circumstantes, „ne populi attentio ad alia distrahatur objecta, utque unice in id feratur, quod maxime interest, obsequium scilicet erga Sacramentum, quod ineffabili dignatione manibus Sacerdotis nos benedicit... Praeter Scriptorum placita, S. R. C. decisionem habemus..." Gardel. §. *31, n. 16.* An autem et a quo praxis contraria sit abrumpenda, vel ad formam Rubricarum redigenda, requirendum est *tom. I,* praesertim *p. 55 et sqq.* Hic tantum assero facile assensurum iri dictis a Gardellini, qui per aliquot vices adfuerit benedictioni utroque modo datae, et utrumque modum inter se contulerit. Infra benedictionem campanula pulsari potest, ut moneantur adstantes attentioresque reddantur. — 4° Si cum Ostensorio detur benedictio, interim incensandum est Sacramentum; si autem cum Pyxide, tunc „omissio incensationis conformior est Ecclesiae praxi." Dec. 11 Sept. 1837, n. 4950, 9, et 7 Sept. 1850, *in Rupellen.* Cf. pt. quae contra incensationem scribit Gardellini, §. *31, n. 23.* — 5° Circa modum benedicendi, Caer. Ep. *l. 2,* c. *33, n. 27,* requirit solum ut cum Sacramento Celebrans producat signum Crucis super populum, et non declarat an revertendum sit per sinistram, ut ad *Dominus vobiscum,* aut perficiendus sit circulus, ut ad *Orate Fratres.* Alterutrum eligi potest ex dec. 21 Mart. 1676, n. 2624, 2; sed arbitrium limitandum est ad casum quo ipse Celebrans Ostensorium deponat super altare: si enim illud reddat Diacono aut Sacerdoti assistenti, servandus

caverit. *Quintum,* praescribendus est modus, ut religioni, et decentiae satis consultum sit..."

est prior modus; attendenda etiam est Ecclesiae praxis. Linea transversa ducitur a medio ad sinistram, et a sinistra ad dextram. Notandum est trinam benedictionem permitti solis Episcopis aut Pontificalia exercentibus. Cf. Caer. *l. c.* et supra *p. 332.* Caeteri semel tantum benedicere possunt, et quidem versus populum, omissa speciali, ac separata Monialium benedictione, quae adsint in Choro post altare. Dec. gen. 11 Dec. 1773, n. 4223. Cf. Gard. *§. 31, n. 22.* Advertendum tandem est benedictionem dandam esse summa cum reverentia, cum gravitate et devotione, omnem vitando praecipitationem, et oculis ad Sacramentum intentis. — 6° Data benedictione, Sacramentum reponitur super corporale, et juxta laudabilem Dioecesis nostrae praxim, incensatur, antequam in tabernaculum recondatur. „Ante benedictionem SS. Sacramentum ter est incensandum: an autem iterum post benedictionem repetenda sit incensatio; silent Rubricae et Autores: nihil tamen obstare videtur, ut denuo ter incensetur, saltem si ea sit Ecclesiae consuetudo." Deherdt, *n. 67, II.*

12. *Ritus servandi in Missa celebrata coram SS. Sacramento publice exposito.* Duo veniunt praenotanda. *Primum:* Hujusmodi ritus non reperiuntur omnes collecti in aliquo titulo Rubricarum; solummodo enunciatur regula generalis *sect. 2, tit. XVII, p. 168,* et nonnulli ritus traduntur in Rubricis peculiaribus, in Coena Domini et Fer. VI in Parasceve, atque in Decretis S. R. C.; alii ex illa regula generali et ex his peculiaribus Rubricis deducuntur. *Secundum:* Ritus variandi, occasione expositionis, respiciunt birretum, genuflexiones, motum ad *Dominus vobiscum*, etc., oscula cochlearis, catenularum, et manus Celebrantis, signum Crucis ad ult. Evang. et inclinationes.

Antequam exponantur praefati ritus, juvat exscribere textum Rubricarum, quae in *Memor. Rit.* etc. Ben. XIII traduntur pro Fer. V et VI majoris Hebdomadae: inde enim confirmantur regulae quae generatim traduntur pro Missa celebranda coram Venerabili exposito.

1° *Feria V, cap. II, §. 1, an. 19 ad 22*, sequentia traduntur de modo perficiendi Missam coram SS. Sacramento, quod super altare servatur in Calice, velo cooperto. Celebrans, sumpta purificatione „et facta genuflexione, abluit digitos super Calicem, et super altare de more: et rediens ad medium, genuflectit, et sumit ablutionem digitorum."

n. 19. Notandum est verba *de more* afficere ablutionem, non autem recessum, juxta dicta *p. 312.* — „Celebrans prosequitur Missam in qua haec observabit. Exterso Calice genuflectit, accedit ad cornu Epistolae, et legit *Communionem.* Venit in medium, genuflectit, osculatur altare et retrahens se a latere Evangelii, dicit *Dominus vobiscum.* Redit in medium, genuflectit, et accedit ad cornu Epistolae, ubi legit *Postcommunionem.* Iterum in medium, genuflectit, osculatur altare, vertit se, ut prius, dicit *Dominus vobiscum,* et *Ite Missa est.* Vertit se ad medium, genuflectit, dicit *Placeat* etc. osculatur altare, dicit *Benedicat vos* etc. et genuflectit. Vertit se in cornu Evangelii: dat benedictionem, et non perficiens circulum, convertit se ad latus Evangelii, non rediens in medium. Dicit Evangelium S. Joannis, ad quod signat librum, vel tabellam, non autem altare (*cf.* **332**). Ad *Verbum Caro factum est* etc. genuflectit versus Sacramentum. Celebrans, completa Missa, accedit ad medium, genuflectit." *n. 21.* *Ex to* etc., hic apposito, ne concludas genuflexionem esse protrahendam usque ad finem Evangelii, contra Rub. gen. tit. *XVII, 1, pag. 168.*

2º *Feria VI, cap. II, § 4, an. 6 ad 12,* sequentia tradantur quae ad rem nostram faciunt. Celebrans, cum imposuit vinum et aquam in Calicem, hunceque, ad medium reversus, palla cooperuit, ibidem stans imponit incensum in thuribulo absque benedictione, et osculis. *n. 6.* Celebrans, accepto thuribulo genuflectit, et incensat Oblata, dicens de more *Incensum istud* etc. *n. 7.* Incensatis Oblatis, iterum genuflectit, et (ex Dec. S. R. C. sub 14 Maii 1707) incensabit Crucem, dicens *Dirigatur Domine* etc. et repetita genuflexione Cruci, prosequetur more solito, incensationem altaris, semper genuflectens quoties transit per medium. *n. 8.* Incensato altari, dat thuribulum in manu Thuriferarii, dicens *Accendat in nobis* etc. et ipse non incensatur. *n. 9.* Celebrans immediate, advertens ne terga vertat Sacramento, descendit e suppedaneo in secundo gradu, et aliquantulum extra altare in cornu Epistolae versa facie ad populum, lavat manus, nihil dicens. *n. 10.* Redit ad medium altaris, genuflectit, surgit, et junctis manibus super altare, dicit *In Spiritu humilitatis* etc. *n. 11.* Celebrans osculatur altare, genuflectit, et versus populum in cornu Evangelii, dicit *Orate fratres,* et redit per eamdem viam, non perficiens circulum, et iterum genuflectit." *n. 12.* Cf. pt. Rub. pecul.

Missalis ad praedictas Ferias. Lector facile advertet quaedam in praefatis Officiis omitti, non propter praesentiam Sacramenti, sed propter ipsius Officii indolem, ut v. g. nisi infra manuum lotionem.

Ad haec, sequentia sunt advertenda: 1. Quando inter incessum ad medium altaris et recessum, habetur mora, ut cit. §. IV, n. 11 et sq., bis est genuflectendum; secus, semel tantum, v. g. quando solum *Dominus vobiscum* intercedit inter accessum et recessum, ut cit. §. I, n. 21. — 2. Prima actio Celebrantis in accessu et ultima in recessu, est genuflexio. Unde sequens regula: „Haec autem tenenda est methodus in altari osculando, ut quoties Celebrans jam est in medio altaris, prius illud osculari debeat, et postea genuflectere; quando vero non est in medio, sed venit ab aliquo altaris latere, prius genuflectat, et postea osculabitur altare." Gardell. §. 30, n. 13. Cs. Deherdt, n. 69, 5. — 3. Quamvis non fiat mentio de inclinationibus ad SS. Sacramentum dirigendis, nihilominus ad illud dirigendae sunt omnes inclinationes alias Cruci faciendae (p. 204). Cs. Romsée *tom. 1,* Gardell. *infra 3.* Cf. *tit. X, 1.*

Haec praemittenda visa sunt, vel ad indigitandum fontem unde sumantur deducanturve ritus, quos AA. communiter tradunt pro Missa coram Venerabili celebranda; et ut iidem facilius memoriae mandentur. Nunc per ordinem traditur cum Gardellini § 30, quibusdam adjectis notulis, ritus servandus in Missa tam privata quam solemni coram SS. exposito.

13. I. *Ritus Missae privatae.* 1°. „Sacerdos Missam privatam celebraturus coram Sacramento exposito, statim ac Capellam ingreditur, aliquantulum consistens caput detegit, porrigens birretum Ministro; et caveat ab illorum sequendo exemplum, qui perperam, vel supra Calicis bursam, vel supra Missale birretum deponunt. Cum pervenerit ad altare, ante illius infimum gradum in plano, flectit utrumque genu, et genuflexus caput profunde inclinat, quod et Minister facit. Mox surgunt Sacerdos, et Minister, ille juxta morem ascendit ad altare, et Calice collocato ad partem Evangelii, antequam capiat bursam ad extrahendum Corporale, genuflectit unico tamen genu, et sine capitis inclinatione, et sic fieri debent omnes aliae genuflexiones, ultima excepta, quae fit, dum, finita Missa, ab altari est discedendum. Inde surgens extrahit Corporale, quod de

more extendit, et superimponit Calicem; facta genuflexione sine capitis inclinatione, accedit ad cornu Epistolae, ut librum aperiat, et signet Missam, quae dicenda est.“ *n.* 25. Cf. *pag.* 225, de capite aperiendo; et *pag.* 226 de genuflexione facienda in plano.

2° „Statim redit ad medium altaris, genuflectit ut supra, nullaque interposita mora, retrahens se aliquantulum ad cornu Evangelii, facie versa ad cornu Epistolae, ne vertat dorsum Sanctissimo Sacramento, descendit ad planum altaris, humeris versis ad cornu Evangelii. Postquam descenderit pro incipienda Missa, genuflectit in infimo gradu sine capitis inclinatione: mox surgens facit Confessionem: Minister vero, facta genuflexione utroque genu in primo accessu ad altare, accedens de more ad cornu Epistolae, ibi deponit Missale, unde discedens, et pergens ante medium flectit utrumque genu, quod semper facit transiens per medium; quamobrem magis sollicitus esse debet, quam in aliis Missis in recedendo a suo loco, ubi est, ut tempore consueto ministrare possit.“ *n.* 26.

3° „Celebrans, finita Confessione, ascendit ad altare sine genuflexione, quam aliqui gratis faciunt; sed ut ad illud pervenerit, priusquam incipiat: *Oramus te Domine* etc., genuflectit; finita Oratione, et osculato altari, iterum genuflectit, et surgens procedit ad cornu Epistolae dicturus *Introitum*, quo dicto, ad medium altaris revertitur, iterum genuflectit, deinde dicit *Kyrie, et hymnum Angelicum*, quatenus dicendus sit; mox osculatur altare, genuflectit sine capitis inclinatione, vertit se ad populum paulo versus cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum*, iterum genuflectit in medio altaris, et pergit ad cornu Epistolae, ubi dicit *Orationes*, *Epistolam*, *Graduale*, aut *Alleluia*, aut *Tractum*, juxta temporis, et Missae exigentiam. Deinde accedit ad medium altaris, ubi elevatis ad Sacramentum oculis, statimque demissis, genuflectit, dicit *Munda cor meum* etc., iterum genuflectit, et postea pergit ad cornu Evangelii, ubi legit Evangelium more solito, et osculatur librum; revertitur ad medium altaris, genuflectit, et dicit *Symbolum*, quatenus dici debeat: quo dicto, osculatur altare, iterum genuflectit, et vertens se ad populum versus cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum*, et postea, iterando genuflexionem in medio, dicit *Oremus* cum capitis inclinatione, dein *Offertorium*. Si dicendum non sit *Symbolum*, accedens

ad medium genuflectit, et postea osculatur altare, et quin iterum genuflectat, vertit se ad populum etc. ut jam dictum est." *n. 27.* Evangelium legitur more solito, occurrentesque inclinationes ad librum diriguntur.

4° „Dicto *Offertorio,* caetera facit, ut moris est. Postquam vero dixerit *Suscipe* etc. genuflectit, accedit ad cornu Epistolae, accipit Calicem, infundit vinum cum aqua, Ministro non osculante ampullas, et reversus in medium genuflectit, accipit Calicem jam praecedenter positum super Corporale, et dicit *Offerimus* etc. Dicto *Veni Sanctificator,* et benedictis Oblatis, non jungit manus, nec inclinat caput, sed manibus super altare positis, genuflectit, recta incedit versus cornu Epistolae, descendit in planum, ubi se vertit ad populum, lavat, et extergit manus, redit ad medium altaris, genuflectit, dicit *Suscipe Sancta Trinitas* etc., osculatur altare, genuflectit, et obversis humeris versus cornu Evangelii, dicit *Orate Fratres,* non perficit circulum, sed reversus ad altare, iterum genuflectit, et postea usque ad Communionem alia omnia peragit juxta solitum. *Ad Sanctus,* et *ad Elevationem* non pulsatur campanula." *n. 28.* — De his duobus, *descendit in planum, non pulsatur campanula,* notanda sunt sequentia. 1° Juxta Mem. Rit. relatum *pag. 372,* manus lavantur in *secundo gradu* qui regulariter medius est inter primum gradum et suppedaneum. Rubrica pecul. Missalis in Parasceve habet: *aliquantulum extra altare.* Ex dec. 12 Nov. 1831, n. 4520, 52, servanda est consuetudo standi in plano Presbyterii, aut in supremo gradu altaris. — 2° Quoad pulsationem campanulae, Gardellini hic applicat Inst. Clem. *§. 16.* Cavalieri, a Gardel. *cit. §. 16, n. 1* et *3,* rationem exponit hujus omissionis [1]; putat autem non eamdem militare rationem in Missis celebratis ad altare expositionis. Cf. Gard. *l. c. n.* 5. Secluso autem particulari praecepto, servetur Ecclesiae con-

1) „Cum enim tunc in actuali Sacramenti veneratione, et profunda Mysteriorum meditatione maxime supponatur populus commorari; haud indiget per pulsationem campanulae excitari ad venerationem Sacramenti, quod in Missa elevatur, quasi idem Sacramentum non foret, quod publice adorat, expositum. *Nelle Messe private* (in Missis privatis) habet Sanctio, et de his specialis ulterius militat ratio, quia cum extra altare expositionis supponantur haberi, cogerentur alias Fideles hinc inde ad diversa sese convertere altaria cum maximo utique incommodo, praesertim ubi plurimae celebrantur Missae." Cav. *l. c.*

suetudo. De osculo ampullae a Ministro, idem resolvendum videtur ac de osculandis Patena et Calice a Diacono, ut infra.

5° „Purificatione sumpta, Sacerdos ponit Calicem extra Corporale a cornu Epistolae, genuflectit in medio altaris unico genu, et vadit ad cornu Epistolae, ubi est Calix, quem accipit, et facta in eo digitorum ablutione, et abstersione, eumdem ponit prope Corporale, tum revertitur ad medium altaris, genuflectit, accipit Calicem, sumit ablutionem, ac deinde juxta morem extergit os, et Calicem. Hoc autem, ut fieri debet, suo velo tecto, et in medio mensae collocato, genuflectit, accedit ad cornu Epistolae, dicit *Communionem*, ad medium redit; genuflectit, osculatur altare, convertitur ad populum, humeris tantillum conversis ad cornu Evangelii, dicit *Dominus vobiscum*, iterum genuflectit, revertitur ad cornu Epistolae, legit Orationem, vel Orationes, si dicendae sunt plures; quibus expletis, vadit ad medium altaris, genuflectit, osculatur, vertit se ad populum eo modo, quo dictum est, dicit *Dominus vobiscum* et *Ite Missa est*, et postea, rediens ad medium altaris, genuflectit, et surgens dicit *Placeat tibi, Sancta Trinitas* etc. Si Missae qualitas exigat *Benedicamus Domino*, Sacerdos, dicto *Dominus vobiscum*, revertitur ad medium altaris, genuflectit, et stans dicit: *Benedicamus Domino*, et postea more consueto dicit Orationem *Placeat.*“ *n. 29.*

6° „Deinde Sacerdos osculatus altare, dicit *Benedicat vos omnipotens Deus*, sine capitis inclinatione, mox genuflectit, vertit se ad populum modo, ut supra, benedictionem more solito impartitur, non perficit circulum, non accedit ad medium altaris, non genuflectit, sed ad altare conversus, progreditur ad cornu Evangelii, ubi legit Evangelium, ad cujus initium nunquam signat altare, sed vel librum, vel tabellam, et se ipsum solum, et ad *Verbum caro factum est*, non genuflectit versus altare, sed versus Sacramentum sine capitis inclinatione: terminato Evangelio, accedit ad medium altaris, genuflectit, accipit Calicem, et humeris aliquantulum versis ad cornu Evangelii, descendit in planum, ubi utroque poplite genuflectit cum profunda capitis inclinatione, et surgens discedit sine alia reverentia, detecto tamen capite, quod birreto non tegit, nisi postquam non est amplius ante conspectum Sacramenti. Quae omnia servanda sunt, etiamsi Sacramentum sit expositum in Osten-

serio velato, vel patente intus tabernaculum Pyxide." n. 30. Altare non signatur in reverentiam Sacramenti.

14. II. *Ritus Missae solemnis* coram Sacramento traditur ab eodem Gardellini § 30 *cit. n. 7 et sqq.* Nobis autem, attentis regulis hucusque expositis, parum utile videtur hic ea omnia singillatim referre, quae Celebranti et Ministris servanda sunt. Itaque jam dicta de Celebrante Missam privatam, hic non repetemus; et ea duntaxat addemus quae peculiaria sunt Missae solemni, aut aliqua indigent expositione.

1° In accessu caput aperitur ut supra, et genuflectitur in plano. „In Missae prosecutione, dum accedendum vel recedendum est, aut ab uno ad alterum altaris latus transeundum dexterum, duntaxat genuflectendum est, ut alias vidimus, et communiter notant *Gavantus part. 2, tit. 14, n. 5, ibique Merati* cum aliis pluribus ab eodem laudatis. Id fit ut facilius et commodius surgant, et nimis cunctandum non sit in sacris muneribus ex Rubricarum praescripto peragendis...." *n. 7.*

2° „Celebrans dicit *Oramus te Domine* etc. juxta solitum; mox imponit incensum in thuribulum, non in medio altaris, sed tantillum conversis humeris ad cornu Evangelii, facie vero ad cornu Epistolae, quod semper servandum est, dum imponitur thus ad altare, in quo expositum est Venerabile. Diaconus aliquantulum inclinatus ministrabit naviculam, Thuriferario stante, vel genuflexo, ob Celebrantis commoditatem sustentante thuribulum juxta morem: a Celebrante benedicendum est thus, quia, praeter Sacramentum, adolendum est etiam altare, ac dein ipse Sacerdos. *Caeremoniale Episcoporum lib. 1, cap. 23, num. 19, Gavantus, et Merati loc. cit., Bauldry, part. 2, cap. 9, art. 3, num. 3.* Diaconus autem, ob Sacramenti reverentiam, abstinere debet ab osculis, dum et naviculam, et thuribulum porrigit Celebranti. Imposito et benedicto thure, recedente Thuriferario ad locum suum cum debita genuflexione, Celebrans cum Ministris Sacris descendit ad secundum gradum altaris aliquantulum oblique conversus, ita ut in descensu terga non vertat Sacramento: genuflectit in suppedaneo medius inter Sacros Ministros ibi pariter genuflexos; thuribulum accipit a Diacono sine osculis, statimque, praemissa cum Ministris profunda inclinatione, incensat Sacramentum triplici ductu, motu gravi, interposita brevissima morula

unum inter, alterumque ductum, et eo tempore Ministri Sacri aliquantulum elevant posteriorem partem planetae; interim omnibus circumstantibus manentibus genuflexis." *n.8.*

Duo veniunt advertenda: *a)* thurificatio non fit ex infimo gradu, sed e suppedaneo altaris; *b)* genuflexio omittenda est non solum ante impositionem incensi, sed etiam ante descensum ad 2um gradum (vid. *p. 361*). Primum Autor comprobat *n. 9;* de secundo agit *n. 10 sqq.* Propugnat genuflexionem hic esse omittendam, sicuti ad Offertorium, antequam incensentur tam Oblata, quam Sacramentum, „quia, inquit *n. 11,* revera Celebrans impositurus thus, non discedit ab altaris medio, sed tantillum se retrahit, conversis humeris ad latus Evangelii, ministrante Diacono e cornu Epistolae, ita ut thuribulum in medio sit; quia igitur cessat ratio accessus, et recessus, vel transitus, jam patet jure omittendas esse genuflexiones." Cf. dicta supra *tit. IV, 4, p. 244* — et *p. 372.*

3° „Incensato Sacramento, Celebrans, et Sacri Ministri, praemissa profunda inclinatione, surgunt, et ad altare accedunt, ubi omnes genuflectunt unico genu; mox Celebrans incensat altare more solito, et quoties transit ante altaris medium una cum Ministris, semper unicum flectit genu. Advertendum hic est, quod illis in Ecclesiis, in quibus mos obtinet apponendi Crucem cum imagine Crucifixi, ut supra jam monui, Crux non est thurificanda, siquidem, incensato Originali, non est cur incensetur ejusdem figura. Solum in *Feria VI majoris Hebdomadae* post incensatum Sacramentum, incensatur etiam Crux, quia tali die speciali cultu Crucem Christi Domini veneramur, et ideo, nemine excepto, omnes ante eam transeuntes genuflectunt. Completa autem altaris incensatione, Celebrans a parte laterali Epistolae descendit in planum, ubi se convertit ad populum, advertens, ne terga vertat Sacramento; idcirco dum descendit, respiciat cornu Evangelii. Ibi in plano incensatur triplici ductu a Diacono stante contra ipsum, scilicet conversis humeris ad populum, qui Diaconus ante, et post incensationem se profunde inclinat Celebranti: Subdiaconus vero interim se collocabit a sinistris Diaconi, vertendo pariter terga populo. Caeremoniarius et Thuriferarius consistant in locis consuetis. Ita erit servandum etiam in alia incensatione ad Offertorium, et in eodem loco pariter Celebrans manus lavabit. Unum solum discrimen erit, quod

tunc Subdiaconus non accedat ad sinistram Diaconi thurificantis, sed manebit in plano, ubi reperitur tectam velo Patenam sustinens.“ *n. 12.*

15. De benedictione thuris dicitur *n. 10, p. 368.* De osculis et genuflexionibus a Ministris in hac Missa faciendis, sint duae sequentes quaestiones.

Q. 1. Quae oscula sint servanda; quae omittenda?

R. 1° Certo servanda sunt oscula tam manus Celebrantis, post Epistolam et ante Evangelium, quam libri Evangelii.

2° Pariter „Diaconus ad Oblationem osculabitur Patenam, Calicem et manum Celebrantis; tum in fine Orationis Dominicae easdem Patenam et manum similiter osculabitur.“ Gardel. *n. 14.* Circa haec non videtur posse moveri dubium. „Unde patet, prosequitur Gardellini, quod illa tantum omitti debeant oscula, quando faciendum aliquid est, quod specialiter Sacramentum expositum duntaxat respiciat, non illa quae ad ritum Missae solemnis proprie pertinent.“ Quam regulam servandam esse decrevit S. R. C. 12 Aug. 1854 *in Lucionen. ad. 45.*

3° Juxta sententiam communiter receptam et a Gardellini traditam *l. c.* Diaconus, ante et post thurificationem, omittit oscula cochlearis, manus Celebrantis et catenularum. Cs. Romsée, *tom. 2, part. 3, a. 2, n. 2.* Sed Janssens *part. II, II, tit. 14, n. 9 sqq.* cum quibusdam partim rejicit illam sententiam, et propugnat hujusmodi oscula tunc tantum esse omittenda, quando omittitur benedictio incensi, nempe quando *solum* Sacramentum incensatur *(p. 368).* Et ejus ratio est quia praefata oscula ad thurificationem, quae fit initio Missae et ad Offertorium, nullibi prohibentur, et facienda sunt more solito *(tit. IV, 4).* Quod, *n. 14 cit.* confirmat ex ratione quam ipse Merati, *part. 2, tit. 14, n. 11,* allegat ad probandum retinenda esse oscula manus, Patenae et Calicis, dum Celebranti porriguntur. Praefata ratio ita allegatur a Merati *l. c.* „Unde, ait, forte oscula prohibentur solum quando fieri debet aliquid quod specialiter Sacramentum expositum tantum respiciat.“ Cs. Gardellini *n. 14 cit.*

Facile non est convellere argumenta, quae proferuntur a Janssens, quaeque vim accipere videntur ex *cit.* dec. 12 Aug. 1854 *in Lucionen. ad 45:* etenim juxta hoc decretum omittenda non sunt oscula, quae ad ritum Missae spectant. Quod ad praxim attinet, donec aliquid certi habea-

tur, consultum est propriam Ecclesiae consuetudinem servare; haecque in nostra Dioecesi conformis esse solet sententiae quam tradit Romsée. Interim advertere juvat, controversiam limitari ad casum quo praeter S. Sacramentum, aliud incensatur.

Q. 2. An in hac Missa toties genuflectendum sit Ministris, quoties Celebrans genuflectit?

R. Affirmandum est. Quia ex *sect. 2, tit. XVII, 4, Ministri semper genuflectunt cum Celebrante*, et dici nequit eam Rubricam hic non esse servandam, ideo quod frequentius esset genuflectendum: haec enim ratio non potest magis afficere Ministros quam Celebrantem; praeterea hic etiam valet sequens axioma: Ubi lex non distinguit, neque nos distinguere debemus (cf. Reiffenst. *l. 1, tit. 2, n. 398 sq.*); quinimo hic praesertim axioma est applicandum, cum ipse legislator praesentem casum prae oculis habuerit in eodem *tit. Rub. 1,* ubi indicitur genuflectendum esse Celebranti transeunti coram Sacramento exposito. Itaque servanda est regula, quam hisce exprimit Deherdt *n. 70, ad 4.* „Diaconus et Subdiaconus semper genuflectunt, ubi in Missa sine expositione propter mutationem loci genuflectere vel tantum caput Cruci *(p. 248)* inclinare debent: item per totam Missam cum Celebrante genuflectunt, quoties ipse Celebrans genuflectit.“ Cs. Gardell. *l. c. n. 18.* De Subdiacono Patenam tenente, dictum est *p. 172.*

Equidem Romsée, *tom. 2, part. 3, a. 2, n. 3,* absolute negat. „Quando, ait, Celebrans genuflectit, et Ministri non debent transire e locis, tunc ad genuflexionem non tenentur...“ Sed an haec sententia sustineri possit aliquo cum fundamento, judicet Lector ex statim dictis.

16. De sessione, dictum est an possit haberi *(p. 365)*; et *(p. 170 Rub. 3, et p. 249)* quomodo sit standum et genuflectendum infra *Gloria* et *Credo,* si sessio non fiat.

Ad Offertorium fit thurificatio, juxta solitum, si excipias oscula *(p. 379)*, et amotionem Calicis. „Id speciale habet hujusmodi thurificatio, quod licet in aliis solemnibus Missis, dum incensatur Crux, Calix e medio Corporalis amoveri debeat, et ad latus collocari, non idem faciendum sit in Sacramenti incensatione, tametsi haec stet loco incensationis Crucis. Et ratio est, quia dum incensatur Crux, ideo seponitur Calix, quia periculum est, ut thuribuli ductu Calix concutiatur, et decidat, vel saltem vinum pro Consecra-

tione jam oblatum effundatur. Hoc autem non imminet periculum in thurificatione Sacramenti, quae non fit prope altare, sed longe ab eo, scilicet in suppedaneo." Gard. §. *cit. n. 17*. Cf. *p. 244*.

APPENDIX III AD SECT. III.

De Missa cum Presbytero assistente.

De Presbytero assistente vix loquuntur Rubricae Missalis; et ritus ab ipso servandos silentio praetermittunt. Nec mirum: nam secluso privilegio *(p. 187)*, Presbyter assistere tantum potest Celebranti in Pontificalibus; ac proinde Rubricae circa ejus Officia ponendae erant non in Missali, sed in Caer. Ep. Cum tamen hujusmodi munere quandoque fungatur Sacerdos, qui prae manibus non habeat dictum Caeremoniale, opportunum existimatur eas Rubricas ex Caeremoniali hic exscribere, paucis adjectis tam de ipso Presbytero assistente, quam de Diacono et Subdiacono, qui cum eo inserviunt. De usu autem, quo Presbyter assistens adhibeatur ab inferioribus Sacerdotibus, contra Rubricas et Decreta, judicium ferendum est, juxta dicta *pag. 187*, et *tom. I, de consuetudine*. Hic satis sit animadvertisse illum dari Celebranti propter illius dignitatem, non vero propter solam solemnitatem Missae *(p. 187, 2)*.

De Presbytero assistente agit Caeremoniale Ep. *l. 1, c. 7*, cujus textus hic exscribitur, nonnullis tamen omissis quae locum non habent extra Missam Pontificalem, et quibusdam additis quae servanda sunt quando celebratur sine Pontificalibus.

Inhaerendo Caeremoniali Episcoporum, trademus agenda 1° ab initio praeparationis ad confessionem, 2° a confessione ad Offertorium, et 3° ab Offertorio ad finem. Praeterea 4° nonnulla notabimus quae peculiariter servanda sunt a Diacono et Subdiacono, Missae assistentibus cum Presbytero.

1. *Agenda ab initio praeparationis ad Confessionem.* „Cum Missa solemnis ab Episcopo erit celebranda, ejus praecipua cura erit, totam Missam praevidisse, omnesque caeremonias, et actus, quos Episcopus facturus est, observasse, ac signacula in libro Missali, in quo lecturus est Episcopus, locis congruis disposuisse, ut praesto illi esse possit, suggerendo illi submissa voce, vel modesto nutu indicando,

si in aliquo forte, vel memoriae lapsu, vel alia de causa deficeret, aut titubaret praesertim apud altare, dum sacrosancta mysteria peragit.... Circa finem Tertiae induet se amictu super rochetto, aut cotta, et super eo pluviali, et sic paratus... Episcopo omnibus sacris paramentis induto ac sedente, imponet annulum Pontificalem in digitum annularem dexterae manus illius, annulo et manu prius deosculatis; mox naviculam incensi cum cochleari eidem ministret, ut imponat thus in thuribulum, antequam a secretario discedat. Cum autem Episcopus procedit versus altare, ipse ante illum incedit ad dexteram Diaconi, Evangelium cantaturi, et cum Episcopus ante infimum gradum altaris, facta Cruci reverentia, incipit confessionem, ipse ad ejus dexteram stans, respondebit simul cum Diacono stante a sinistris; et dum dicet in confessione *Tibi Pater, et te Pater*, profunde versus Episcopum caput inclinabit." *n. 3.*

Ex hoc textu concludere est *a)* stolam non esse adhibendam a Presbytero assistente (cf. pt. dec. 11 Mart. 1837, n. 4658, 2); *b)* ab eodem non esse usurpandas chirothecas, quas Caeremoniale Ep. attribuit Episcopis, non autem Sacerdotibus inferioribus; *c)* neque gestandum esse instrumentum (vid. Caer. *n. 5, cit. hic ad 3*) ad indicanda Celebranti quae lecturus est. Praeterea adverti potest non praescribi ut teneatur birretum infra Missam; et ratio est obvia: birretum enim non solum absque ulla ratione tunc adhiberetur (institutum siquidem est ad cooperiendum caput, minime vero ad occupandas aut impediendas manus), sed insuper multum impediret Sacerdotem in suo ministerio. Manus autem, dum extra sessionem, non sunt in ministerio occupatae, teneantur junctae ante pectus, juxta solitum.

2. *Agenda a Confessione ad Offertorium.* Ea quae hic a Caer. traduntur, ita propria sunt Missae Pontificali, ut supervacaneum videatur ea hic exscribere. Alia igitur addenda sunt, quae hic servanda videntur ad normam aut mentem Rubricarum.

Facta Confessione, ascendit cum Celebrante, locum cedens Diacono inter se et Celebrantem. Imposito incenso, accipit librum, quem extra altare tenet, donec Celebrans, incensato cornu Epistolae, ad medium altaris redierit. Thurificato Celebrante, se sistit ad ejus dextram, non directe sed paulo ante, ita ut Diaconus stet immediate juxta Celebrantem, Intonato *Gloria in excelsis*, illud submissa voce

prosequitur cum Diacono, stante ab ipsius sinistris, et caput inclinat juxta Rubricas. Cs. Caer. *l. c. n. 4.* Infra sessionem, ponitur ad dextram Celebrantis, ut infra confessionem. Dum procedit aut a scamno redit ad altare, incedit post Diaconum ante Celebrantem, nisi forte secus faciendum sit propter angustiam loci; si recessus ab altari fiat per medium *(p. 248)*, congruit ut genuflectat prope Celebrantem. Infra Orationes, Epistolam et Graduale, ministrat Celebranti, folia vertendo et legenda digito indicando, ut Caer. *l. c. n. 5.* Generatim autem loquendo, necesse non est ut, pro vertendis foliis, de uno ad aliud latus transeat *(p. 330)*. Lecto Graduali, et benedictione data Subdiacono, transfert librum ad cornu Evangelii, facta in medio altaris debita reverentia. Quando adest sola Crux in altari, dubitari potest an in transitu teneatur ad genuflexionem: nam quoad hoc, non constat an aequiparandus sit Celebranti aut Ministris. Infra lectionem Evangelii, stat a parte sinistra, ministrando Celebranti, et deinde transfert librum ad medium. Cum Celebrans accedit ad cornu Epistolae auditurus Evangelium, ipse accedit ad cornu Evangelii, ubi se signat, et reverentias facit cum Celebrante. Dum intonatur, recitatur et cantatur Symbolum, debitas facit reverentias caeteraque peragit uti ad *Gloria in excelsis,* et, cum Diaconus defert bursam ad altare, ipse non se erigit cum Subdiacono *(p. 262)*, quia est dignior Diacono. Reversus ad altare, ostendit Offertorium Celebranti.

3. *Agenda ab Offertorio ad finem.* „Lecto Offertorio, inquit Caer. *l. c. n. 5,...* cum Episcopus revertitur ad altare, ipse a sinistris, illum gradus altaris ascendentem adjuvat; et cum erit apud altare, accurate, et opportune demonstrabit Episcopo omnia, et singula, quae ex libro erunt legenda, ea digito indicando. Dum autem Episcopus oblata, et altare thurificabit, ipse, sumpto libro Missali cum pulvino, retrahit se extra cornu Evangelii, ne thurificationem impediat, et finita thurificatione altaris, reponet librum cum pulvino super eo, ostendens ex illo, quae successive erunt dicenda; ac dicet simul cum Episcopo *Sanctus* etc., nec genuflectet, nisi cum elevatur Sacramentum, et cum Episcopus ipse genuflectit. Dicit *Agnus Dei* etc., cum Episcopo celebrante, et Diacono; quo dicto, locum permutat cum Diacono: ipse enim accedit ad dexteram, Diaconus vero ad sinistrum latus Episcopi, cui relinquit curam libri.

Ipse vero Presbyter assistens, dicta per Celebrantem Oratione *Domine, Jesu Christe, qui dixisti* etc., genuflectit, et statim surgit, osculando altare simul cum Celebrante, qui sinistram genam suam cum sinistra ipsius Presbyteri assistentis approximans, dat ei pacem dicens, *Pax tecum;* cui ipse respondet *Et cum Spiritu tuo.* Et iterum, ante Sacramentum genuflectens, et statim surgens, recedit cum Caeremoniario ad pacem dandam in Choro, juxta ordinem in suo particulari capitulo descriptum."

Dat pacem ut dicitur *p.* 324 et Caer. *l. c. n. 6.* „Data pace, prosequitur Caeremoniale, quibus per ipsum danda est, dat eam ultimo loco Caeremoniario, qui eum duxit; et redit ad altare ubi transfert librum a cornu Evangelii ad cornu Epistolae, nisi jam translatus esset a Diacono; et adjuvat ad lotionem manuum Episcopi, ut alias; deinde redit ad librum ostendens Episcopo caetera, quae supersunt. . . ." Cantatis Orationibus, vel claudit librum, et in cornu Epistolae manet, donec *Ite Missa est* cantatum est, vel si aliud Evangelium legendum sit, librum transfert: cantato *Ite Missa est*, descendit, et flectit utroque genu medius inter Diaconum et Subdiaconum, caput sub benedictione inclinans, et deinde se signans. Accepta benedictione, accedit ad sinistram Celebrantis in cornu Evangelii, ei ministrat et in fine claudit Missale, si adhibitum fuerit. Finito Evangelio, cum Celebrante accedit ad medium altaris, facit reverentiam, simul descendit, et transiens post Celebrantem ante Diaconum et Subdiaconum, se sistit ad dextram Celebrantis: reverentia altari facta, dat birretum Celebranti, et eodem modo et ordine, quo venerat ad altare, revertitur ad Sacristiam." Deherdt, *part.* 2, *n.* 60 *fin.*

4. *Peculiariter servanda a Diacono et Subdiacono.* Duo generatim aliquatenus variantur, scilicet situs et ministerium de libro. 1° *Situs. a)* Diaconus quando stat aut sedet ad latus Celebrantis et ei non ministrat, tunc se sistit ad ejus sinistram, inter illum nempe et Diaconum, quia Sacerdos assistens, utpote dignior est ad dextram Celebrantis. Quod accidit cum sumuntur et exuuntur paramenta; item infra confessionem et sessionem. Attamen Diaconus stat more solito ad dextram Celebrantis, cum ministrat incensum aut recitat *Gloria* vel *Credo. b)* Infra Orationes et Canonem, stat post Celebrantem, sed infra Canonem, quo promptior sit ad discooperiendum Calicem

etc., stat ad dextram aliquantulum post Celebrantem *(p. 280)*. *c)* Infra benedictionem genuflectunt, Diaconus a dextris, et Subdiaconus a sinistris Sacerdotis. 2° *Ministerium de libro* omnino relinquitur Sacerdoti assistenti, qui folia vertit librumque de uno ad aliud latus defert, si tamen excipias casum quo, peracta Communione, Sacerdos assistens nondum sit reversus a pace danda in Choro: hoc enim in casu Diaconus transfert librum et Celebranti ministrat more solito usque ad adventum Sacerdotis.

SECTIO IV.

ORDO MISSAE.

Exposito *ritu celebrandi Missam*, antequam tradantur Rubricae circa *defectus in celebratione Missae occurrentes*, hic datur *Ordo Missae*, qui, ut ipsa vox sonat, continet partes Missae ordinatas aut indicatas, prout occurrunt dicendae, id est, preces seu partes Missae cum summa Rubricarum hic et illic interpolata ad juvandam memoriam Celebrantis. Bene igitur notandum est *a)* Rubricas non esse ediscendas ex Ordine Missae, sed ex propriis titulis, seu ex Rubricis generalibus; et *b)* consequenter, si in Rubricis particularibus [1] aliqua occurrat obscuritas, aequivocatio, vel etiam apparens dissonantia cum Rubricis generalibus, tunc particulares explicandas esse per generales, hasque nullo modo infirmari per hujusmodi dissonantiam; non enim aliquis sermo explicatur per suiipsius summarium, sed contra. Vide dicta *p. 243.*

Ex ordine Missae ea seliguntur quae vel memoriter [2]

1) Hae Rubricae non raro vocantur particulares, per oppositionem ad eas quas tradit ritus celebrandi Missam, quaeque nuncupantur *generales;* quod tamen eatenus intelligendum est, quatenus apponuntur loco particulari, non vero quatenus aliquid speciale seu proprium continerent ut quandoque occurrit, v. g. in Hebdomada Sancta. Cf. *tom. I, p. 3.*

2) In Missali post praeparationem ad Missam, sequentes reperiuntur *Orationes dicendae cum Saeerdos induitur sacerdotalibus paramentis.*

Cum lavat manus. Da, Domine, virtutem manibus meis, ad abstergendam omnem maculam; ut sine pollutione mentis et corporis valeam tibi servire.

Ad Amictum, dum ponitur super caput. Impone, Domine, capiti meo galeam salutis, ad expugnandos diabolicos incursus.

sunt tenenda, vel prae oculis habenda quo facilius et melius intelligantur Rubricae, vel necessaria aut utilia ad exercitationem in celebranda Missa, vel tandem aliqua indigent expositione. Ipse textus exscribitur, prout jacet in Missali, nonnullis omissis, quorum loco ponuntur quaedam puncta: Rubricae quae in Missali rubro sunt exaratae, hic typis italicis exprimuntur. Nonnullae subjiciuntur notae et aliquando citantur paginae hujus expositionis, ubi habentur vel Rubricae generales, vel elucidationes huc pertinentes. Sequitur dictus Ordo.

Sacerdos paratus, cum ingreditur ad altare, facta illi debita reverentia (p. 234 sq.), signat se signo Crucis a fronte ad pectus, et clara voce (p. 235 sqq.) dicit: In nomine Patris.... Introibo... Judica me [1], Deus *(p. 237)*..... Confiteor *R.* Misereatur tui... ad vitam aeternam. *Sacerdos dicit,* Amen; *et erigit se.*

Deinde Ministri repetunt Confessionem, et ubi a Sacerdote dicebatur, vobis fratres, *et* vos fratres, *a Ministris dicitur,* tibi pater, *et* te pater.

Postea Sacerdos (p. 238), junctis manibus, facit absolutionem dicens: Misereatur vestri.... Indulgentiam... Resp. Amen. *Et inclinatus prosequitur:* Deus tu conversus vivificabis nos...

Et extendens ac jungens manus, clara voce dicit, Oremus, *et ascendens ad altare, dicit secreto:* Aufer a nobis, quae-

Ad Albam, cum ea induitur. Dealba me, Domine, et munda cor meum; ut in sanguine Agni dealbatus, gaudiis perfruar sempiternis.

Ad Cingulum, dum se cingit. Praecinge me, Domine, cingulo puritatis, et extingue in lumbis meis humorem libidinis: ut maneat in me virtus continentiae et castitatis.

Ad Manipulum, dum imponitur brachio sinistro. Merear, Domine, portare manipulum fletus et doloris, ut cum exultatione recipiam mercedem laboris.

Ad Stolam, dum imponitur collo. Redde mihi, Domine, stolam immortalitatis, quam perdidi in praevaricatione primi parentis, et quamvis indignus accedo ad tuum sacrum mysterium, merear tamen gaudium sempiternum.

Ad Casulam, cum assumitur. Domine, qui dixisti: jugum meum suave est, et onus meum leve: fac ut istud portare sic veleam, quod consequar tuam gratiam. Amen. Quoad Diaconum et Subdiaconum, vid. *pag. 230.*

1) Hunc Psalmum, qui est 42us, Celebrans potest sibi variis rationibus applicare. Legitur in Brev. Fer. III ad *Laudes.*

sumus Domine, iniquitates nostras: ut ad Sancta Sanctorum puris mereamur mentibus introire. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Deinde manibus junctis super altare, inclinatus dicit:* Oramus te Domine, per merita Sanctorum tuorum, *osculatur altare in medio,* quorum reliquiae hic sunt, et omnium Sanctorum: ut indulgere digneris omnia peccata mea. Amen. Cf. *p. 240.*

In Missa solemni (p. 241), Celebrans antequam legat Introitum, benedicit incensum dicens: Ab illo benedicaris in cujus honore [1] cremaberis. Amen. *Et accepto thuribulo a Diacono incensat altare, nihil dicens...* [2] ...

In Missa solemni, imposito incenso *(p. 258), Diaconus genuflexus ante altare, manibus junctis dicit:* Munda cor meum ac labia mea, omnipotens Deus, qui labia Isaiae Prophetae calculo mundasti ignito: ita me tua grata miseratione dignare mundare, ut Sanctum Evangelium tuum digne valeam nuntiare. Per Christum Dominum nostrum. Amen. *Postea accipit librum de altari,* et rursus *(p. 259) genuflexus petit benedictionem a Sacerdote, dicens:* Jube, Domne, benedicere. *Sacerdos respondet:* Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis: ut digne et competenter annunties Evangelium suum. In nomine Patris, et Filii ✝ et Spiritus S. Amen. *(p. 259).* Et *accepta benedictione, osculatur manum Celebrantis,* et vadit ad locum Evangelii, ut *p. 258, dicit* Dominus vobiscum... et *dum Ministri respondent,* Gloria tibi Domine, *incensat ter librum (p. 258)*...

Si vero Sacerdos sine Diacono et Subdiacono celebrat.... dicit Munda etc... [3], *legit Evangelium,* ut *pag. 256.* Dicit, *si dicendum est,* Credo.... *Deinde (p. 264) osculatur altare, et versus ad populum, dicit* Vers. Dominus vobiscum. Resp. Et cum Spiritu tuo. *Postea dicit,* Oremus, *et Offertorium. Quo dicto, si est Missa solemnis, Diaconus porrigit Celebranti*

1) In Caer. *l. 1, c. 23, n. 1,* habetur lectio varians: quibusdam in editionibus, legitur, *in cujus honorem (p. 242);* in aliis, *in cujus honore,* ut hic in Missali.

2) Dicuntur, ut *p. 240 sq. et 247, Introitus, Kyrie et Gloria,* si dicendum sit; postea *Dominus vobiscum,* Oratio, Epistola, Graduale, Tractus vel Alleluia, cum Vers. aut Sequentia, *ut tempus postulat.* Vid. *p. 249 et sqq.*

3) Hic, in fine benedictionis, dicitur tantum *Amen,* sine *In nomine Patris* etc. — Sequuntur Rubricae de Evangelio in Missis Defunctorum *(p. 177, 345),* et postea de ritu recitandi Symbolum *(p. 257).*

Patenam (p. 274) cum Hostia: si privata, Sacerdos ipse accipit Patenam cum Hostia, quam offerens dicit: Suscipe, Sancte Pater, omnipotens aeterne Deus, hanc immaculatam Hostiam [1], quam ego indignus famulus tuus offero tibi Deo meo vivo et vero, pro innumerabilibus peccatis et offensionibus et negligentiis meis, et pro omnibus circumstantibus, sed et pro omnibus fidelibus christianis vivis atque Defunctis: ut mihi et illis proficiat ad salutem in vitam aeternam. Amen.

Deinde, faciens Crucem cum eadem Patena, deponit Hostiam super Corporale. Diaconus ministrat vinum, Subdiaconus aquam in Calice, vel si privata est Missa, utrumque infundit Sacerdos, et aquam miscendam in Calice benedicit ✠ *dicens (p. 268):* Deus qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidisti, et mirabilius reformasti: da nobis per hujus aquae et vini mysterium, ejus Divinitatis esse consortes, qui humanitatis nostrae fieri dignatus est particeps, Jesus Christus Filius tuus Dominus noster: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

In Missis pro Defunctis dicitur praedicta Oratio; sed aqua non benedicitur. Postea accipit Calicem, et offert, dicens: Offerimus tibi, Domine, Calicem salutaris, tuam deprecantes clementiam: ut in conspectu divinae Majestatis tuae pro nostra, et totius mundi salute, cum odore suavitatis ascendat. Amen.

Deinde facit signum Crucis cum Calice, et illum ponit super Corporale, et palla cooperit: tum junctis manibus super altare, aliquantulum inclinatus (p. 16) dicit: In Spiritu humilitatis, et in animo contrito suscipiamur a te, Domine, et sic fiat Sacrificium nostrum in conspectu tuo hodie, ut placeat tibi Domine Deus.

Erectus expandit manus, easque in altum porrectas jungens, elevatis ad caelum [2] oculis et statim demissis, dicit:

Veni Sanctificator, omnipotens aeterne Deus: *benedicit oblata prosequendo,* et bene ✝ dic hoc Sacrificium tuo Sancto nomini praeparatum.

1) Hic per *Hostiam,* et infra per *dona, munera, oblationem,* non intelliguntur panis et vinum in se spectata, sed corpus et Sanguis Christi, in quae sunt convertenda.

2) *Ad caelum,* id est ad Crucis imaginem. Janss. *p. 1, tit.* 7, *n. 38.* Vid. not. *ad initium Canonis.*

Postea, si solemniter celebrat, benedicit incensum, dicens: Per intercessionem beati Michaelis Archangeli stantis a dextris altaris incensi, et omnium electorum suorum, incensum istud dignetur Dominus bene ✝ dicere, et in odorem suavitatis accipere. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Et accepto thuribulo a Diacono, incensat oblata, modo in Rubricis generalibus praescripto (p. 277), dicens: Incensum istud a te benedictum, ascendat ad te Domine, et descendat super nos misericordia tua. *Deinde incensat altare, dicens:* Dirigatur, Domine, Oratio mea, sicut incensum in conspectu tuo: elevatio manuum mearum Sacrificium vespertinum. Pone, Domine, custodiam ori meo, et ostium circumstantiae labiis meis: ut non declinet cor meum in verba malitiae, ad excusandas excusationes in peccatis.

Dum reddit thuribulum dicit: Accendat in nobis Dominus ignem sui amoris, et flammam aeternae charitatis. Amen.

Postea incensatur Sacerdos a Diacono, deinde alii per ordinem. Interim (p. 280) Sacerdos lavat manus dicens: Lavabo inter innocentes etc. *Ps. XXV, 6 ad 12.* Gloria Patri etc. *In Missis pro Defunctis, et tempore Passionis in Missis de tempore omittitur Gloria Patri (271). Deinde aliquantulum inclinatus in medio altaris, junctis manibus super eo (p. 240), dicit:* Suscipe, Sancta Trinitas[1] .... Amen.

Postea osculatur altare, et versus ad populum, extendens et jungens manus, voce paululum elevata dicit: Orate fratres: ut meum ac vestrum Sacrificium acceptabile fiat apud Deum Patrem omnipotentem. R. Suscipiat Dominus Sacrificium de manibus tuis (*vel* meis *p. 271*) ad laudem et gloriam nominis sui, ad utilitatem quoque nostram, totiusque Ecclesiae suae Sanctae. *Sacerdos submissa voce dicit.* Amen. *Deinde manibus extensis, absolute, sine* Oremus, *subjungit Orationes secretas (p. 271 et sqq.)... Praefatio incipitur ambabus manibus positis hinc inde super altare (p. 273)...*

1) In quibusdam Missalibus habetur lectio varians pro hac Oratione, *Suscipe*, et legitur *in honore* B. M. V.; editio autem Hanicquiana habet: *in honorem*, et huic lectioni adhaerendum puto, iis non obstantibus quae disserit Romsée *tom. 4,* ad probandum genuinam lectionem esse *in honore.*

Praefationes.

I. *Sequens*[1] *Praefatio* (Quia per incarnati) *dicitur a Nativitate Domini usque ad Epiphaniam (praeterquam in die Octava S. Joannis Apostoli) et in Purificatione B. Mariae; et in Festo Corporis Christi, et per Octavam, nisi in ea occurrat Festum, quod propriam Praefationem habeat: et in Transfiguratione Domini, ac in Festo SS. Nominis Jesu, necnon in Missis votivis de SS. Sacramento.*

II. *In Epiphania Domini et per Octavam:* Quia cum Unigenitus tuus....

III. *A Feria IV Cinerum usque ad Sabbatum ante Dominicam Passionis inclusive, nisi in Festis propria assignetur:* Qui Corporali jejunio...

IV. *A Dominica Passionis usque ad Feriam V in Coena Domini inclusive (nisi in Festis tunc occurrentibus propria assignetur) et in Missis de S. Cruce, et de Passione:* Qui salutem humani generis...

V. *A Vigilia Paschae usque ad Ascensionem, et in Festis eo tempore occurrentibus, nisi in eis propria assignetur.* Te quidem, Domine, omni tempore... *In Missa Sabbati Sancti dicitur,* in hac potissimum nocte: *in die Paschae usque ad Sabbatum in Albis inclusive,* in hac potissimum die: *et deinceps,* in hoc potissimum gloriosius.

VI. *A die Ascensionis usque ad Vigiliam Pentecostes exclusive, et in Festis tunc occurrentibus, nisi propriam habuerint:* Qui post resurrectionem...

VII. *A Vigilia Pentecostes usque ad sequens Sabbatum inclusive, et in Missis votivis de Spiritu Sancto, sed omisso* hodierna die: Qui ascendens...

VIII. *In Festo SS. Trinitatis, et in Missis votivis de*

1) Unaquaeque Praefatio hic designatur per proprium initium. — Notari potest quamlibet Praefationem triplici vice edi in Missali, cum suis *Communicantes* et *Hanc igitur,* si habeantur propria, videlicet: in cantu solemni, in cantu feriali, et sine notis. Porro proprium *Communicantes* habent sequentia Festa: Nativitas Domini, Epiphania, Pascha, Ascensio et Pentecoste; insuper Festa (a Sabbato) Paschae et Pentecostes habent *Hanc igitur* propria, de quibus infra in Canone.

Quoad *Communicantes* proprium Nativitatis, notandum est illud non dici eodem modo in prima Missa ac in aliis, et similem differentiam reperiri in *Communicantes* quod dicitur in Vigilia et die Paschae.

SS. Trinitate, et in Dominicis propriam non habentibus (*p. 147*); Qui cum Unigenito Filio tuo...

IX. *In Festis beatae Mariae (excepto Festo Purificationis, in quo dicitur de Nativitate Domini) et per eorum Octavas, etiam in Festis infra eas occurrentibus, si propriam non habuerint, et in Missis votivis de beata Maria, dicitur: vel,* Et te in Annuntiatione, *vel* Visitatione, *vel* Assumptione, *vel* Nativitate, *vel* Praesentatione, *vel* Conceptione, *vel* Desponsatione, *secundum denominationem Festi: et in Dedicatione S. Mariae ad Nives, et in Festo Sanctissimi ejusdem Nominis, et de Mercede, dicitur:* Et te in Festivitate. *In Festo VII Dolorum dicitur:* Et te in Transfixione. *In Festo de Monte Carmelo:* Et te in Commemoratione. *In Festo SS. Rosarii:* Et te in solemnitate.

In Missis votivis, et in Sabbato dicitur: Et te in Veneratione...

X. *In Festis Apostolorum et Evangelistarum (praeterquam in die S. Joannis Apostoli) et per Octavas eorum, et in Festis infra eas occurrentibus, nisi in eis propria assignetur, et in Missis votivis de Apostolis:* Te, Domine, suppliciter exorare.

XI. *Praefatio (communis) dicitur per annum in omnibus Festis et Feriis, quae propriam non habent, et in omnibus Missis Defunctorum:* Per quem Majestatem...... Sanctus...[1].

Canon Missae.

Sacerdos extendens et jungens (p. 281 et 306) manus, elevans ad caelum[2] *oculos, et statim demittens, profunde inclinatus ante altare, manibus super eo positis, dicit:*

Te igitur[3], **clementissime Pater, per Jesum Christum**

1) „Praefationes omnes, inquit Bened. XIV, *sect. 1, n. 203,* in illum desinunt Hymnum, quem Graeci triumphalem, nos Angelicum appellamus, *Sanctus, Sanctus* etc. Isaias enim, *cap. 6,* vidisse se ait *Dominum sedentem super solium excelsum*, et Seraphim audisse canentes *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum. Plena est omnis terra gloria ejus.* Ea etiam sunt in Praefationibus: *Benedictus qui venit in nomine Domini, Hosanna in excelsis*, quae turbae cecinerunt cum Christus Jesus ante passionem suam solemniter ingressus est Hierosolymam, ut apud *Matthaeum cap. XXI....*"

2) *Ad caelum,* id est, juxta Caer. Ep. *l. 2, c. 8, n. 67,* ad Crucem *(p. 388).*

3) „Particula *igitur* respicit praefationem: q. d. sicut Angeli Deum laudant et adorant per Christum; ita et nos, per eum-

Filium tuum Dominum nostrum, supplices rogamus ac petimus, *Osculatur altare*, uti accepta habeas, et benedicas, *Jungit manus, deinde signat ter super oblata*, haec † dona, haec † munera, haec † Sancta Sacrificia illibata, *Extensis manibus prosequitur:* in primis quae tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta catholica: quam pacificare, custodire, adunare, et regere digneris toto orbe terrarum, una cum famulo tuo Papa nostro N. et Antistite nostro N. et omnibus orthodoxis, atque catholicae et apostolicae fidei cultoribus.

Commemoratio pro vivis. Memento [1], Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N. *Jungit manus, orat aliquantulum pro quibus orare intendit: deinde manibus extensis prosequitur:* et omnium circumstantium, quorum tibi fides cognita est, et nota devotio: pro quibus [2] tibi offerimus, vel

dem mediatorem, Deum Patrem rogamus ac petimus. *Uti accepta habeas,* semper Deo Patri accepta sunt ex parte Christi seu Hostiae oblatae, sed non semper ex parte Sacerdotis et Fidelium, quibus opus est rogare, ut in actu Sacrificii Deo placeant, et omnem gratiae obicem removeant. *Dona* et *munera* vel sunt synonyma, quibus res una pro sui magnitudine, diversa appellatione laudatur; vel diversa; quatenus donum est, quod a superiore datur; et munus, quod ab inferiore; ita ut sint dona a Deo nobis donata, et munera a nobis Deo oblata. *Durant. de rit. Ecc. cath. l. 2, c. 33, n. 3 et 4. Haec Sancta Sacrificia illibata:* unum quidem est Sacrificium sub specie panis et vini; dicitur tamen in plurali *Sacrificia* ratione specierum panis et vini, quae licet ad unum idemque pertineant Sacrificium, sunt tamen signa materialiter diversa: dicuntur *sancta* et *illibata*, quatenus cum sanctitate et sine macula cordis et corporis offerri debent, vel quatenus consideratur Consecratio mox futura, vi cujus materia consecranda sancta et illibata dicitur. *Quae tibi offerimus* in nomine praesentium et omnium Fidelium. Cav. *tom. 5, c. 16, n. 5.*“ Deherdt, *part. 2, n. 80.*

1) *Memento.* Cf. notata *p. 213,* necnon 283 et 293 de *Diptychis.*

2) *Pro quibus tibi offerimus vel qui tibi offerunt...* Ad intelligenda haec verba, prae oculis habendum est non solum Sacerdotes, sed et Fideles offerre Sacrificium Missae. „Docent Theologi Christum Sacrificii Missae Offerentem esse praecipuum, non modo quia illud instituerit, ac in sui memoriam jusserit celebrari, sed etiam quia quodammodo illud offert per Sacerdotis ministerium: Sacerdotem vero esse Offerentem, tum quod virtute Christi Sacramentum conficit, tum quod ex persona Christi conescrationis verba pronunciat: denique Laicos etiam esse Offerentes, vel quod per ministerium Sacerdotum offerunt, vel quod suam cum Sacerdotum intentione conjungunt, vel quod exter-

qui tibi offerunt hoc Sacrificium laudis, pro se, suisque omnibus, pro redemptione animarum suarum, pro spe salutis et incolumitatis suae; tibique reddunt vota sua aeterno Deo, vivo et vero.

Infra Actionem. Communicantes [1], et memoriam venerantes in primis gloriosae semper virginis Mariae, genitricis Dei [2] et Domini nostri Jesu Christi; sed et beatorum Apostolorum [3] ac Martyrum [4] tuorum, Petri et Pauli, An-

num aliquid exhibent Missae ministrando, necessaria ad Sacrificium suppeditando, eleemosynam largiendo. Vid. Sylvium, *part. 3, quaest. 83, art. 1, quaesit. 6...*« Bened. XIV, *sect. 1, n. 227.* Fideles igitur duplici modo offerunt, scilicet: *generaliter* suam cum Sacerdotum intentione conjungendo, et *specialiter*, ratione peculiaris intentionis aut externi ministerii.

Quibus positis, praedicta verba sic exponenda videntur: *Pro quibus*, id est, pro specialiter commemoratis, et circumstantibus, Ego Ministrique et Fideles, *offerimus; vel*, id est; imo non solum nos pro praefatis offerimus, sed etiam inter illos sunt qui specialiter, *pro se* etc. *offerunt.* Unde *a)* numerus pluralis adhibetur, seu »ideo dicitur *offerimus*, quia non solum offerunt Sacerdotes, sed etiam universi Fideles.« Inn. III, ap. Cav. *tom. 5, c. 16, n. 5.* — *b)* Particula *vel* non est disjunctiva, sed copulativa et explicativa: »Deo enim, ait Bened. XIV, *l. c. n. 228,* non solum peculiares personae, et circumstantes commendantur, sed ii etiam, pro quibus offertur Sacrificium, ac reliqui omnes quibus quoquo modo convenit nomen Offerentium.« Vid. Romsée, *tom. 4, c. 2, a. 23.*

1) *Communicantes.* »Sensum hujus vocis, *Communicantes,* non omnes facile intelligunt. Plerique dicunt ad ea D. Pauli referri, *memoriis Sanctorum communicantes. Rom. XII, 13.* Planus autem videtur ille sensus, ut unionem significet Sanctorum, qui in Caelo sunt, cum Fidelibus qui degunt in terris, pro quibus preces fundit Ecclesia, atque ut Deum sibi propitium faciat, Sanctorum virtutem, merita, et gloriam commemorat; quemadmodum Hebraei Abrahami, aliorumque Patriarcharum commemorabunt, ut ob eorum merita, Deus in tutela sua populum haberet, qui viros ab eo tantopere dilectos honorabat.« Bened. XIV, *sect. 1, n. 235.*

2) *Genitricis Dei et Domini* etc. His verbis non fit memoria Domini, sed solius B. M. V., quae est *Genitrix Dei et Domini nostri.* Cs. Deherdt, cum Romsée.

3) *Apostolorum.* Fit memoria 12 Apostolorum, excepto S. Matthia, qui in fine Canonis recensetur, quia post Passionem Christi fuit electus; hac tamen circumstantia non obstante, fit mentio S. Pauli, quia nunquam sejungitur a S. Petro *(tom. I, p. 427)*; addi potest S. Paulum, ut ipse testatur *I Cor. XI,* ab ipso Do-

dreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Jacobi, Philippi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Thaddaei: Lini, Cleti, Clementis, Xysti [1], Cornelii, Cypriani, Laurentii, Chrysogoni, Joannis et Pauli, Cosmae et Damiani [2], et omnium Sanctorum tuorum: quorum meritis precibusque concedas, ut in omnibus protectionis tuae muniamur auxilio. *Jungit manus.* **Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.**

Tenens manus expansas super oblata [3], *dicit*: **Hanc igi-**

mino accepisse institutionem hujus Sacrificii. — *Jacobus* qui primo loco in canone exprimitur, est Major, cujus Festum agitur 25 Jul., qui vero secundo, est Minor, cujus Dies celebratur 1 Mai. Romsée.

4) *Martyrum.* Nominantur duodecim Martyres, quibus, inquit Deherdt, omnes Sanctos Martyres comprehendi dici potest, quia numerus duodecimus universalitatem denotat. Hi autem prae caeteris inserti sunt Canoni, utpote tunc illustriores: horum enim recentiores sunt, inquit Bened. XIV, Joannes et Paulus, qui circa dimidium IV saeculi passi sunt sub Juliano apostata.

1) Duo sunt *Xysti*, primus nempe et secundus: hujus juxta *sacramentaria SS. Gregorii* et *Gelasii*, fit mentio in Canone, ac Festum agitur 6 Aug. Romsée. Cf. tamen Ben. XIV, *sect. 1, n. 237.*

2) *Cosmae* et *Damiani.* Iis non obstantibus quae in contrarium disserit Bona (vid. Bened. XIV, *l. c.*), tenendum est cum Bollandistis hic nominari SS. Martyres Arabes, quorum Festum agitur 27 Sept. Cs. Romsée.

Et omnium Sanctorum. In particularibus Ecclesiis quandoque reperitur mentio de Confessoribus. Sed »Constans semper fuit in eo Romana Ecclesia, ut, inquit Bened. XIV, *n. c.*, B. Virginem, Apostolos et Martyres retineret, exclusis Confessoribus.« Et revera Confessores non sunt imitati Christum in morte sua, sicut B. V., Apostoli et Martyres.

3) »Sacerdos, inquit Deherdt *p. 2, n. 80, V,* legens hanc Orationem, manus extensas tenet super oblata, non tantum ob pronomen *hanc*, ut materiam sensibiliter praesentem demonstret, sed ut communiter dicitur, ob rationem e Veteri Testamento desumptam: scilicet »qui in veteri Lege oblaturi erant Sacrificium, ante immolationem ponebant manus super caput victimae, »ut hoc ritu significarent, se substituere victimam in locum »suum ad subeundam mortem, quam ipsi meriti erant; simul»que orabant Deum, ut hujus Sacrificii oblatione placatus, si»mulque acceptam habens voluntatem offerentium, tribueret ipsis »et remissionem peccatorum, et bona omnia ad salutem mentis »et corporis necessaria. *Exodi XXIX, 10, Lev. I, 4, III, 2, IV, 4.* »Ad hujus ritus imitationem in nova lege Sacerdos facturus jam»jam mysticam immolationem Corporis Christi tam suo quam »populi simul offerentis nomine, ponit manus super oblata in

tur [1] oblationem servitutis nostrae, sed et cunctae familiae tuae [2], quaesumus Domine, ut placatus accipias: diesque nostros in tua pace disponas, atque ab aeterna damnatione nos eripi, et in electorum tuorum jubeas grege numerari. *Jungit manus.* Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Quam oblationem tu Deus in omnibus [3], quaesumus [4], *Signat ter super oblata,* bene † dictam [5], adscri † ptam, ra

„Corpus et Sanguinem Christi mox convertenda: eoque ritu offert „Deo se populumque Christianum cum Christo jamjam mystice „immolando; ut ejus virtute Sacrificii impetret a Deo remissio- „nem peccatorum, vitae praesentis pacem, et aeternae gloriam. „Quae quidem omnia ea Oratione, quam positis super oblata „manibus recitat, exprimuntur." *Ita Pouget, Inst. Cath. p. 3, s. 2, c. 7, §. 22, n. 18.*

1) *Igitur.* „Particula *igitur* respectum ducit ad Orationem praecedentem, q. d. suffulti ergo meritis et precibus Sanctorum, *hanc oblationem, quaesumus, placatus accipias. Hanc oblationem* mox faciendam per Consecrationem, quam Sacerdos animo praesentem habet." Deherdt, *l. c.*

2) *Familiae tuae.* Post haec verba „in Pervigiliis Paschatis et Pentecostes, ac per totam earum solemnitatum Octavam, quaedam in hac Oratione adduntur, quae ad eos, qui in his diebus baptizantur, pertinent. Nam juxta veterem disciplinam, in Pervigiliis Paschatis et Pentecostes, Catechumeni Baptismo abluebantur, qui vestibus albis amicti, Sacrificio Missae aderant, et S. Eucharistiam suscipiebant, ut bene advertit Pouget..." Bened. XIV, *sect. 1, n. 242.* Vid. dicta *tom. I, p. 402.*

3) *In omnibus,* pro quibus offertur; vel, juxta Romsée, in omnibus quae spectant ad nostram salutem.

4) *Quaesumus.* Deum hic oramus, non quidem ut fiat transsubstantiatio, sed ut *fiat nobis,* nempe ut sit nobis fructuosa. Cf. S. Th. *p. 3, q. 83, a. 4, ad 7,* et Bened. XIV, *l. c. n. 248.*

5) *Benedictam* etc. „Varie rerum harum Scriptores explicant verba *benedictam, adscriptam, ratam* etc. Omnium maxime concinna nobis ea videtur explicatio, quae affertur in canone *Utrum, de consecrat. dist. 2,* qui a Gratiano tribuitur D. Augustino, sed revera sumptus est ex Paschasii libro *de Corpore et Sanguine Christi cap. 12.* Verba Paschasii haec sunt: *Rogamus, hanc oblationem benedictam, per quam nos benedicamur; adscriptam, per quam nos omnes in Caelo conscribamur: ratam, per quam in visceribus Christi censeamur; rationabilem, per quam a bestiali sensu exuamur; acceptabilemque facere dignetur, quatenus et nos per quod in nobis displicuimus, acceptabiles in ejus unico Filio simus."* Bened. XIV, *l. c. n. 248.*

De sensu Crucesignationum quae hic et post consecrationem fiunt, dictum est, *pag. 22.*

† tam, rationabilem, acceptabilemque facere digneris: *Signat semel super Hostiam, et semel super Calicem*, ut nobis Cor † pus, et San † guis fiat dilectissimi Filii tui Domini nostri Jesu Christi.

Qui pridie quam pateretur, *Accipit Hostiam*, accepit panem in Sanctas ac venerabiles manus suas: *Elevat oculos ad caelum*, et elevatis oculis in caelum, ad te Deum Patrem suum omnipotentem, tibi gratias agens, *Signat super Hostiam*, bene † dixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens: Accipite, et manducate ex hoc omnes.

Tenens ambabus manibus Hostiam inter indices et pollices, profert verba Consecrationis secrete, distincte, et attente:

Hoc est enim corpus meum.

Prolatis verbis Consecrationis, statim Hostiam consecratam genuflexus adorat: surgit, ostendit populo, reponit super Corporale, iterum adorat: et non disjungit pollices et indices, nisi quando Hostia tractanda est, usque ad ablutionem digitorum.

Tunc detecto Calice, dicit: Simili modo postquam coenatum est, *Ambabus manibus accipit Calicem*, accipiens et hunc praeclarum Calicem in Sanctas ac venerabiles manus suas: item tibi gratias agens, *Sinistra tenens Calicem dextera signat super eum*, bene † dixit, deditque discipulis suis dicens: Accipite et bibite ex eo omnes.

Profert verba Consecrationis secrete super Calicem, tenens illum parum elevatum.

Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.

Prolatis verbis Consecrationis, deponit Calicem super Corporale, dicens secrete. Haec quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis.

Genuflexus adorat, surgit, ostendit populo, deponit, cooperit, et iterum adorat. Deinde disjunctis manibus dicit: Unde [1] et memores, Domine, nos servi tui, sed et plebs tua Sancta, ejusdem Christi Filii tui Domini nostri tam beatae passionis, necnon et ab inferis resurrectionis, sed et in Caelos gloriosae ascensionis; offerimus praeclarae Majestati tuae

1) *Unde.* Haec particula respectum habet ad praecedentia. *Haec quotiescumque* etc., quasi diceretur: huic igitur praecepto morem gerentes, et memores tam beatae passionis etc., nos servi tui... offerimus etc. — Nos qui sumus *et servi tui, et plebs tua sancta.* Cf. *I Petr. II, 9.*

de tuis donis ac datis, *Jungit manus, et signat ter super Hostiam, et Calicem simul,* Hostiam † puram, Hostiam † Sanctam, Hostiam † immaculatam, *Signat semel super Hostiam, et semel super Calicem:* Panem † Sanctum vitae aeternae, et Calicem † salutis perpetuae.

Extensis manibus prosequitur: Supra quae propitio ac sereno vultu respicere digneris, et accepta habere, sicuti [1] accepta habere dignatus es munera pueri tui justi Abel, et Sacrificium Patriarchae nostri Abrahae, et quod tibi obtulit summus Sacerdos tuus Melchisedech, Sanctum Sacrificium [2], immaculatam Hostiam.

Profunde inclinatus junctis manibus et super altare positis, (*p.* 292) *dicit:* Supplices te rogamus, omnipotens Deus: jube haec [3] perferri per manus Sancti Angeli tui in sublime altare tuum, in conspectu divinae Majestatis tuae: ut quotquot, *osculatur altare,* ex hac altaris participatione, Sacrosanctum Filii tui, *Jungit manus, et signat semel super Hostiam, et semel super Calicem,* Cor † pus, et San † guinem sumpserimus, *Seipsum signat,* omni benedictione caelesti, et gratia repleamur. Per eumdem Christum Dominum nostrum. Amen.

Commemoratio pro Defunctis. Memento etiam [4], Domine, famulorum famularumque tuarum N. et N. qui nos praecesserunt cum signo fidei, et dormiunt in somno pacis.

1) *Sicuti.* Comparatio instituitur relate ad offerentes, non autem, ut patet, relate ad oblata. Cs. Romsée. Bened. XIV, *l. c. n. 281,* explicat cur Ecclesia hic commemoret Sacrificia Abelis, Abrahami et Melchisedech.

2) *Sanctum Sacrificium* etc. Haec referenda videntur non ad oblationem Melchisedech, sed ad Sacrificium Missae. Cf. Bened. XIV, *l. c. n. 285, 286 et 291.*

3) *Haec* etc. Liturgici Scriptores fatentur verba hujus Orationis esse intellectu difficilia. Sic exponuntur ab Innoc. III et aliis. „*Jube haec,* id est, vota Fidelium, videlicet supplicationes et preces, *perferri per manus Angeli tui,* id est, per ministerium Angelorum (secundum illud quod ait Angelus ad Tobiam: *Quando orabas cum lacrymis, ego obtuli Orationem tuam Domino), in sublime altare tuum, hoc est, in conspectum divinae Majestatis tuae.*“ Ap. Ben. XIV, *l. c. n. 293,* cf. *ibid. n. 294,* et Deherdt, *p. 2, n. 82, III.*

4) *Etiam.* De hac particula varii varie opinati sunt. Sed „cum ante consecrationem dictum fuerit *Memento* pro vivis, nemo non videt, ait Bened. XIV, *sect. 1, n. 296,* quam proprie interjiciatur vox illa *etiam,* quae indicat Orationem, quae hactenus facta fuit pro vivis, deinceps pro Defunctis continuari.“

Jungit[1] *manus, orat aliquantulum pro iis Defunctis, pro quibus orare intendit, deinde extensis manibus prosequitur:* Ipsis, Domine, et omnibus in Christo quiescentibus, locum refrigerii, lucis et pacis, ut indulgeas, deprecamur. *Jungit manus, et caput inclinat (p. 293).* Per eumdem Christum Dominum nostrum, Amen.

Manu dextera percutit sibi pectus, elata parum voce dicens: Nobis quoque peccatoribus famulis tuis, de multitudine miserationum tuarum sperantibus, partem aliquam et societatem donare digneris, cum tuis Sanctis Apostolis et Martyribus: cum Joanne[2], Stephano, Matthia, Barnaba, Ignatio, Alexandro, Marcellino, Petro, Felicitate, Perpetua, Agatha, Lucia, Agnete, Caecilia, Anastasia, et omnibus Sanctis tuis: intra quorum nos consortium, non aestimator meriti, sed veniae, quaesumus, largitor admitte. *Jungit manus.* Per Christum, Dominum nostrum.

Per quem haec omnia, Domine, semper bona creas, *signat ter super Hostiam et Calicem simul, dicens,* sancti- † ficas, vivi † ficas, bene † dicis et praestas nobis. *Discooperit Calicem, genuflectit, accipit Sacramentum dextera, tenens*

1) Duo hic indicantur pro facienda Defunctorum commemoratione: *a)* eorum nominatio saltem mentalis *(p. 284 et 212)*, ad litteras N. N., et *b)* Oratio pro iisdem *Orat.* Juxta Cav. *tom. 5, c. 20, n. 4,* Celebrans facit praedictam Commemorationem, »prius in individuo, uti designant litterae N. N., et postea in genere seu postquam dixerit secreto, *qui nos praecesserunt cum signo fidei et dormiunt in somno pacis.*« Juxta Deherdt et Romsée, illae litterae locum tenent diptychorum *(p. 293)*, nuncque usu generali negliguntur, et memoria Defunctorum tantum fit post verba *in somno pacis.* Nollem ego asserere illas litteras nunc negligi usu generali. Memoria quidem Defunctorum congrue fit post verba *in somno pacis*, et ita practicari potest. Sed non ideo dicendae sunt negligi litterae N. N.; quamvis enim regulariter nomina proferantur statim ac occurrunt hujusmodi litterae, nihilominus in casu servatur usus seu veritas earum, etsi interponitur aliqua phrasis, quae videlicet pertinet ad personas statim nominandas.

2) »Joannes, qui nominatur in hac Oratione, est Joannes Baptista, ut constat ex responso S. R. C. 27 Mart. 1824, n. 4452, 2; Stephanus Protomartyr; Matthias Apostolus; Barnabas, Apostolus; Ignatius, 1 Feb.; Alexander Pontifex, 3 Mai.; Marcellinus Presbyter, et Petrus exorcista, 2 Jun.; Felicitas et Perpetua 7 Mart.; Agatha 5 Feb.; Lucia 13 Dec.; Agnes 21 et 28 Jan.; Caecilia 22 Nov.; Anastasia 25 Dec.« Deherdt, *p. 1, n. 22.*

sinistra Calicem: signat cum Hostia ter a labio ad labium Calicis, dicens; Per i † psum, et cum i † pso, et in i- † pso, *bis signat inter Calicem, et pectus,* est tibi Deo Patri † omnipotenti, in unitate Spiritus † Sancti, *Elevans parum Calicem cum Hostia, dicit* omnis honor et gloria. *Reponit Hostiam, cooperit Calicem, genuflectit, surgit et dicit:*

Per omnia saecula saeculorum. Resp. Amen. *Jungit manus.* Oremus. Praeceptis salutaribus moniti, et divina institutione formati, audemus dicere: *Extendit manus.*

Pater noster...

Sacerdos secrete dicit: Amen.

Deinde accipit Patenam inter indicem et medium digitos, et dicit: Libera nos, quaesumus Domine, ab omnibus malis praeteritis, praesentibus et futuris: et intercedente beata et gloriosa semper virgine Dei genitrice Maria, cum beatis Apostolis tuis Petro et Paulo, atque Andrea, et omnibus Sanctis, *signat se cum Patena a fronte ad pectus et eam osculatur,* da propitius pacem in diebus nostris: ut ope misericordiae tuae adjuti, et a peccato simus semper liberi, et ab omni perturbatione securi.

Submittit Patenam Hostiae, discooperit Calicem, genuflectit, surgit, accipit Hostiam, frangit eam super Calicem, per medium, dicens: Per eumdem Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum.

Partem, quae in dextera est, ponit super Patenam. Deinde ex parte, quae in sinistra remansit, frangit Particulam (p. 302), dicens: Qui tecum vivit et regnat in unitate Spiritus Sancti Deus.

Aliam mediam partem cum ipsa sinistra ponit super Patenam, et dextera tenens Particulam super Calicem, sinistra Calicem, dicit:

Per omnia saecula saeculorum. Resp. Amen. *Cum ipsa Particula signat ter super Calicem, dicens:* Pax † Domini sit † semper vobis † cum. Resp. Et cum Spiritu tuo.

Particulam ipsam immittit in Calicem, dicens secrete: Haec commixtio et Consecratio Corporis et Sanguinis Domini nostri Jesu Christi, fiat accipientibus nobis in vitam aeternam. Amen.

Cooperit Calicem, genuflectit, surgit, et inclinatus (p. 303) Sacramento, junctis manibus et ter pectus percutiens, dicit:

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miserere nobis.

Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem.

In Missis pro Defunctis non dicitur, miserere nobis, *sed ejus loco,* dona eis requiem, *et in tertio additur* sempiternam.

Deinde junctis manibus super altare (*p. 304*), *inclinatus dicit sequentes Orationes:* Domine Jesu Christe, qui dixisti Apostolis tuis: Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis: ne respicias peccata mea, sed fidem Ecclesiae tuae, eamque secundum voluntatem tuam pacificare et coadunare digneris. Qui vivis et regnas Deus, per omnia saecula saeculorum. Amen.

Si danda est pax, osculatur altare, et dans pacem, dicit: Pax tecum. Resp. Et cum Spiritu tuo. *In Missis Defunctorum non datur pax, neque dicitur praecedens Oratio* (*p. 342*).

Domine Jesu Christe, Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, cooperante Spiritu Sancto, per mortem tuam mundum vivificasti: libera me per hoc Sacrosanctum Corpus, et Sanguinem tuum, ab omnibus iniquitatibus meis, et universis malis, et fac me tuis semper inhaerere mandatis, et a te nunquam separari permittas. Qui cum eodem Deo Patre et Spiritu Sancto vivis et regnas Deus in saecula saeculorum. Amen.

Praeceptio Corporis tui, Domine Jesu Christe, quod ego indignus sumere praesumo, non mihi proveniat in judicium et condemnationem: sed pro tua pietate prosit mihi ad tutamentum mentis et Corporis, et ad medelam percipiendam. Qui vivis et regnas cum Deo Patre in unitate Spiritus Sancti Deus; per omnia saecula saeculorum. Amen.

Genuflectit, surgit, et dicit: Panem caelestem accipiam, et nomen Domini invocabo.

Deinde parum inclinatus, accipit ambas partes Hostiae inter pollicem et indicem sinistrae manus, et Patenam inter eumdem indicem et medium, et dextera percutiens pectus, elevata aliquantulum voce, dicit ter devote et humiliter: Domine, non sum dignus, ut intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, et sanabitur anima mea.

Postea dextera se signans cum Hostia super Patenam, dicit: Corpus Domini nostri Jesu Christi (*p. 306*) custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Sumit reverenter ambas partes Hostiae, jungit manus, et quiescit aliquantulum in meditatione Sanctissimi Sacramenti. Deinde discooperit Calicem, genuflectit, colligit fragmenta, si quae sint (*p. 308 sq.*), *extergit Patenam super Calicem, interim*

(*p. 308*) *dicens:* Quid retribuam Domino pro omnibus quae retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, et nomen Domini invocabo. Laudans invocabo Dominum, et ab inimicis meis salvus ero.

Accipit Calicem manu dextera, et eo se signans, dicit: Sanguis Domini nostri Jesu Christi custodiat animam meam in vitam aeternam. Amen.

Sumit totum Sanguinem cum Particula. Quo sumpto, si qui sunt communicandi, eos communicet, antequam se purificet. Postea dicit: Quod ore sumpsimus, Domine, pura mente capiamus: et de munere temporali fiat nobis remedium sempiternum.

Interim porrigit (p. 310, 5) Calicem Ministro, qui infundit in eo parum vini, quo se purificat, deinde prosequitur: Corpus tuum, Domine, quod sumpsi, et Sanguis, quem potavi, adhaereat visceribus meis: et praesta, ut in me non remaneat scelerum macula, quem pura et Sancta refecerunt Sacramenta. Qui vivis et regnas in saecula saeculorum. Amen.

Abluit digitos, extergit, et sumit ablutionem: extergit os, et Calicem, quem operit, et plicato Corporali (p. 227), collocat in altari ut prius; deinde prosequitur Missam.

Dicto post ultimam Orationem, Dominus vobiscum. Resp. Et cum Spiritu tuo, *dicit pro Missae qualitate, vel* Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino; Resp. Deo gratias. *In Missis Defunctorum dicit* Requiescant (*p. 343*) in pace; Resp. Amen. *Tempore Paschali, hoc est, a Missa Sabbati S., usque ad Sabbatum in Albis inclusive:* Ite Missa est, Alleluia, Alleluia[1].

Dicto Ite Missa est, *vel* Benedicamus Domino. *Sacerdos inclinat se ante medium altaris, et manibus junctis super illud, dicit (p. 331):* Placeat tibi, Sancta Trinitas, obsequium servitutis meae, et praesta: ut Sacrificium, quod oculis tuae Majestatis indignus obtuli, tibi sit acceptabile, mihique et omnibus, pro quibus illud obtuli, sit te miserante, propitiabile. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

Deinde osculatur altare; et elevatis oculis (p. 331 et sq.).. *dicit* Benedicat vos (*p. 331*)... *Deinde in cornu Evangelii, dicto* Dominus vobiscum, *et* Initium *vel* sequentia S. Evangelii, *signans altare, vel* librum (*p. 332*), *et se, ut supra in Evangelio Missae, legit Evangelium...*

1) In Missali hoc loco apponuntur diversi cantus pro *Ite Missa est* etc.

In Missis Defunctorum non datur benedictio, sed dicto Requiescant in pace, *dicit* Placeat tibi, Sancta Trinitas. *Deinde osculato altari legit Evangelium S. Joannis Finito Evangelio S. Joannis, discedens ab altari, pro gratiarum actione, dicit Antiphonam* Trium puerorum, *cum reliquis ut habetur in principio Missalis.*

SECTIO V.

DE DEFECTIBUS IN CELEBRATIONE MISSARUM OCCURRENTIBUS.

Praenotandum. Rubricae hujus sectionis exordiuntur a titulo praeliminari, quo enunciantur tractanda in sequentibus titulis. Haec autem ad quatuor referuntur, scilicet: ad materiam, ad formam, ad Ministrum, et ad ministerium. Porro in his tradendis solet servari sequens methodus: requisitis breviter enunciatis, quidam recensentur casus ubi aliquid deest ex requisitis, et deinde traditur modus corrigendi defectum. Inde jam patet multa tradi in hoc Rubricarum textu quae ad Theologiam pertinent, et quorum proinde expositio requirenda est apud Theologos. Opportunum tamen existimatur, si hic integer textus exscribatur: nam ex una parte communiter desideratur apud Theologos, et ex altera parte negligi nequit a Sacerdote sine praejudicio; multa siquidem continet quae alibi non reperies sive clarius, sive brevius exposita, sive a majori auctoritate definita.

TITULUS I.

Rub. Sacerdos celebraturus omnem adhibeat diligentiam, ne desit aliquid ex requisitis ad Sacramentum Eucharistiae conficiendum. Potest autem defectus contingere ex parte materiae (1) consecrandae, et ex parte formae (2) adhibendae, et ex parte Ministri (3) conficientis (4). Quidquid enim horum deficit, scilicet materia debita, forma cum intentione, et Ordo Sacerdotalis in conficiente, non conficitur Sacramentum. Et his existentibus (5), quibuscumque aliis deficientibus, veritas adest Sacramenti. Alii vero sunt defectus, qui in Missae celebratione occurrentes, etsi veritatem Sacramenti non impediant; possunt tamen aut cum peccato, aut cum sandalo contingere.

(1) *Ex parte materiae,* prout generatim dicitur *tit. II,* et speciatim *tit. III et IV.*

(2) *Ex parte formae,* ut *tit. V.*

(3) *Ex parte Ministri,* ut generatim indicatur *tit. V et sqq.*

(4) *Conficientis.* De defectibus in ipso ministerio occurrentibus, agitur *tit. X.*

(5) *His existentibus etc.... Alii vero etc....* Defectus hic distinguntur in *essentiales* et *accidentales* seu *non essentiales,* prout defectus contingunt in re pertinente ad essentiam Sacrificii, aut ad solam ejus integritatem. Omnes quidem defectus sedulo sunt vitandi; sed non omnes aeque necessario sunt reparandi, ut videre est *tit. IV, 5.*

TITULUS II.
DE DEFECTIBUS MATERIAE.

Rub. Defectus ex parte materiae possunt contingere, si aliquid desit ex iis, quae ad ipsam requiruntur. Requiritur enim, ut sit panis triticeus, et vinum de vite: et ut hujusmodi materia consecranda, in actu Consecrationis sit coram Sacerdote.

TITULUS III.
DE DEFECTU PANIS.

Rub. 1. Si panis non sit triticeus, vel si triticeus, admixtus sit granis alterius generis in tanta quantitate, ut non maneat panis triticeus, vel sit alioqui corruptus, non conficitur Sacramentum.

Rub. 2. Si sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est, an conficiatur.

Rub. 3. Si coeperit corrumpi, sed non sit corruptus, similiter si non sit azymus, secundum morem Ecclesiae latinae, conficitur, sed conficiens graviter peccat.

Rub. 4. Si Celebrans ante Consecrationem adverterit Hostiam esse corruptam, aut non esse triticeam; remota illa Hostia, aliam ponat, et facta oblatione, saltem mente concepta, prosequatur ab eo loco, ubi desivit.

Rub. 5. Si id adverterit post Consecrationem, etiam post illius Hostiae sumptionem, posita alia, faciat oblationem, ut supra *(Rub. praec.)*, et a Consecratione incipiat, scilicet ab illis verbis, *Qui pridie quam pateretur;* et illam priorem, si non sumpsit, sumat post sumptionem Corporis et Sanguinis, vel aliis sumendam tradat, vel alicubi reverenter conservet. Si autem sumpserit, nihilominus sumat

eam, quam consecravit: quia praeceptum de perfectione Sacramenti majoris est ponderis, quam quod a jejunis sumatur.

Rub. 6. Quod si hoc contingat post sumptionem Sanguinis, apponi debet rursus novus panis, et vinum cum aqua; et facta prius oblatione ut supra, Sacerdos consecret, incipiendo ab illis verbis *Qui pridie*: ac statim ([1]) sumat utrumque, et prosequatur Missam, ne Sacramentum remaneat imperfectum, et ut debitus servetur ordo ([2]).

(1) *Statim.* Unde omittenda sunt omnia quae in Canone reperiuntur a consecratione ad communionem. Cs. Gav. Vid. Ben. XIV, *sect. 2, n. 127.*

(2) *Debitus ordo* postulat ut Hostia consecretur ante Calicem; nam in Calice repraesentatur effusio Sanguinis e Corpore Christi, quod vi verborum est in Hostia. Cs. Gav. Janss. *h. t. n. 15.*

Rub. 7. Si Hostia consecrata dispareat, vel casu aliquo, ut vento, aut miraculo, vel ab aliquo animali accepta, et nequeat reperiri; tunc altera consecretur ab eo loco incipiendo, *Qui pridie quam pateretur*, facta ejus prius oblatione, ut supra.

Hic et *tit. X, 13,* non requiritur utriusque materiae consecratio, sicuti *tit. IV, 5.* Et ratio disparitatis est, quia hic utraque materia fuit debito ordine consecrata, et unum tantummodo desideratur, nempe ut nova consecratio fiat ad sumptionem speciei quae disparuit.

TITULUS IV.

DE DEFECTU VINI.

Rub. 1. Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis, seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum; non conficitur Sacramentum.

Rub. 2. Si vinum coeperit acescere, vel corrumpi, vel fuerit aliquantum acre, vel mustum de uvis tunc expressum, vel non fuerit admixta aqua, vel fuerit admixta aqua rosacea, seu alterius distillationis; conficitur Sacramentum, sed conficiens graviter peccat.

Rub. 3. Si Celebrans ante Consecrationem Sanguinis, quamvis post Consecrationem Corporis, advertat aut vinum aut aquam, aut utrumque non esse in Calice; debet statim

apponere vinum cum aqua, et facta oblatione ut supra, consecrare, incipiendo ab illis verbis, *Simili modo,* etc.

Rub. 4. Si post verba consecrationis, advertat vinum non fuisse positum, sed aquam: deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in Calice, et consecret, resumendo a verbis praedictis, *Simili modo,* etc.

Rub. 5. Si hoc advertat post sumptionem Corporis vel hujusmodi aquae; apponat aliam Hostiam iterum consecrandam, et vinum cum aqua in Calice, offerat utrumque, et consecret, et sumat, quamvis non sit jejunus. Vel si Missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua, et facta oblatione, ut supra, consecrare, ac statim *(ut p. praec.)* sumere, et prosequi caetera.

Praecedenti Rubrica supponitur errorem adverti post consecrationem et ante sumptionem, hic vero post sumptionem Corporis tantum, aut etiam hujusmodi aquae. Circa hunc duplicem casum, nonnullae oriuntur quaestiones.

Q. 1. Quid faciendum sit de aqua et de S. Particula?

R. 1° Cum praesens Rubrica nihil de hoc disponat, et aliunde expresse ordinet ut apponatur *vinum cum aqua,* Calicis aqua supponitur infundenda cum sacra Particula in aliud vas, juxta Rubricam praecedentem, hoc tantum excepto, quod ratione S. Particulae quae illi aquae fuit immixta, hic adhibendum sit vas consecratum, vel saltem benedictum (*p.* 228). Alius quidem modus proponitur tum a Lacroix *lib. VI, p. III, n. 544,* tum a Missali Parisiensi. Juxta Lacroix, potest S. Particula retineri in Calice cum parva aquae quantitate, vinumque in eumdem infundi consecrandum; Missale autem cit. (ut refertur apud Collet, *Traité des SS. Mystères, ch. IV, n. 9*) ordinat ut Celebrans „aquam non effundat, sed vinum apponat in majori quantitate, offerat etc..." Neuter modus est conformis Rubricae; et insuper posterior videtur minus decens, imo periculosus, praesertim quando vinum non est generosum.

2° Hujusmodi aqua, praesertim quando ei admixta fuit S. Particula, sumitur a Celebrante post sumptionem Sanguinis. Si vero agatur de liquore qui non sit potabilis, tunc agendum erit ut *tit. X, 14.*

3° De aqua jam in os infusa, notandum est eam non esse exspuendam, sed deglutiendam, uti contra quosdam communiter tenetur, cum Gav. Janssens *h. t. n. 10.* Busem-

baum ap. S. Lig. *de Euch.* *n.* 288, Lacroix *l. c.*, tum ut vitetur indecentia et periculum ejiciendi S. Particulam, tum etiam quia inutiliter exspueretur, cum difficile sit, ut advertit Quarti *h. l. dub. 13,* imo fere impossibile, juxta Collet *l. c.* ut in eo casu nihil trajiciatur.

Q. 2. An alia Hostia consecranda sit, etiam quando in aqua remanet S. Particula?

R. Negat Deherdt *h. l.* Attamen affirmandum videtur, propter Rubricae silentium, quod in casu haberi nequit ut argumentum mere negativum: etenim talis casus non erit infrequens in hujusmodi defectu, et *b*) dum Rubrica exprimit exceptionem quoad locum publicum, implicite excludit aliam. Ratio autem quare Rubrica non excludat hujusmodi casum, ea esse potest, quia *ordo debitus* non tantum postulat ut Christus Dominus praesens sit simul sub speciebus panis et vini, sed ut panis consecrationem immediate sequatur vini consecratio (vid. *p. 404*), atque praesens sit in ipsa Hostia, non vero in sola particula ejusdem.

Q. 3. Quomodo intelligenda sit exceptio hic expressa, *si Missa celebretur* etc.?

R. Verba, *ad evitandum scandalum*, videntur apponi, non ut conditio, sed ut ratio exceptionis, ita ut sensus sit: *si Missa celebretur in loco publico* etc., in casu, ad evitandum scandali periculum, quod ordinarie timendum est, hisce in circumstantiis, poterit consecrari solum vinum. Juxta hanc expositionem investigandum non est, an hic et nunc timendum sit scandalum. Et in confirmationem praedictae expositionis adverti potest plerumque, in casu, Celebrantem non posse certiorem fieri an timendum sit necne scandalum.

De casu quo tempestive haberi nequeat apta materia, vid. *Rub. 8 infra.*

Q. 4. Quo sensu hic accipiendum sit scandalum?

R. In sensu latissimo, ut quandoque fit apud AA., sicut notat Bonacina *de Euch. d. 4, q. 6, p. 1, n. 18,* scilicet pro quadam populi turbatione aut admiratione, conjuncta forte cum oblocutione seu murmure non gravi. Scandalum enim proprie dictum, sumptum pro ruina spirituali proximi, occasione facti aut dicti alterius minus recti, timendum non est ex consecratione alterius Hostiae.

Q. 5. Quid si post sumptionem, dubitetur an liquor hau-

stus sit vinum purum aut corruptum, v. g. cum notabili aquae quantitate mixtum?

R. 1° Hujusmodi liquor effundendus est in alium Calicem, et sumendus ante ablutionem (*p. praec.*).

Notandum est hic agi de dubio fundato, omnibus pensatis.

2° Vinum apponendum est cum aqua et consecrandum. S. Lig. *l. 6, n. 206.* Sed inter AA. non convenit an *absolute*, an *conditionate* proferenda sint verba consecrationis. S. Lig. *l. c.* putat apponendam esse conditionem. Negat vero Janssens *p. III, app. post tit. IV,* arguendo, *an. 9 ad 15,* ex Rubricis et *an. 22*, ex S. Thoma. Plures citat Rubricas, v. g. *tit. X, 3,* ex quibus ita concludit *n. 15:* „Ex iis autem omnibus patet, quod Rubrica nullibi unquam praescribat, aut permittat *consecrationem conditionatam* super materia, de qua certo constat, quod sit purus panis, aut purum vinum.“ Cf. Deherdt, *h. l. n. 10, II.*

3° Alia autem Hostia non debet consecrari, saltem in publico coram pluribus: par enim ratio, ne dicam major, hic urget, ac in casu Rub. praec.

Rub. 6. Si quis percipiat ante consecrationem, vel post consecrationem, totum vinum esse acetum, vel alias corruptum, idem servetur quod supra, ac si deprehenderet non esse positum vinum, vel solam aquam fuisse appositam in Calice.

Rub. 7. Si autem Celebrans ante consecrationem Calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam, et proferat verba consecrationis. Si id advertat post consecrationem Calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.

Rub. 8. Si materia, quae esset apponenda, ratione defectus vel panis vel vini, non posset ullo modo haberi; si id sit ante consecrationem Corporis, ulterius procedi non debet: si post consecrationem Corporis, aut etiam vini, deprehenditur defectus alterius speciei, altera jam consecrata; tunc si nullo modo haberi possit, procedendum erit, et Missa absolvenda, ita tamen, ut praetermittantur verba et signa, quae pertinent ad speciem deficientem. Quod si exspectando aliquandiu (1), haberi possit, exspectandum erit, ne Sacrificium remaneat imperfectum.

(1) *Aliquandiu,* id est, juxta Janssens, per duas, plus minusve horas. Vid. dicenda infra *tit. X, 3,* de Sacerdote

a quo Missa, ab alio incoepta, sit perficienda. Sed advertendum est vix exspectandam esse Hostiam, in casu Rub. 5.

TITULUS V.

DE DEFECTIBUS FORMAE.

Rub. 1. Defectus ex parte formae possunt contingere, si aliquid desit ex iis quae ad integritatem verborum in ipsa consecratione requiruntur. Verba autem consecrationis, quae sunt forma hujus Sacramenti, sunt haec: *Hoc est enim Corpus meum.* Et, *Hic est enim Calix Sanguinis mei, novi et aeterni testamenti: mysterium fidei: qui pro vobis et pro multis effundetur in remissionem peccatorum.* Si quis autem aliquid diminueret, vel immutaret de forma consecrationis Corporis et Sanguinis, et in ipsa verborum immutatione, verba idem non significarent, non conficeret Sacramentum. Si vero aliquid adderet, quod significationem non mutaret, conficeret quidem, sed gravissime peccaret.

Rub. 2. Si Celebrans non recordetur se dixisse ea, quae in consecratione communiter dicuntur, non debet propterea turbari. Si tamen certo ei constet, se omisisse aliquid eorum, quae sunt de necessitate Sacramenti, id est formam consecrationis, seu partem, resumat ipsam formam, et caetera prosequatur per ordinem. Si vero valde probabiliter dubitet, se aliquid essentiale omisisse, iteret formam saltem sub tacita conditione. Si autem non sunt de necessitate Sacramenti, non resumat, sed procedat ulterius ([1]).

(1) *Ulterius procedat.* Quaeritur an etiam *ulterius* sit procedendum, quando Celebranti certo constat se omisisse aliquid accidentale, v. g. *Gloria,* aliquam Orationem?

R. Affirmative. „Quia, inquit Sporer, *Theol. sacram. p. II, n. 433,* gravior deordinatio et irreverentia fieret in sacra actione ista repetendo, quam facta sit ista omittendo. Quod si tamen Sacerdos, dum secreto orat, post pauca verba certo advertat se aliquid notabile omisisse, v. g. *Communicantes,* in Canone, paululum regrediendum et repetendum erit, cum id absque omni incommodo fieri possit. Filliucius, Diana, Escobar cum Tamburino *l. 2. Sacrif. c. 5.*“ Cs. S. Lig. cum Busemb. *l. VI, n. 403.*

TITULUS VI.

DE DEFECTIBUS MINISTRI.

Rub. Defectus ex parte Ministri possunt contingere quoad ea, quae in ipso requiruntur. Haec autem sunt: inprimis intentio, deinde dispositio animae, dispositio corporalis, dispositio vestimentorum, dispositio in ministerio ipso quoad ea, quae in ipso possunt occurrere.

TITULUS VII.

DE DEFECTU INTENTIONIS.

Rub. 1. Si quis non intendit conficere, sed delusorie aliquid agere, item si aliquae Hostiae ex oblivione remaneant in altari, vel aliqua pars vini, vel aliqua Hostia lateat, cum non intendat consecrare nisi quas videt: item si quis habeat coram se undecim Hostias, et intendat consecrare solum decem, non determinans quas decem intendit: in his casibus non consecrat, quia requiritur intentio. Secus si putans quidem esse decem, tamen omnes voluit consecrare, quas coram se habebat: **nam tunc omnes erunt consecratae: atque ideo quilibet Sacerdos talem semper intentionem habere deberet, scilicet consecrandi eas omnes, quas ante se ad consecrandum positas habet.**

Rub. 2. Si Sacerdos putans se tenere unam Hostiam, post consecrationem invenerit fuisse duas simul junctas, in sumptione sumat simul utramque. Quod si deprehendat post sumptionem Corporis et Sanguinis, aut etiam post ablutionem (1), reliquias aliquas relictas consecratas, eas sumat, sive parvae sint, sive magnae, quia ad idem Sacrificium spectant.

(1) *Aut etiam post oblutionem.* „Imo Card. de Lugo, *d. 14, p. 4, n. 82,* et Gran. non damnant Sacerdotem qui priusquam sacras vestes exuat, Particulam inventam absumit, eo quod non sit communio nova, sed complementum praecedentis. Vid. Bened. Card. de Lugo. Escobar *ll. cc.*" S. Lig. *h. c. n. 288* cum Busemb. Cf. Janss. *h. t. n. 15 sqq.* Quod pariter fieri posse videtur, etiam exutis sacris vestibus, si nullum habeatur tabernaculum, nec alius Sacerdos celebraturus. Cf. Ben. XIV, *sect. 2, n. 148*, et Deherdt, *h. 15 fin.*

De consumendis SS. Particulis aut reliquiis ante purificationem Pyxidis, dicitur *pag. 320.*

Circa reliquias quae aliquando super Patenam deprehenduntur vel deprehendi putantur a Celebrante, v. g. in praeparando Calice, vel a Sacrista in exuendo aut praeparando Calice, distinguendum est an adsit necne dubium fundatum. 1° Si cum fundamento existimetur esse revera reliquias Hostiae *Consecratae*, v. g. quia constat esse fragmenta Hostiae, et aliunde Sacerdos, qui celebravit, dignoscitur minus diligens in purificanda Patena, tunc hujusmodi reliquiae caute et reverenter sunt servandae, sive ut ab alio Celebrante sumantur cum aliis fragmentis, sive ut in Ciborium deponantur. 2° Si autem dubium non sit fundatum, nihil de iis curandum est, ut v. g. quando Celebrans certus est nullum fragmentum visibile fuisse ab ipso relictum super Patenam: etenim ut reverenter sint tractandae reliquiae, non sufficit ut appareant, vel adsint quaecumque fragmenta. *a)* „Quia, inquit Quarti, *p. 2, tit. 10, s. 2, q. 5*, saepius contingit super Patenam apparere quae videntur fragmenta Hostiae, et revera non sunt..."; et *b)* quandoque in Patena reperiuntur vera fragmenta Hostiae, quae a palla exciderunt, et proinde sunt fragmenta Hostiae *non consecratae.*

Si super Patenam appareant quaedam fragmenta Hostiae, et habeatur non dubium fundatum, sed mera suspicio an sint consecrata, tunc congrue servantur super Patenam, vel super Corporale deponuntur, ut cum aliis fragmentis in S. Sanguinem immittantur.

Rub. 3. Si vero relicta sit Hostia integra (1) consecrata, eam in tabernaculo cum aliis reponat: si hoc fieri nequit, sequenti Sacerdoti ibi celebraturo, in altari supra Corporale decenter opertam, sumendam una cum altera, quam est consecraturus, relinquat: vel si neutrum horum fieri possit, in ipso Calice, seu Patena decenter conservet, quousque vel in tabernaculo reponatur, vel ab altero sumatur: quod si non habeat, quomodo honeste conservetur, potest eam ipsemet sumere (2).

(1) *Hostia integra.* Ben. XIV, *sect. 2, n. 147*, eorum probat opinionem qui statuunt Hostias parvi moduli hic nomine Hostiae contineri.

(2) *Potest eam sumere*, etiam post ablutionem, uti dicitur *Rub. praec.* de reliquiis: hic enim agitur de Hostia *relicta*, non vero de Hostia quae animadvertitur ante ablutionem; quod inde confirmatur quia in casu quo Cele-

brans nondum sumpsit ablutionem, nulla est ratio praedictam Hostiam relinquendi alteri Celebranti.

Rub. 4. Si intentio non sit actualis in ipsa consecratione propter evagationem mentis, sed virtualis, cum accedens ad altare intendat facere quod facit Ecclesia, conficitur Sacramentum [1], etsi curare debet Sacerdos, ut etiam actualem intentionem adhibeat.

(1) *Conficitur Sacramentum.* Quapropter si Celebrans ante consecrationem non discooperuerit Pyxidem, quam ab initio posuit super Corporale intra lapidem sacrum cum intentione consecrandi Particulas in ea contentas, nihilominus consecrantur, etiamsi de illis non cogitet dum profert verba consecrationis. Cs. Ben. XIV, *sect. 2, n. 155.* Cf. S. Lig. *l. 6, n. 216* cum Busemb. et *n. sq.* De casu autem quo Pyxis non fuerit posita intra lapidem sacrum, etsi super Corporale, vid. Ben. XIV, *l. c. n. 159.* Ibi tenet Particulas dubie consecratas non esse Populo distribuendas, sed asservandas, ut in alia Missa consecrentur. Cf. S. Lig. *l. c. n. 217,* et Janss. *h. t. n. 5 sqq.* In casu, non fit quaestio de consecratione conditionata: intentione Celebrantis comprehenditur tota materia praesens quae non est consecrata, sicque inutilis evadit conditio.

De efformanda vel non intentione consecrandi guttas vini intra Calicem, a massa separatas, et micas Hostiarum super Corporale, intra lapidem sacrum, positas, non conveniunt AA. Tuto procedit qui vel *generatim* intendit consecrare prout vult Ecclesia, vel *in specie* intendit se conformare Ecclesiae menti quoad consecrationem illarum guttarum et micarum. Quantum autem fieri potest, praecavendum ut nullae sint micae *(p. 210)* aut guttae *(p. 268).* Cf. S. Lig. *l. c. n. 215* et Deherdt *h. l. n. 13, II, 5,* et *III.*

TITULUS VIII.

DE DEFECTIBUS DISPOSITIONIS ANIMAE.

Rub. 1. Si quis suspensus, excommunicatus, degradatus, irregularis, vel alias canonice impeditus celebret: conficit quidem Sacramentum, sed gravissime peccat, tam propter communionem, quam indigne sumit, quam propter executionem Ordinum, quae sibi erat interdicta.

Rub. 2. Si quis habens copiam Confessoris, celebret in peccato mortali, graviter peccat.

Rub. 3. Si quis autem in casu necessitatis non habens copiam Confessoris, in peccato mortali absque contritione celebret, graviter peccat; secus si conteratur: debet tamen, cum primum poterit, confiteri.

Rub. 4. Si in ipsa Celebratione Missae Sacerdos recordetur se esse in peccato mortali, conteratur cum proposito confitendi et satisfaciendi.

Rub. 5. Si recordetur se esse excommunicatum, vel suspensum, aut locum esse interdictum; similiter conteratur cum proposito petendi absolutionem. Ante consecrationem autem in supradictis casibus, si non timetur scandalum ([1]), debet Missam inceptam deserere.

(1) *Scandalum.* Hic nomine scandali non venit, ut *tit. IV, 5,* quaedam turbatio admiratiove populi, sed nota infamiae inurenda Celebranti, et damnum quod inde forsitan patietur Religio. Quod autem attinet ad scandalum stricte sumptum, pro ruina spirituali proximi, quamvis sufficiens sit ratio continuandi Missam incoeptam, nihilominus de eo hic nec est proprie quaestio, quia vix occurret.

TITULUS IX.

DE DEFECTIBUS DISPOSITIONIS CORPORIS.

Rub. 1. Si quis non est jejunus post mediam noctem, etiam post sumptionem solius aquae, vel alterius potus, aut cibi, per modum etiam medicinae, et in quantumcumque parva quantitate, non potest communicare, nec celebrare.

In hac Rubrica, secus ac *tit. IV, 5,* et *tit. VIII, 5,* non apponitur limitatio, *si non timetur scandalum.* Id factum non est, quia, quod quidam [1] docuerunt, lex jejunii naturalis non cessat propter vitandum scandalum aut infamiam; sed omitti hic videtur illa limitatio, quia vix occurret casus quo Sacerdos non jejunus debeat Missam celebrare, ad evitandum scandalum. Exceptio enim non solet exprimi nisi peculiari de causa, puta, quia praevidetur aliquando

1) „Non tamen potest (Sacerdos non jejunus) celebrare, etiam quo ministret infirmo vel vitet scandalum, etiam jussu Praelati inferioris Papa, juxta communem.“ Navarr. *Man. de V praec. Eccles. c. 21, n. 53 fin.* Sed. vid. Card. de Lugo *d. 15, sect. 3, n. 70.*

applicanda: sed seclusa hujusmodi praevisione, exceptio non exprimitur, et si forte occurrat, censetur subintellecta.

Probatur vix futurum esse casum, quo Sacerdos non jejunus debeat Missam celebrare ad evitandum scandalum. 1° Id fieri nequit propter scandalum de quo *tit. IV, 5;* gravior enim est lex jejunii, quam ut cessare possit propter istiusmodi incommodum: siquidem *a)* Benedictus XIV, *sect. 2, n. 100,* fidenter affirmat legem jejunii non cessare ut celebretur ad ministrandum infirmo Viaticum, et *b)* ab ea solus Pontifex Romanus, et rarissime quidem, dispensat.

2° Vix ac ne vix quidem occurret casus quo id faciendum sit ad vitandum scandalum proprie dictum, id est, sumptum pro ruina spirituali aliorum. Nam cum populus moneri possit de jejunio ex inadvertentia fracto, hic non habebitur [1] nisi scandalum *pharisaicum*, quod eximere non potest a gravissima lege jejunii. Confirmatur ex verbis Vasquezii ad S. Thom. *III, q. 80, a. 5, disp. 208, n. 14.* „Alius casus, inquit, distinctus a nota infamiae assignari solet, nempe, ratione vitandi scandali. Et sane Scotus et S. Thomas et alii mentionem fecerunt scandali. Ego tamen inspecta bene doctrina de scandalo, quam *2, 2, q. 43, a. 8,* ex mente D. Thomae fuse explicabo, non video quo pacto Sacerdos aut laicus possint aut debeant communicare non praemissa confessione (idem affirmat de jejunio et ad hunc locum remittit, *disp. 211, n. 49*), ratione vitandi scandali, nisi per scandalum intelligas, quod vulgo intelligi solet, nempe, *notam aliquam infamiae, quam quis coram populo incurrit,* quod crimen suum detegat...“ Aliunde omissio Missae, propter defectum jejunii requisiti, nata est augere reverentiam erga Augustissimum Eucharistiae Sacramentum.

3° Nec denique, regulariter et per se loquendo, timendum erit scandalum, pro infamia et damno sumptum, ut *tit. VIII, 5:* nam, quae infamia oriri possit ex jejunio inadvertenter fracto? et quod damnum inde evenire possit Religioni aut Sacerdoti? Itaque istiusmodi scandalum timendum solummodo erit per accidens, puta si Sacerdos non esset bonae famae, ita ut in suspicionem venire posset se

1) „Nemo enim esse potest, inquit Bened. XIV, *sect. 2, n. 97,* qui scandalum patiatur, gnarus Sacerdotem (in Natali Domini) ideo reliquas duas Missas non celebrare, quod imprudens in prima Missa jejunium fregerit, ut bene monet Pontas...“ Vide tamen Cav. *t. 5, c. 7, n. 13.*

id excogitasse, tanquam subterfugium vel ad vexandum populum, vel ad occultandam propriam turpitudinem. Cf. Gousset *tom. II, n. 197 sqq.*

Aliunde advertendum est, scandalum etiam oriri posse ex celebratione, post fractum jejunium, si nempe postea id evulgetur. Unde qui nostrae expositioni non suffragantur, casum tamen communiter excipiunt quo notum sit Sacerdotem fregisse jejunium. Cf. Romsée *tom. 1, p. 2, a. 1.*

Rub. 2. Si autem ante mediam noctem cibum aut potum sumpserit, etiamsi postmodum non dormierit, nec sit digestus, non peccat: sed ob perturbationem mentis, ex qua devotio tollitur, consulitur aliquando abstinendum.

Rub. 3. Si reliquiae cibi remanentes in ore transglutiantur, non impediunt Communionem, cum non transglutiantur per modum cibi, sed per modum salivae. Idem dicendum, si lavando os, deglutiatur stilla aquae praeter intentionem.

Transglutiantur. Ex textu non potest certo definiri an agatur de sola reliquiarum trajectione quae fit casu, an vero etiam de ea quae fit ex industria. Posterius tamen affirmandum videtur, quia textus Rubricae desumptus est ex S. Thoma, *p. 3, q. 80, a. 8, ad 4,* dempta voce *casualiter,* quam S. Doctor apponit ad verbum *transglutiantur.* Apud AA. controvertitur. Cf. Bened. XIV, *sect. 2, n. 99,* et S. Lig. *de Euch. n. 279.* Ante factum consulendum quidem est ut reliquiae non transglutiantur ex proposito; sed post factum non videtur prohibenda communio aut celebratio.

Rub. 4. Si plures Missas in una die celebret, ut in Nativitate Domini, in unaquaque Missa abluat digitos in aliquo vase mundo, et in ultima tantum percipiat purificationem. *(Vid. Rub. ad Vigil. Nat. Domini.)*

Rub. 5. Si praecesserit pollutio nocturna, quae causata fuerit ex praecedenti cogitatione, quae sit peccatum mortale, vel evenerit propter nimiam crapulam, abstinendum est a Communione et Celebratione, nisi aliud Confessario videatur. Si dubium est, an in praecedente cogitatione fuerit peccatum mortale, consulitur abstinendum, extra tamen casum necessitatis. Si autem certum est, non fuisse in illa cogitatione peccatum mortale, vel nullam fuisse cogitationem; sed evenisse ex naturali causa, aut ex diabolica illusione, potest communicare et celebrare; nisi ex illa cor-

poris commotione tanta evenerit perturbatio mentis, ut abstinendum videatur.

TITULUS X.

DE DEFECTIBUS IN MINISTERIO IPSO OCCURRENTIBUS.

Rub. 1. Possunt etiam defectus occurrere in ministerio ipso, si aliquid ex requisitis ad illud desit: ut si celebretur in loco non sacro, vel non deputato ab Episcopo, vel in altari non consecrato, vel tribus mappis non cooperto: si non adsint luminaria cerea: si non sit tempus debitum celebrandi, quod est ab aurora usque ad meridiem communiter *(p. 153 not.):* si Celebrans saltem Matutinum cum Laudibus non dixerit: si omittat aliquid ex vestibus sacerdotalibus: si vestes sacerdotales et mappae non sint ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedictae: si non adsit Clericus, vel alius deserviens in Missa, vel adsit, qui deservire non debet, ut mulier: si non adsit Calix cum Patena conveniens, cujus cuppa debet esse aurea, vel argentea vel stannea (1); non aerea, vel vitrea: si Corporalia non sint munda, quae debent esse ex lino, nec serico in medio ornata, et ab Episcopo, vel ab alio hanc habente potestatem benedicta, ut etiam superius dictum est: si celebret capite cooperto sine dispensatione: si non adsit Missale, licet memoriter sciret Missam, quam intendit dicere.

(1) *Vel stannea.* Hic concedi videtur, quod denegatur *sect. III, tit. I, 1 (p. 230):* ibi enim requiritur ut cuppa sit saltem argentea. Juxta Janssens, *p. 1, 2, tit. 1, n. 12,* in praesenti Rubrica exprimitur regula cum sua exceptione, scilicet: quamvis regulariter cuppa debeat esse argentea, potest tamen esse *stannea,* ob paupertatem, aut tempore belli in pagis. Et re quidem vera, ex Bened. XIV dicendum est regulam esse ut cuppa sit saltem argentea, et stanneam tamen adhiberi posse per exceptionem. Etenim, *sect. 1, n. 23 de Sacrif. Missae,* docet, cum Rub. citata, Calicem debere esse aureum, vel saltem argenteum; et in sua Bulla, ETSI PASTORALIS (Bullar. *tom. I, n. 5*), data 26 Mai. 1742, *de Dogmatibus et Ritibus ab Italo-Graecis tenendis atque servandis, §. VI, n. 20,* hoc decernit: „Unusquisque Sacerdos in aureo, vel argenteo solum, aut saltem stanneo Calice sacrificet." Cf. pt. Fornici, *p. 1, c. 4.*

Rub. 2. Si Sacerdote celebrante, violetur Ecclesia ante

Canonem, dimittatur Missa: si post Canonem, non dimittatur. Si timeatur incursus hostium, vel alluvionis, vel ruina loci, ubi celebratur, ante Consecrationem dimittatur Missa, post Consecrationem vero Sacerdos accelerare poterit sumptionem Sacramenti, omissis omnibus aliis.

Rub. 3. Si Sacerdos ante Consecrationem graviter infirmetur, vel in syncopen inciderit, aut moriatur, praetermittitur Missa: si post Consecrationem Corporis tantum, ante Consecrationem Sanguinis, vel utroque consecrato id accidit, Missa per alium Sacerdotem expleatur, ab eo loco, ubi ille desiit, et in casu necessitatis (1) etiam per non jejunum: Si autem non obierit, sed fuerit infirmus, adeo tamen ut possit communicare, et non adsit alia Hostia (2) consecrata, Sacerdos, qui Missam supplet, dividat Hostiam, et unam partem praebeat infirmo, aliam ipse sumat. Si autem semiprolata forma Corporis obiit Sacerdos, quia non est facta Consecratio, non est necesse, ut Missa per alium suppleatur. Si vero obierit semiprolata forma Sanguinis, tunc alter prosequatur Missam et super eumdem Calicem repetat integram formam ab eo loco, *Simili modo postquam coenatum est*, vel posset super alium Calicem praeparatum integram formam proferre, et Hostiam primi Sacerdotis, et Sanguinem a se consecratum sumere, ac deinde Calicem relictum semiconsecratum.

(1) *In casu necessitatis*, id est, si neque a Sacerdote infirmo (ut supponitur), neque ab alio qui sit jejunus, Missa brevi continuari possit. „Ex Sacerdotibus vero primum illi hoc onus incumbit, qui adest; deinde ei qui abest: primum ei, qui nullo, deinde ei qui aliquo detinetur impedimento, ut fuse disserit Pasqualigus..." Bened. XIV, *sect. 2, n. 110.*

De Sacerdote, peccati mortalis reo, si alius non adsit, vid. Bened. XIV, *sect. 2, n. 110.* Ibi docet Pontifex, hujusmodi Sacerdotem teneri ad confitendum, et, si confessarium habere nequeat, ad eliciendum actum contritionis; sed ab eodem Sacrificium non esse perficiendum, si frustra studuerit conteri. „Itaque, *concludit,* nisi quis alius reperiatur Sacerdos, qui ante meridiem possit Missam perficere, putamus posse Hostiam et Calicem condi in tabernaculo, ut postero die Sacerdos, qui Missam celebret, ea sumat ante ablutionem."

Q. 1. Per quod tempus quaerendus et exspectandus sit alius Sacerdos?

R. Hoc non definitur a Rubrica; sed relinquitur determinandum morali aestimatione. Unde AA. in varias abeunt sententias. Sic S. Lig. *de Euch. n. 355*, tanquam probabile habet „non esse ultra quaerendum quam per unam circiter horam: alias non censetur unum Sacrificium.“ Juxta Bened. XIV, mox cit., quaerendus non est ultra meridiem. Longius intervallum assignatur a Sporer. „Quod si, inquit, eo die nullus possit haberi Sacerdos qui suppleat, Sacramentum in sacrario reponatur, ut altero die ab alio sumatur, secundum omnes.“ *Theol. Sacram. p. 2, c. 6, sect. 4, n. 435.* Supponitur autem Sacramentum non posse sumi a Sacerdote infirmo: secus enim non foret relinquendum altari.

Q. 2. An Sacrificium sit etiam perficiendum ab alio Sacerdote, si, qui illud incoepit, valeat commode sumere S. Hostiam et S. Sanguinem, praetermissis caeremoniis?

R. „Secundum varios, inquit Janssens, *h. t. n. 17*, Missa non foret per alium explenda, sed omnes aliae preces simpliciter essent omittendae.“ At huic sententiae duo obstant, videlicet: 1° Rubrica nec facit, nec supponit hujusmodi distinctionem; et 2° integritas seu perfectio Sacrificii desideratur, si omittantur caeremoniae.

(2) *Alia Hostia* consecrata. Rubrica non distinguit, ac proinde, juxta sensum obvium, intelligenda est de qualibet alia Hostia consecrata, etiam in alia Missa; de Communione percipienda ab infirmo, qua tali, non autem qua Celebrante. Cs. Quarti, *h. l. sect. 1, d. 6.* Contradicit autem Janssens, *h. t. n. 13*, qui propugnat hic designari Hostiam ab ipso infirmo consecratam; et, ea deficiente, dari locum divisioni.

Si Celebrans deficiat Fer. VI in Parasceve, tunc „si ministrans ut Diaconus est Sacerdos et jejunus, ipse assumpta casula, prosequatur Officium, et Missam praesanctificatorum absolvat, alterque non jejunus Sacerdos ei succedat in munere Diaconi: quatenus vero ille sit dumtaxat in Diaconatus ordine constitutus, et nemo alius adsit Sacerdos jejunus, cesset Officium, et sacra Hostia reponatur in tabernaculo, die sequenti post sumptionem Calicis a Celebrante sumenda.“ Dec. gen. 8 Mart. 1825, n. 4459.

Rub. 4. Si quis extra hujusmodi casus necessitatis, integra Sacramenta non sumpserit, gravissime peccat.

Rub. 5. Si musca vel aranea vel aliquid (1) ceciderit in Calicem ante Consecrationem, projiciat vinum in locum decentem, et aliud ponat in Calice (*abluto* ait Janss.), misceat parum aquae, offerat ut supra, et prosequatur Missam: si post Consecrationem ceciderit musca, aut aliquid hujusmodi, et fiat nausea Sacerdoti, extrahat eam, et lavet cum vino; finita Missa comburat, et combustio ac lotio hujusmodi in sacrarium projiciatur. Si autem non fuerit ei nausea (2) nec ullum periculum timeat, sumat cum Sanguine.

(1) *Vel aliquid aliud.* Haec statuuntur in reverentiam augustissimi Sacramenti. Occurrere autem potest casus quo idem vinum servari possit in Calice, et consecrari absque indecentia; sic v. g. nihil obstat quin consecretur vinum ex quo extractum fuit, mediante cochleari aut purificatorio, quoddam fragmentum cooperculi lagenae.

(2) *Si non fuerit nausea... sumat cum Sanguine.* Rubrica non supponit nauseam fieri ex sumptione S. Sanguinis ex quo aranea aut aliquid aliud extractum fuit. Si tamen, hoc accidat, idem videtur resolvendum propter eamdem rationem, id est, periculum vomitus; et consequenter, in casu, Calix foret relinquendus alteri qui istiusmodi periculum non pertimesceret; vel agendum esset ut traditur *Rub. sq.* Cs. Janss. *n. 4.*

Rub. 6. Si aliquid venenosum ceciderit in Calicem, vel quod provocaret vomitum, vinum consecratum reponendum est in alio Calice, et aliud vinum cum aqua apponendum (1) denuo consecrandum: et finita Missa, Sanguis repositus in panno lineo vel stuppa tamdiu (2) servetur, donec species vini fuerint desiccatae, et tunc stuppa comburatur, et combustio in sacrarium [1] projiciatur.

(1) *Apponendum* in eumdem Calicem, bene purificatum. Attamen juxta Janssens, vinum consecratum „etiam relinqui potest in eodem Calice, dum alius Calix ad manum haberi potest, ut celebrans tanto sit securior de ablato totaliter veneno, aut periculo vomitus.“ Hoc autem non

1) „*Sacrarium,* de quo saepius in Rubricis fit mentio, est piscina sacra, seu locus in quo aquae lotionis rerum sacrarum, aliaque fundenda sunt, ideoque in omnibus Ecclesiis habendum; in quibus vero necdum habetur, necessario constituendum esset, quia vix aliqua Ecclesia illo carere potest.“ Vinitor, *p. 3, h. t. §. 7.*

videtur plane consonare verbis Rubricae. Circa decretum 16 Sept. 1815, n. 4365, quod hic allegat Deherdt et refert *p. 2, n. 31 fin.*, advertendum est illud fuisse datum de casu diverso, ubi nullum habetur periculum vomitus. Hic non ordinatur, sicuti *tit. III, 5,* ut alia consecretur Hostia; datur enim disparitatis ratio, quatenus Sacrificium hic fuit perfectum quoad Consecrationem, et perficiendum tantummodo est, quoad utriusque speciei sumptionem.

(2) *Tamdiu* in tabernaculo *servetur* separatim ut in seq. Rub. ordinatur de S. Hostia veneno infecta. Janss. *n. 14.*

Deherdt *h. l.* notat cum Janssens, *p. 3, tit. 10, §. 3, n. 5,* „plures negare araneam esse mortifere venenosam, ita ut, si Sacerdos inde horrorem aut nauseam non sentiat, araneam cum S. Sanguine tuto sumere possit, absque ulla suae sanitatis jactura."

Rub. 7. Si aliquid venenatum contigerit Hostiam consecratam, tunc alteram consecret, et sumat eo modo, quo dictum est, et illa servetur in tabernaculo loco separato, donec species corrumpantur, et corruptae deinde mittantur in sacrarium.

Quandoque accidit ut in extersione Corporalis, colligatur pulvis tabaci. Circa quod distinguendum est. Si iste pulvis nullum Hostiae fragmentum contigerit, tunc potest extra Corporale projici: si fragmenta contigerit, subdistinguendum: si ab eis certe separari valeat, tunc post Missam in sacrarium projiciatur; si vero ipsis fragmentis sit commixtus, tunc, secluso nauseae periculo, sumendus videtur cum fragmentis Hostiae, ipsi adhaerentibus, et potius cum purificatione Calicis, quam cum S. Sanguine; si vero nausea timeatur, super Corporale relinquatur. At quid, finita Missa, agendum sit de illo pulvere, de illis fragmentis; an in tabernaculo servanda, ad modum Hostiae venenatae? Id aliis definiendum relinquo. Ut autem praecaveatur istiusmodi perplexitas, Sacerdotes abstineant a sumendo tabaco saltem ante celebrationem. Dico *saltem ante celebrationem*, propter illos qui a longo tempore aut ob aliquam necessitatem, eo utuntur. Quod vero attinet ad juniores Sacerdotes, omnesque Levitas, eos omnino adhortor ut continuo ab eodem abstineant; et eorum meditationi commendo verba quae hac de re profert Janssens, *h. t. §. 1, n. 41* [1]. Attamen cf. pt. Ben. XIV, *de Synod. l. 11, c. 13, n. 3.*

1) „Quam possum efficacissime, inquit *l. c.*, moneo, et

Rub. 8. Si sumendo Sanguinem, Particula remanserit in Calice, digito ad labium Calicis eam adducat, et sumat ante purificationem, vel infundat vinum et sumat *(p. 310, 3)*.

Rub. 9. Si Hostia (1) ante Consecrationem inveniatur fracta, nisi populo evidenter appareat, talis Hostia consecretur: si autem scandalum populo esse possit, alia accipiatur, et offeratur: quod si illius Hostiae jam erat facta oblatio, eam post (2) ablutionem sumat. Quod si ante oblationem Hostia appareat confracta, accipiatur altera integra, si citra scandalum aut longam moram (3) fieri poterit.

(1) *Si Hostia* etc. In hac Rubrica, aliquatenus implexa, agitur de casu quo Hostia inveniatur fracta ad altare, et quidem ante consecrationem. Ejusdem sensus sic reddendus videtur: si fracta inveniatur *a) post oblationem*, nec timeatur scandalum, alia non est apponenda; si autem timeatur scandalum, alia est apponenda, et prior sumenda post ablutionem: *b)* si *ante oblationem*, tunc alia accipienda est, modo id fieri possit absque scandalo et longa mora.

De casu quo Hostia inveniatur fracta ante Missam aut post Consecrationem, hic non agitur; quisque enim videt aliam Hostiam esse apponendam in priori casu, non vero in posteriori.

(2) *Eam... sumat.* Juxta Quarti haec Hostia potest etiam ab alio sumi, ut in casu *tit. III, 5*, vel alicubi reverenter servari. Hoc autem non videtur admittendum: non enim solum obstat ipsius Rubricae silentium, sed etiam utriusque casus disparitas, saltem quoad reservationem Hostiae; hic siquidem agitur non de Hostia corrupta, sed de Hostia tantum fracta, quae absque ullo incommodo a Celebrante sumitur.

(3) *Longam moram.* Quod temporis spatium hic veniat, definiendum est morali aestimatione.

exhortor, juniores praesertim Sacerdotes, ut a tabaco sumendo abstineant in Templis, et maxime tempore divini Officii; utque in tam eminentis reverentiam Sacramenti, ac ob amorem tam dulcis et delectabilis parvuli *Jesu*, quem viva fide sub Missae Sacrificio sunt sumpturi, ab omni prorsus ejusdem pulveris sumptione ante inchoatam Missam suam omnino abstineant; praesertim (N. B.) dum ex nulla prorsus necessitate, sed ex mera (ut promiscue contingit) commoditate ac sensualitate, quae ad modicum tempus faciliter differri potest, pulvis iste ante Missam assumitur. Haec dignabuntur Sacerdotes tabaco nasali addicti pro sua devotione attente meditari.“

Rub. 10. Si propter frigus vel negligentiam Hostia consecrata dilabatur in Calicem, propterea nihil est reiterandum, sed Sacerdos Missam prosequatur faciendo caeremonias et signa consueta cum residua parte Hostiae, quae non est madefacta Sanguine, si commode potest. Si vero tota fuerit madefacta, non extrahat eam, sed omnia dicat omittendo signa, et sumat pariter Corpus et Sanguinem, signans se cum Calice, dicens: *Corpus et Sanguis Domini nostri* etc.

Rub. 11. Si in hieme Sanguis congeletur in Calice, involvatur Calix pannis calefactis: si id non proficeret, ponatur in ferventi aqua prope altare, dummodo in Calicem non intret, donec liquefiat.

Rub. 12. Si per negligentiam (1) aliquid de Sanguine Christi ceciderit, si quidem super terram, seu super tabulam, lingua lambatur, et locus ipse radatur quantum satis est, et abrasio comburatur; cinis vero in sacrarium recondatur. Si vero super lapidem altaris ceciderit, sorbeat Sacerdos stillam, et locus bene abluatur, et ablutio in sacrarium projicitur. Si super linteum altaris, et ad aliud linteum stilla pervenerit; si usque ad tertium: linteamina ter abluantur, ubi stilla ceciderit, Calice supposito et aqua ablutionis in sacrarium projiciatur. Quod si in ipso solum Corporali, aut si in vestibus ipsis Sacerdotalibus ceciderit, debet similiter ablui, et ablutio in sacrarium projici. Si in substrato pedibus panno vel tapeto, bene abluatur ut supra.

(1) *Si per negligentiam.* Hic exprimitur causa ordinaria effusionis S. Sanguinis, non vero conditio sine qua adhibenda non sint media, hic tradita: haec enim adhibenda sunt in omni effusione, quacumque ex causa accidat. De poenis, cf. Bened. XIV, *sect. 2, n. 176.*

Rub. 13. At si contingat totum Sanguinem post Consecrationem effundi, si quidem aliquid vel parum remansit, illud sumatur, et de effuso reliquo Sanguine fiat, ut dictum est. Si vero nihil omnino remansit, ponat iterum vinum et aquam, et consecret ab eo loco: *Simili modo postquam coenatum est,* etc. facta prius tamen Calicis oblatione, ut supra.

Rub. 14. Si Sacerdos evomat Eucharistiam, si species integrae appareant, reverenter sumantur (1), nisi nausea fiat: tunc enim species consecratae caute separentur, et in aliquo loco sacro (2) reponantur, donec corrumpantur, et postea in sacrarium projiciantur. Quod si (3) species non

appareant, comburatur vomitus, et cineres in sacrarium mittantur.

(1) *Sumantur* ab eodem, vel, quod vix fieri potest, ab alio qui sit jejunus et dispositus.

(2) *In aliquo loco sacro.* Hic, secus ac *Rub. 7,* non designatur tabernaculum SS. Sacramenti. Et reipsa decens non est, ut vomitus in quo SS. Species non appareant, reponatur in tabernaculo ubi asservatur S. Eucharistia.

(3) *Quod si.* Quidam hic distinguunt: docent vomitum tunc tantummodo esse comburendum, quando SS. Species prudenter reputantur corruptae.

Rub. 15. Si Hostia consecrata, vel aliqua ejus particula dilabatur in terram; reverenter accipiatur, et locus, ubi cecidit, mundetur, et aliquantulum abradatur, et pulvis seu abrasio hujusmodi in sacrarium immittatur. Si ceciderit extra Corporale in mappam, seu alio quovis modo in aliquod linteum, mappa vel linteum hujusmodi diligenter lavetur, et lotio ipsa in sacrarium effundatur.

1. *In aliquod linteum.* Non fit mentio de barba aut veste: haec enim non lavantur ad evitandam populi perturbationem. Cf. S. Lig. *n.* *250,* et Lacroix *lib.* *6, p. 1, n. 484.*

Si in distribuenda Communione, Hostia aut ejus fragmentum dilabatur in terram, vel in mappam, locus notandus est, et congruit ut linteo cooperiatur donec finita fuerit Communio; deinde serventur tradita in Rubrica. „Contingit aliquando, inquit Ben. XIV, *sect. 2, n. 176,* ut Sacra Particula, vel ejus fragmentum, in feminae pectus dilabatur: quo casu decet, ut non Sacerdos, sed ipsa femina Particulam, vel fragmentum quaerat, et suis ipsa manibus sibi in os injiciat. Ita docet Quarti...“ Cf. S. Lig. *l. c.,* et Deherdt *h. t. n. 25.*

Rub. 16. Possunt etiam defectus in ministerio ipso occurrere, si Sacerdos ignoret ritus et caeremonias ipsas in eo servandas, de quibus omnibus in superioribus Rubricis copiose dictum est.

Hic subjiciendi videntur sequentes defectus, contra quos vehementer insurgit S. Alphonsus de Ligorio, in suo Libro *de caeremoniis Missae, cap. 18, n. 2, 3, 4 et 5.*

2. „Est maximus defectus, ad Missam celebrandam cum parva vel nulla praeparatione ire; pejus autem esset, si quis inter vestiendum ineptias diceret. Exclamat S. Joannes Chrysostomus (de Sacerd. *l. 4, c. 3, n. 3*): *Ad divina*

Christi mysteria negligenter accedens supplicium intolerabile meretur. Propterea dicit S. Bonaventura: *cave, ne nimis tepidus et inordinatus et inconsideratus accedas, quia indigne sumis, si non accedis reverenter.*"

3. „Est defectus vituperio dignus, vel ut melius dicam, horrendum sacrilegium, nimis festinanter Missam celebrare, quo fit, ut mutilentur verba, et caeremoniae transponantur, et vel ante, vel post tempus a Rubrica praescriptum peragantur cum detrimento devotionis et aedificationis fidelium. De his dici potest, *quod non timent Dominum, neque custodiunt Caeremonias ejus. (IV Reg. XVII, 34.)*"

4. „Est etiam magnus defectus, post Missam debitam gratiarum actionem omittere: et in hoc non pauci Judam imitantur, qui, *cum accepisset bucceilam, exivit continuo. (Joan. XIII, 30.)*"

5. „Est peccatum grave, cum paramentis laceris, cum purificatorio et Corporali immundis celebrare. Sic Theologi communiter."

SECTIO VI.

PROPRIUM DE TEMPORE; PROPRIUM ET COMMUNE SANCTORUM.

In Proprio tam de Tempore, quam de Sanctis, duo sunt praestanda: tradendae exponendaeque veniunt Rubricae speciales, et praeterea quaedam dandae sunt notiones de Festis sacrisque Solemnitatibus et de Mysteriis, quae in his coluntur. De hujusmodi notionibus fere satis dictum est *p. II, sect. IV et V,* et ideo materia quae ibi in tre sdividitur sectiones, hic ad unicam reducitur. Quod autem ad speciales Rubricas attinet, non raro satis erit indicare titulos sectionis 2 et 3, ubi traduntur. Tres erunt articuli.

ARTICULUS I.

PROPRIUM DE TEMPORE.

De Adventu, etc.

In Missis de Adventu, adhibetur color violaceus (*p. 180*); omittitur Hymnus Angelicus, et, extra Dominicas, *Alleluia* (*pag. 134*); in Feriis dicitur Missa Dominicae praecedentis, ut *pag. 151,* nisi propria assignetur, v. g. in IV Temporibus; Orationes, ut *sect. II, tit. VII* et *IX,* et *Rub. pecul.* quae sic sonat: „Infra Hebdomadas Adventus, quando dicitur Missa

de Festo semiduplici, 2a Oratio erit de Adventu, 3a de S. Maria... Si autem dicatur Missa de Festo duplici, post Orationem Festi, dicitur Oratio tantum de Adventu." Haec commemoratio Feriae fit in quolibet Duplici, (*p. 108*), et in Votiva solemni (*p. 125*).

Sabbato IV Temporum plures dicuntur Lectiones cum Orationibus, ut *pag. 124* et *132*. Eodem Sabbato habetur Ordinatio, olim celebrior, de qua quaedam notantur *tom. I, p. 379*. De jejunio IV Temporum, vid. Ben. XIV, *Inst. 4*; quod vero ad Ordinationem spectat, hic proponuntur et solvuntur sequentes quaestiones.

Q. 1. Quae Missa dicenda sit pro Ordinibus conferendis?

R. 1° „In Ordinum collatione, diebus a jure statutis, dicatur semper Missa de Feria occurrente." Dec. 21 Mart. 1744, n. 4004, 2. Plura decreta, de hac aliisque quaestionibus ad Ordinationem spectantibus, reperies apud Janssens *Append. fin. Inst. pro Ordinandis*, *§ 1*, necnon in Collectione Decretorum a Falise edita. Porro Missa dicitur de Feria prout jacet, absque commemoratione Festi duplicis aut semid. occurrentis. Dec. 26 Jan. 1658, n. 1715. Et Orationi Missae additur sub eadem conclusione Collecta pro Ordinatis. Quod vero attinet ad commemorationem Simplicis, distinguendum videtur, an Officium recitatum fuerit de Festo, an de Sabbato. Si primum, omittenda est, tum quia non convenit ut fiat commemoratio Simplicis, neglecta commemoratione Semid. et Dup., tum quia commemorationi Simplicis satisfit per Missam conventualem, sicuti Officio currenti. Si autem Officium currens recitetur de Sabbato, tunc in Missa Feriae, cum sit secundum ordinem Officii, agenda est commemoratio Simplicis (*p. 106*).

2° Quando Ordines conferuntur extra tempora, tunc Missa celebratur de Dominica aut de Festo occurrente, cum Collecta pro Ordinatis, ut supra.

Q. 2. Quomodo legere debeant Neo-Presbyteri, concelebrantes cum Pontifice?

R. 1° Neque clamorose, ne Pontificem et socios perturbent, neque festinantius, ne Pontifici praecurrant; sed submissa voce simul cum Pontifice.

2° Equidem juxta Janss. *app. cit. §. 7, n. 1,* legere debent secreta voce, „ita distincte, ut et seipsos perfecte audiant et a consociis concelebrantibus non audiantur." Et

suam sententiam praefatus Autor probare conatur tum ex voce *secum* quae habetur in Pontificali, tum ex verbis Bened. XIV, *sect. 1, n. 383,* „dicunt totum *submissa* voce." Sed *a)* vox *secum* nequaquam ad Ordinatos, bene vero ad Pontificem refertur, uti clare eruitur ex contextu, et manifestum fit ex loco parallelo, *initio Pontificalis*, ubi loco *secum* habetur *cum eo*; et *b)* vox *submissa* non sonat *secreta,* sed *media,* aut saltem, *secreta vel media (p. 199).*

Q. 3. Qualis debeat esse intentio Neo-Presbyterorum?

R. cum Pasqualigo et Ben. XIV, *sect. 2, n. 142.* „Quam possunt diligentissime proferant Consecrationis verba cum Episcopo, expressam intentionem habentes consecrandi eamdem Hostiam, eumdemque Calicem simul cum Episcopo." Qua intentione posita „fit, ut etiamsi Sacerdotes vel paulo ante, vel paulo post Episcopum formam expleverint, ea tamen censenda sit tamquam prolata moraliter una cum Episcopo, ac unam eamdemque constituat Consecrationem." *Ibid.*

Q. 4. Ad quid obligentur Ordinati *a)* ad Subdiaconatum et Diaconatum, aut *b)* ad Presbyteratum?

R. Ad 1. Diaconi et Subdiaconi recitare debent Nocturnum diei seu Feriae, per Pontificem assignatae. Pontifici autem non videtur permissum ut assignet aliquem e Nocturnis Dominicae aut Festi in quo fit Ordinatio. Nam Pontificale, referendo verba quibus Pontifex debet alloqui Ordinatos, nominat *Nocturnum* modo definito, et unum tantummodo relinquit definiendum, scilicet: ex qua die sumendus sit Nocturnus: „dicite, ait, Nocturnum *talis* diei." Unde si, Sabbato in quo recitatur Officium IX Lectionum, Pontifex, Ordinatos alloquendo, his utatur verbis, *dicite Nocturnum hujus diei,* sumendus non est Nocturnus Festi, sed Feriae seu Sabbati. Imo Romsée, *tom. 3, art. 18 fin.*, idem resolvit de Sabbato ante Dominicam SS. Trinitatis. — Per Nocturnum autem Feriae veniunt non solum 12 Psalmi cum Antiphonis, sed etiam Lectiones; hae nimirum per Rubricas habentur ut partes integrantes Nocturnorum: nuncupantur siquidem Lectiones *primi, secundi* aut *tertii* Nocturni, ut recte advertit Romsée, *l. c.* Sed, juxta eumdem, „substantiam Nocturni non ingrediuntur Oratio Dominica, Salutatio Angelica, Symbolum, Psalmus *Venite,* nec Hymnus."

„Sed quid, ait Romsée, si Ordinatio fiat in die Dominico? Episcopi est assignare Nocturnum Feriae sequentis

seu alterius. Quod si ex errore dicat Nocturnum hujus diei, videtur primum Dominicae esse recitandum, utpote magis ad feriale accedens."

R. Ad. 2. 1° Certo tenentur, diebus permissis, tres celebrare Missas, quales indicuntur, scilicet unam de Spiritu S., alteram de B. Virgine et tertiam pro Defunctis, seu *de Requiem*. Haec tamen obligatio non ita urget ut necessario eligendi sint dies liberi primo occurrentes: nam „celebratio earumdem Missarum, inquit Cavalieri *tom. 3, c. 12, n. 20*, ulterius adhuc differri poterit, si rationabilis causa subsit; civili namque modo, et honesto idem praeceptum debet accipi." Juxta Romsée *l. c.* „si quis velit statim hanc obligationem delere, potest Missas de Duplici legere, applicando fructum earum ad intentionem Episcopi." Hoc agendum non esse puto, nisi diutius forte exspectandi sint dies liberi (*p. 55*). Notandum est per Missam Officio conformem in aliquo Festo B. M. V. non minus satisfieri quam per Missam votivam de eadem, die libera.

2° Quod attinet ad applicationem harum Missarum, dissentiunt AA. An cum fundamento, Lector judicabit ex dicendis. 1. Juxta S. Lig. *lib. 6, n. 829*, ex verbis, quae ab Episcopo proferuntur, „recte infert P. Mazzotta *de Sacrif. Miss. cap. 4, §. 3*, non esse obligationem applicandi praedictas Missas juxta intentionem Episcopi, dum ibi praescribitur tantum, ut initiati pro eo orent; ideoque ipsi bene possunt Missas pro aliis applicare etiam cum stipendio." Pariter Cavalieri *l. c.* arbitratur non applicationem Sacrificii, sed solam Missae qualitatem in praecepto constitui. 2. At, juxta Romsée *l. c.*, „Presbyteri, celebrata pro se prima Missa (hoc enim suadet maxima congruitas), tres alias ad intentionem Episcopi celebrare tenentur, non quidem immediate post primam, sed diebus opportunis, in quibus liceat legere Missas votivas." Cui sententiae omnino subscribendum existimo: eruitur enim ex sensu obvio textus, ex contextu, et confirmatur ex absurdo. *a) Ex sensu obvio textus.* Per ipsum textum Pontificalis, ipsa Missarum applicatio non minus expresse praecipitur quam earumdem qualitas: primo enim Pontifex postulat ut Neo-Presbyteri *post primam Missam, tres alias Missas* dicant, et deinde explicat earum qualitatem, imo applicationem seu finem; *videlicet,* ait, *unam de Spiritu Sancto, aliam de B. Maria semper Virgine, tertiam pro fidelibus Defunctis, et omni-*

potentem Deum etiam pro me orate. Ex his Pontificalis verbis patet non posse asseri cum P. Mazzota, supra, praescribi *tantum* ut initiati pro Episcopo orent. — Dictum est ipsam *applicationem seu finem* illarum Missarum designari per Pontificem, quia Particula, *de*, hic etiam significat: *in honorem*, quasi diceretur *unam in honorem Spiritus S.* etc. — *b) Ex contextu.* Praefatae Missae eodem indicuntur tenore ac septem Psalmi et Nocturnus diei, ac proinde eodem modo obligant ac Psalmi et Nocturnus, nisi quid obstet. Jam vero non solum nihil obstat, sed fortior urget ratio pro Missis: a Presbyteris nempe, qui majori beneficio donati sunt, et auxilio divino non minus, ac Subdiaconi et Diaconi, indigent, majus opus expostulari convenit; quale, procul dubio, non est *sola* Missarum qualitas, jam propter stipendium debita. — *c) Ex absurdo.* In priori sententia, Pontificalis verba fere, ne dicam omnino, sunt sensu vacua: cum enim qualitas Missae, ex stipendio debitae, pendeat a rationabili voluntate petentis et non Celebrantis (*p. 56*), Pontifex ad aliud non obligaret, nisi ut Neo-Presbyter sibi provideret de Missis dicendis de Spiritu S., de B. V. et *de Requiem.*

Si objiciatur auctoritas Theologorum qui oppositam sententiam docuerunt, respondemus non esse argumentandum ab extrinseco, quando habentur rationes probantes intrinsecae, puta textus clarus.

Q. 5. Admissa obligatione applicandi praefatas Missas ad intentionem Episcopi, seu potius Ecclesiae, quaeri potest quaenam sit illa intentio?

R. 1° Certo non debet applicari Episcopo Ordinanti. 2° Putamus Ecclesiae voluntatem esse ut Ordinati per hujusmodi Missas colant Spiritum S. Beatamque Virginem, eis gratias agant pro beneficiis acceptis, novaque auxilia Ecclesiae, sibique et Pontifici implorent, ac tandem opus misericordiae ac pietatis exerceant erga Ecclesiam patientem, erga animas in carcere Purgatorii detentas; et hoc conformiter verbis Pontificalis: *de Spiritu S.*, *de Beata*, *pro Defunctis.* De monitione facienda ante Ordinationem unius, de benedictione Subdiaconi, et Diaconi, et osculo Missalis, in Missa privata Ordinationis, cf. dec. 25 Sept. 1852, *Venetiarum, n. 5044, 4 et 5.*

De Natali Domini, etc.

De celebritate hujus Festi, dicitur *tom. I, p. 380;* de privilegio et ratione mystica trium Missarum, de prohibitione celebrandi Missas privatas, ministrandique S. Synaxim in nocte Natalis, actum est supra, *pag. 160 sqq.* Superest hic exponenda sequens Rubrica, quae ponitur post Missam Vigiliae Natalis.

Rub. Sacerdos, quoniam in Die Natalis Domini celebrat tres Missas, in prima et secunda Missa non sumat purificationem (1), sed in tertia Missa tantum; et in prima et secunda, abluat digitos in aliquo vase (2) mundo. *(Eadem Rubrica traditur, sect. praec. tit. X, 4.)*

(1) *Non sumat purificationem.* De ablutione, et de usu Duplicis Calicis in casu quo Sacerdos duas celebrat Missas in diversis Ecclesiis, vid. dec. 11 Mart. 1858. *Plurium Dioecesium, ad calcem Direct. Torn. an. 1859.*

(2) *In aliquo vase.* Horum verborum proprius sensus hic esse videtur: *digitos* abluit *in aliquo vase* positos. Si enim abluendi forent *super Calicem* juxta solitum, Rubrica hoc expressisset, sicuti *sect. 3, tit. X, 5 (p. 308),* et *App. 2 (p. 371* 1°). Equidem Gardellini, *ad Inst. Clem. §. 30, n. 29,* discrimen nullum ponit inter hanc dictionem, *in aliquo vase seu Calice,* et alteram *super Calicem (p. 376, 5°)*; quinimo Merati, *p. 4, tit. 3, n. 7,* praesentem Rubricam exponit de ablutione accipienda super vase, more solito. „Ministrante, ait, Diacono vel Subdiacono ampullas, et infundente vinum, prout suo loco diximus, postea aquam, abluit digitos.... in vase vitreo, vel argenteo." His tamen non obstantibus, tenenda videtur ea, quae supra datur, expositio, utpote magis obvia et securior, respectu ad jejunium servandum in 1ª et 2ª Missa. Juxta praefatam expositionem, Minister non infundit vinum cum aqua super digitos Celebrantis, sed hic digitos ipse abluit in vase, quod continet vinum cum aqua. Hac ratione opus non est ut Minister ad altare accedat pro ablutione, praeterquam in ultima Missa; sicque tuto removetur periculum frangendi jejunium ablutione in 1ª et 2ª Missa. Eamdem praxim tradere videtur Janssens, *p. 3, tit. 9, n. 17.* „*In unaquaque,* seu in prima et secunda *Missa, abluat* vino *digitos,* quibus SS. Sacramentum tetigit, *in aliquo vase mundo,*

ad hoc in altari prope Corporale versus cornu Epistolae posito, interim dicens: *Corpus tuum* etc.“

Hic duo monita dari solent, nempe 1° ut Calix non extergatur nisi in ultima Missa, ablutione sumpta, et 2° ut idem Calix extra Corporale non ponatur quamdiu non fuit purificatum. Attamen propter guttulas Sanguinis, in Calice relictas, non debet genuflecti in transitu ante medium altaris, et Missa est perficienda, juxta solitum, abstractione facta ab hujusmodi reliquiis: Rubricae enim nihil peculiare ordinant quoad hunc casum. Cs. dec. 20 Jul. 1686, n. 2971, 9, et 2 Aug. 1698, n. 3337.

Praxis. Ex dictis sequens deducitur praxis pro prima et secunda Missa. S. Sanguine diligenter sumpto, Celebrans aliquantulum vacat meditationi *(p. 310)*, deinde, anteriori parte Corporalis plicata, Calici, super eam posito, imponit Patenam cum Hostia, illumque palla cooperit, dicens, *Quod ore sumpsimus* etc., digitos in aliquo vase abluit vino et aqua, abstergitque, dicens, *Corpus tuum* etc. ac demum Calicem de more cooperit velo, Missamque prosequitur, juxta ritus *sect. 3, tit. XI et XII.* Secunda et tertia Missa celebrantur more solito, si excipias tractationem Calicis, ut supra. Unde „debet Sacerdos etiam ante sequentes Missas (2am et 3am) Confessionem dicere, et in fine cujuslibet populo benedicere, et Evangelium S. Joannis, *In principio erat Verbum*, legere.“ *Rub. post 1am Missam.* Praefatio et *Communicantes* propria *(p. 390)*; in 2a Missa Commemoratio S. Anastasiae *(p. 107)*; in 3a, ultim. Evang. *Cum natus esset Jesus (p. 149).*

III. *De Epiphania,* et Dominicis subsequentibus, vide dicta, *tom. I, p. 384, sqq.* Hic duo sunt notanda. 1. Solemnitas hujus Festi transfertur ad Dominicam sequentem, ut dicitur *p. 103 sqq.* 2. Officium, et proinde Missa Dominicae infra Octavam Epiphaniae, quando occurrit die Octava, anticipatur in Sabbato praecedenti.

IV. De Dominicis *Septuagesimae, Sexagesimae* etc., agitur *tom. I, p. 388 sqq.* De dalmatica et tunicella, de omittendo *Gloria in excelsis* et *Alleluia;* de Orationibus, de Tractu, vide supra *sect. 2.* „Si Dominica Septuagesimae venerit ante Festum Purificationis, vel ipsa die Purificationis, Secreta de S. Maria erit, *Tua Domine*, ut in ejusdem Missa votiva.“ *Rub. pecul.* Cf. *p. 113, 3.* Occasione stationis, mentio S. Pauli fit in Collecta Dominicae Sexa-

gesimae, et SS. Cosmae et Damiani in Collecta Feriae V post Dominicam 3 Quadrag.; nihilominus, ubi sunt Patroni, nominandi sunt in Oratione *A cunctis,* scilicet, S. Paulus post S. Petrum et SS. Cosmas et Damianus ad lit. N. Cs. Gav. *p. 4, tit. 5, n. 15.* Et ratio est quia dicta mentio fit titulo peculiari stationis, et non tanquam correspondens Officio, id est suffragio de S. Patrono *(p. 105).*

Feria IV Cinerum, etc.

Origo hujus Caeremoniae a Merati, *p. 4, tit. 4, n. 2,* repetitur a poenitentia publica; ubi scilicet desiit poenitentia publica, ad quam pertinebat aspersio cinerum, retenta est impositio cinerum, ut fideles hoc ritu reminiscantur suae originis et mortis, atque ad poenitentiam incitentur.

Rub. Ante Missam benedicuntur cineres ([1]) facti de ramis olivarum, sive aliarum arborum, praecedenti anno benedictis, hoc modo.

Finita Nona, Sacerdos ([2]) indutus pluviali violaceo vel *(p. 181* et *186)* sine casula, cum Ministris similiter ([3]) indutis, procedit ([4]) ad benedicendum cineres in vase aliquo super altari ([5]) positos. Et primo cantatur a Choro sequens Antiphona, *Exaudi nos,* etc.

Deinde ([6]) Sacerdos in cornu Epistolae, non vertens se ad populum, manibus junctis (quod servatur etiam in orationibus omnium benedictionum quoad manus junctas), dicit *Dominus vobiscum,* etc.

Postea Celebrans, imposito incenso in thuribulo, ter aspergit cineres aqua benedicta, dicendo Antiphonam *Asperges,* sine cantu et sine Psalmo, et ter adolet incenso. Deinde dignior Sacerdos ex Clero accedens ad altare, imponit cinerem Celebranti ([7]) non genuflexo. Si vero non adsit alius Sacerdos, ipsemet Celebrans, genibus flexis coram altari, sibi ipsi cineres imponit in capite ([8]) nihil dicens: et cantatur statim a Choro Antiphona *Immutemur* etc.

Sacerdos vero, dum cantatur Antiphona et Responsorium, detecto capite, primo imponit ([9]) cineres digniori Sacerdoti, a quo ipse accepit, deinde Ministris paratis, genibus flexis coram altari, dicens: *Memento homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.* Postea veniunt alii, primo Clerus per ordinem, deinde populus, et genibus flexis ante altare singulatim recipiunt cineres a Sacerdote, ut dictum

est de Ministris. Completa cinerum impositione, Sacerdos dicit *Dominus vobiscum* etc.

(1) *Cineres.* Hoc nomine non venit lutum; ac proinde debent esse aridi. Cs. dec. 23 Mai. 1603, n. 51, 6, et Mem. rit.

(2) *Sacerdos,* Missam celebraturus (dec. 1 Sept. 1838, n. 4692), *indutus pluviali violaceo* vel *sine casula,* id est, in albis si pluviale non habeatur... *procedit* etc.

(3) *Similiter,* nempe, ipsis *etiam* indutis propriis paramentis, id est, habitu diaconali et subdiaconali, pro Ecclesiarum qualitate *(p. 194)*, excepto manipulo (cf. Caer. Ep. *l. 2, c. 17, n. 1,* et *c. 18, n. 5*); vel etiam in albis, si ipse Celebrans non utatur pluviali.

(4) *Procedit,* medius inter Diaconum et Subdiaconum, hinc inde sublevantes fimbrias anteriores pluvialis. Qui modus semper servatur, quando Celebrans, pluviali indutus, incedit cum Diacono et Subdiacono. Cf. Caer. Ep. *l. 1, c. 8, n. 2, c. 15, n. 14, l. 2, c. 30, n. 1, c. 31, n. 32.*

(5) *Super altari,* inter Missale et cornu Epistolae, paratos. *Mem. rit.*

(6) *Deinde Sacerdos* ascendit ad altare, medius inter Diaconum et Subdiaconum, illudque osculatur (Mem. rit.), et statim accedit ad cornu Epistolae, ibique stans inter utrumque Ministrum, quia pluviale habet, legit Ant. *Exaudi.*

(7) *Celebranti.* Interim stat in medio altaris, inter Ministros, conversus ad populum, capite inclinato, manibus junctis. Sacerdos vero dignior, dum cineres imponit capiti Celebrantis, format signum Crucis, dicendo: *Memento homo* etc. Mer. cum. Gav.

(8) *In capite.* Cineres imponuntur capiti, non vero fronti, aut super velum mulierum; sufficit tamen si imponantur aliquatenus supra frontem. Cf. Mer. *n. 18.* In his locis, inquit Deherdt, usus invaluit ut Clericis imponantur intra tonsuram, et laicis utriusque sexus in fronte.

(9) *Imponit* in capite, Crucem formando et dicendo, etiam feminis: *Memento homo*, etc. „Praelati, et Canonici parati, capiunt cineres inclinati: reliqui vero, tam Clerici quam laici, genuflexi; et omnes sine osculo manus, cum commode osculum exhiberi nequeat in hoc actu.“ Caer. Ep. *l. 2, c. 18, n. 14.* Cf. Mer. *h. l. n. 17.*

Infra distributionem, Ministri a lateribus Celebrantis elevant fimbrias anteriores pluvialis, et Diaconus altera manu tenet vas cum cineribus. In distributione quae fit

ad altare, Diaconus stat a sinistris; sed ad cancellos se sistit a dextris Celebrantis, manu dextra tenens vas, sinistra pluviale.

Hucusque de benedictione et distributione quae fit cum Ministris sacris, de qua agit Missale. Quomodo autem peragenda sit in minoribus Ecclesiis, ubi desiderantur Ministri sacri, tradit *Memoriale Rituum* ... jussu Bened. XIII editum. De distributione in Missa privata, cf. dec. 16 Mart. 1833, n. 4558, 5. Praefatum Memoriale agit etiam de benedictione candelarum, 2ª Februarii, necnon de functionibus Hebdomadae Sanctae. Cum vero hujusmodi Ritus ibi minutim describantur, nec commentario indigeant, ideo hic tantummodo exponuntur Rubricae Missalis, lectorque remittitur ad praedictum Memoriale.

Q. Quibus in Ecclesiis vel Oratoriis publicis benedici et distribui possint Cineres, Candelae, et Palmae?

R. De jure communi, in omnibus Ecclesiis Oratoriisque publicis, in quibus cantatur Missa. Nam praefatae functiones non sunt mere parochiales (dec. gen. 10 Dec. 1703, n. 3521, 5), sed pertinent ad Officium diei, nullaque limitatio ponitur in Missali. Cf. Bened. XIV, *Inst. 105, n. 93.* Dec. gen. cit. idem resolvit *(ad 7)* de omnibus functionibus Hebdomadae Sanctae. Cf. pt. varia decreta, hac de re relata apud Deherdt *p. 5, n. 7.* Imo in Parochiis, etiam minoribus, functiones sacrae peragendae sunt, Feriis V et VI, ac sabbato Hebdomadae S., si haberi possint tres, quatuorve Clerici, servatis caeremoniis Memorialis Rit. Ben. XIII. Dec. 28 Jul. 1821.

Q. 2. Quid agendum in Ecclesiis, ubi, Feria IV Cinerum, die 2ª Februarii, aut Dominica Palmarum, publice exponitur SS. Sacramentum.

R. 1° Benedictio Cinerum etc. fieri nequit ad altare expositionis, neque agenda est processio, Venerabili manente exposito. Unde 2°, si expositio non sit continua, SS. Sacramentum reponitur in tabernaculo et omnes caeremoniae benedictionis et Processionis fiunt, juxta solitum. 3° Si vero expositio non possit interrumpi, quia v. g. fit pro Oratione XL Hor. ad normam Inst. Clem., tunc subdistinguendum est an benedictio omitti possit necne absque incommodo. Si primum, v. g. quia ex vicina Ecclesia haberi possunt cineres aut rami benedicti, tunc omittitur. Sed si non deceat ut omittatur, tunc „componenda ita res

est, ut sacra haec actio populum non turbet, nimisque distrahat ab Oratione: quamobrem consulendum, ut caeremoniis ab Ecclesia praescriptis fiat hujusmodi benedictio in aliqua ex lateralibus aris, quo magis potest, ab altari Expositionis distante: expediret etiam ut fieret sine cantu. Verumtamen, vel cum, vel sine cantu fiat, omittenda omnino est Processio. Quod si Ecclesia sit nimis angusta, expedit potius, ut benedictio Palmarum omittatur, quia, si fieret, vix posset absque periculo scandali, et irreverentiae.“ Gardellini ad dec. gen. 17 Sept. 1822, n. 4440, 10. Tandem advertit Gardellini praefatum decretum esse etiam applicandum ad Feriam IV Cinerum et ad Festum Purificationis.

In Missa Fer. IV, Cinerum, ad Vers. *Adjuva nos,* genuflectitur, ut *p. 169 sqq.* Juxta Baldeschi, Celebrans in Missa solemni non genuflectit dum legit praedictum Vers.; sed haec exceptio non videtur posse conciliari cum *Rub. 3, p. 170.* Oratio *super populum* dicitur, ut *p. 329.* In Missis de Tempore usque ad Dominicam de Passione, 2ª Or. *A cunctis,* 3ª pro Vivis et Defunctis; in Festis semid. 2ª Feriae, 3ª *A cunctis (p. 122).* Quae Orationes sint dicendae in Missa quae tenet locum Votivae solemnis, occasione XL Horarum, dicitur *p. 127.*

Quandoque Secreta Feriae V post Cineres et Postcommunio Feriae III post Dom. I Quadrag. mutandae sunt propter occursum Festi SS. XL Martyrum, die 10 Mart. Rubricae, quae de hujusmodi mutatione reperiuntur ad praefatum Festum, in Missalibus recens editis, notantur *tom. I, p. 422.*

De velandis Crucibus et Iconibus, dicitur *tom. I, p. 390.*

Dominica de Passione, et Feriis sqq.

Ab hac Dominica usque ad Sabbatum S. exclusive, in Missis de Tempore omittitur *Ps. Judica me (p. 237),* et *Gloria Patri* ad Introitum et ad *Lavabo (p. 237 et 271)*; item omittitur *Gloria Patri* ad *Asperges me;* non dicitur 3ª Oratio: quod tamen intelligendum est de exclusione Orationum communium, quia Collecta imperata non est omittenda *(p. 130)*, et *a fortiori* extra Dom. Palmarum *(p. 106)* agendae sunt speciales Commemorationes. Cf. *p. 209, Rub. 16 et dec. ibid. cit.*

Fer. VI, celebratur Festum VII Dolorum B. M. V. In

Graduali hujus Missae legendum est: *Hoc Crucis fert supplicium Autor vitae factus homo.* Dec. S. R. C. 12 Sept. 1857.

Dominica in Palmis.

Hic agitur de Benedictione Palmarum [1] et de Missa. Cf. *tom. I, p. 302.* Haec benedictio, spectato jure communi, peragi potest in omnibus Oratoriis publicis *(p. 432)*, modo tamen serventur ritus praescripti.

Rub. Completa Tertia, et facta aspersione aquae more solito, Sacerdos (1) indutus pluviali violaceo vel sine casula, cum Ministris similiter indutis (2), procedit ad benedicendum ramos palmarum et olivarum, sive aliarum arborum, in medio ante altare vel ad cornu Epistolae positos. Et primo cantatur a Choro Antiphona *Hosanna Filio David* etc. Deinde Sacerdos stans in cornu Epistolae, non vertens se ad populum, dicit in tono Orationis Missae ferialis *Dominus vobiscum* etc.

Postea Subdiaconus in loco solito cantat... Lectionem in tono Epistolae, et in fine osculatur manum Sacerdotis.

Dum cantatur responsorium, Diaconus ponit librum Evangeliorum super altare: et Sacerdos, ministrante Diacono naviculam, ponit incensum in thuribulo. Deinde Diaconus dicit *Munda cor meum,* accipit librum de altari, petit benedictionem a Sacerdote: postea Subdiacono librum tenente, medio inter duos Acolythos tenentes candelabra accensa, signat librum, incensat, et cantat Evangelium... more consueto: quo finito, Subdiaconus defert librum osculandum Sacerdoti, qui et incensatur a Diacono.

Post haec benedicuntur rami. Sacerdos stans in eodem cornu Epistolae, dicit in tono Orationis ferialis *Dominus vobiscum* etc.

(Finitis Orationibus), Celebrans ponit incensum in thuribulum, deinde ter aspergit ramos aqua benedicta, dicendo antiphonam *Asperges me*, sine cantu, et sine Psalmo, et ter adolet incenso. Postea dicit *Dominus vobiscum* etc.

Completa benedictione, dignior ex Clero (3) accedit ad altare, et dat ramum benedictum Celebranti, qui non genuflectit, nec osculatur manum dantis. Postea Celebrans

1) »Non octavo vel nono saeculo Ritus benedicendi Palmas tribuendus videtur, sed longe vetustior existimandus.« Ben. XIV, *de Festis D. §. 3 fin.* Fit autem in memoriam triumphalis ingressus Christi in Jerusalem. *Ibid. §. 107.*

stans ante altare versus ad populum, distribuit ramos, primum digniori, a quo ipse accepit, deinde Diacono et Subdiacono paratis, et aliis Clericis (4) singulatim per ordinem; ultimo laicis: omnibus genuflectentibus, et ramum ac manum Celebrantis (5) osculantibus, exceptis (6) Praelatis, si adsint. Et cum inceperit distribuere, a Choro cantantur sequentes Antiphonae: *Pueri hebraeorum* etc. Quae si non sufficiant, repetantur, quousque ramorum distributio finiatur. Deinde Sacerdos dicit *Dominus vobiscum* etc.

Postea fit Processio. Et primo Celebrans imponit incensum in thuribulum: et Diaconus vertens se ad populum dicit *Procedamus in pace.* Et Chorus respondet *In nomine Christi. Amen.* Praecedit Thuriferarius (7) cum thuribulo fumigante: deinde Subdiaconus paratus (8), deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis: sequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris (9), omnes cum ramis in manibus: et cantantur sequentes Antiphonae, vel omnes, vel aliquae, quousque durat Processio (10): *Cum appropinquaret* etc.

In reversione Processionis, duo vel quatuor Cantores intrant in Ecclesiam, et clauso ostio, stantes versa facie ad Processionem, incipiunt Vers. *Gloria, laus*, et decantant duos primos versus. Sacerdos vero cum aliis extra Ecclesiam repetit eosdem. Deinde qui sunt intus, cantant alios versus sequentes, vel omnes, vel partem, prout videbitur; et qui sunt extra, ad quoslibet duos versus respondent *Gloria, laus*, sicut a principio.

Postea Subdiaconus hastili Crucis percutit portam: qua statim aperta, Processio intrat in Ecclesiam, cantando Resp. *Ingrediente Domino.*

(1) *Sacerdos.* Missam celebraturus (*p. 431*).

(2) *Cum Ministris similiter indutis*, id est, habitu sibi competente, in hac functione, videlicet: amictu, alba, cingulo, manipulo et stola coloris violacei, cum planetis plicatis, aut in albis, juxta dicta *p. 194 sqq.* Ministri in casu, praeter paramenta quae sumuntur pro benedictione *Cinerum,* manipulum portant, quia, inquit Gav., cantaturi sunt Epistolam et Evangelium. Juxta Merati, *n. 11*, Celebrans qui sine Diacono hanc peragit functionem, etiam in defectu pluvialis, manipulum non adhibet, quamvis ipse cantaturus sit Evangelium: et arguit ex *tit. XIX, 4 (p. 190).* Sed, juxta Mem. rit. *tit. 3, c. 2, §. 1, n. 6, et 10* et Bauldry

ibi cit., in minoribus Ecclesiis adhibetur a Celebrante, etiam pluviali induto, donec lectum sit Evangelium.

(3) *Dignior e clero,* habitu chorali, sine stola, accedit ad altare, eique et Celebranti facit debitam reverentiam, ascendit ad gradum altaris proximiorem suppedaneo, et ibi de manu Diaconi, stantis a sinistris Celebrantis, accipit Palmam pulchriorem, eam osculatur, et Celebranti tradit absque osculo manus. Si autem non adsit dignior qui ramum Celebranti tradat, hic illum ab altari accipit, non vero a Diacono utpote inferiore.

(4) *Et aliis.* Interim Diaconus stat a sinistris Celebrantis, eique ministrat ramos, eos, juxta Merati, osculando; Subdiaconus vero a dextris, elevando pluviale.

(5) *Ramum et manum.* Sunt qui ad hunc casum erronee applicant ritum recipiendi instrumenta *(p. 242, 2).*

(6) *Exceptis* 1° *Praelatis,* qui Palmam recipiunt inclinati tantum, et cum osculo solius Palmae. 2° *Exceptis* Canonicis Ecclesiae Cath., qui non genuflectunt. Caer. Ep. *l. 2, c. 16;* imo nec osculatur manum, nisi accipiatur ab Episcopo *(ibid. c. 17, n. 2).* 3° Juxta Merati, quando dignior e Clero est Superior Ecclesiae, qui ob rationabilem causam non benedicit Palmas, tunc cum tradit ramum Celebranti, neque genuflectit, neque osculatur ejusdem manum.

(7) *Praecedit Thuriferarius,* quasi odore incensi viam sternat Christo duci, et quasi ipse Christus in odorem unguentorum suorum trahat sequentes post se. Quod servatur in processionibus quae fiunt cum Thuriferario sine SS. Sacramento.

(8) *Subdiaconus* Missae, nisi Celebrans sit Episcopus. Cf. pt. dec. 6 Mai. 1826, n. 4470, 1. Neque hic, neque in Rituali ordinatur Crucem *processionalem* deferendam esse cum Imagine Crucifixi praeeunte, nihilominus nequit dubitari quin ita deferenda sit; tum quia hic est ordo naturalis: Christus enim triumphaliter procedit, tanquam dux noster; tum quia id eruitur a contrario, ex Caer. Ep. *l. 1, c. 15, n. 2,* ubi Crux *Archiepiscopalis* dicitur deferri, Imagine ad Archiepiscopum conversa; tum quia hoc communiter docent AA., ut Gav., Mer., Lohner, Baruffaldi, excepto Romsée qui *tom. 3, a. 4, n. 3 not.* putat servandam esse consuetudinem: tum denique quia ex dictis satis manifestum fit dec. 18 Mai. 1675 esse meram declarationem regulae ubique et ab omnibus servandae.

(9) *Cum Diacono a sinistris:* absente Subdiacono, qui Crucem defert, ordo naturalis postulat ut Diaconus, qua inferior, se sistat a sinistris Celebrantis, quando non debet ministrare ad ejus dextram, v. g. ad impositionem incensi.

(10) *Processio* dirigitur a sinistra ad dextram, extra principalem Ecclesiae portam. Mem. Rit. *h. l.*

Deinde celebratur Missa, et rami tenentur in manibus dum cantatur Passio et Evangelium tantum.

In Missa servanda sunt quae traduntur ad Dominicam de Passione, et praeterea quae sequuntur. Una tantum dicitur Or., etiamsi habeatur Collecta imperata *(p. 130)*. „Cum Subdiaconus in Epistola pronunciabit verba illa, *ut in nomine Jesu omne genu flectatur*, Episcopus, et omnes, usque ad terram genuflectunt, et permanent genuflexi, usque ad illa verba, *et infernorum*, inclusive." Caer. Ep. *l. 2, c. 21, n. 13.* Itaque etiam Celebrans cum Diacono flectit utrumque genu, et quidem juxta Merati etc., super suppedaneum altaris ante medium ipsius; nisi impeditus sit ad alia dicenda, in cornu Epistolae, puta Graduale vel Tractum: tunc enim ibidem genuflecteret cum Diacono. Juxta dicta *p. 169,* Subdiaconus unicum flectit genu. Passio Domini legitur et cantatur, ut sequitur: „Passio Domini, ait Rubrica peculiaris, incipitur absolute: non dicitur, *Munda cor meum*, non petitur benedictio, non deferuntur luminaria, nec incensum; non dicitur *Dominus vobiscum*, nec respondetur *Gloria tibi Domine*, et Celebrans seu Diaconus dum pronuntiat *Passio Domini nostri*, non signat librum, neque seipsum. Quod et in aliis diebus servatur, quando legitur Passio." Cum perventum est ad verba *Altera autem die*, tunc „dicitur *Munda cor meum*, petitur benedictio, defertur incensum sine luminaribus, et incensatur liber: non dicitur *Dominus vobiscum*, et Celebrans, aut Diaconus, non signat librum, neque seipsum: et quod sequitur, cantatur in tono Evangelii, in cujus fine Celebrans osculatur librum, et incensatur. Quae omnia et in aliis Passionibus servantur, praeterquam Feria VI in Parasceve." In Passione interponuntur Crux ✠ et litterae C et S[1].

1) „Notae autem illae ✠, C, S, teste Gavanto, *part. 4, tit. 7, n. 19,* non multa gaudent antiquitatis laude, et incertum habent Autorem: designant autem *Christum*, *Choristam*, et *Synagogam*, vel, ut aliis placet, *Christum*, *Cantorem* et *Succensorem*." Gav. *t. 4, dec. 262 fin.*

Porro Cruce signantur verba Christi; littera C, verba narrantis, et littera S, verba populi aut alicujus personae.

Rubrica Missalis brevior est, nec omnes comprehendit casus in quibus Passio legitur aut cantatur. Et hujus brevitatis ea nobis videtur esse ratio, quia, ex una parte, Passio regulariter nequit cantari in minoribus Ecclesiis, uti etiam supponitur in *Mem. Rit.*; et ex altera, Caer. Ep. *l. 2, c. 21, n. 14 sqq.* satis providet modo cantandi Passionem in Cathedralibus et Collegiatis, quibus aliae Ecclesiae majores se conformare poterunt. Ut autem, quantum opus est, suppleatur silentium Missalis, sint sequentia pro triplici casu, qui contingere potest, videlicet, prout Passio cantatur a tribus Diaconis, vel a Celebrante, Diacono et Subdiacono, vel legitur in Missa privata, aut cantata, sed sine Diacono et Subdiacono.

1. Caeremoniale Ep. *l. c. n. sqq.* haec ordinat: „Tres, qui Passionem sunt cantaturi, dum cantatur Epistola, et Tractus [1], parantur amictu, alba, cingulo, manipulo et stola ab humero sinistro pendente, coloris violacei, in Sacristia; et circa finem Tractus procedunt a Sacristia... Factis altari, et Episcopo debitis reverentiis, accedunt ipsi tres ad osculum manus Episcopi... deinde descendunt ad locum, ubi cantant Passionem versus cornu Evangelii, seu in pulpito, secundum consuetudinem Ecclesiarum... Cum Passio inchoatur, Celebrans sum suis assistentibus legit Passionem, tenens palmam in manibus, et stans in cornu Epistolae: et Episcopus et omnes surgunt, detecto capite, palmas manibus tenentes, usque ad finem Passionis, in qua, dum recitatur: *Jesus autem exclamans voce magna, emisit Spiritum,* Episcopus in sua sede, et omnes in suis locis genuflectunt, etiam ipsi Cantores et Capellani; deinde surgunt, et is, qui Evangelistam agit, perficit suam lectionem...“ Juxta Bralion, apud Merati, *n. 31,* Celebrans genuflectere debet, quando in Passione legit verba, *Jesus autem... emisit Spiritum.* Cui sententiae plures contradicunt; ei tamen favet *Rub. 3, p. 170.*

1) „Ex praxi Urbis, inquit Mer. *h. l. n. 31,* non est necesse ut omnes Vers. Tractus cantentur in Choro, sed pauci sufficiunt, si ita congruum videatur, praesertim ob angustiam temporis, vel paucitatem Cantorum, quamvis tamen convenientius sit ut omnes cantentur. Bauldry.“

2. In Ecclesiis, ubi non habentur alii Ministri praeter Diaconum et Subdiaconum Missae, hi in habitu diaconali ut supra, possunt Passionem cantare una cum Celebrante [1], modo tamen qui fungitur Officio Subdiaconi, constitutus sit in Ordine Diaconatus. Celebrans, stans in cornu Evangelii (dec. 12 Mart. 1836, n. 4628, 2), cantat signata Cruce ✠, Diaconus vero signata litt. C, et Subdiaconus signata litt. S; uterque Minister stat ut supra, versus cornu Evangelii. Celebrans suam partem cantat in cornu Evangelii, quod est proprius locus ad legendum aut cantandum Evangelium. Equidem Caer. Ep. cit. supra assignat cornu Epistolae ad Evangelium legendum; sed hoc fit per exceptionem, quia videlicet tres Diaconi Passionem cantant versus cornu Evangelii. Celebrans, juxta Deherdt aliosque, submissa voce legit quae a Ministris cantantur: nollem ego affirmare hoc agendum esse de praecepto, quin sufficiat at ea a Celebrante attendantur, sicuti in recitatione Officii in Choro aut cum socio.

Subdiaconus in Missae hic supponitur insignitus Ordine Diaconatus: secus enim cantare non potest partem Passionis (dec. 16 Jan. 1677, n. 2659, 8; cf. pt. dec. n. 3569), tum quia est textus Evangelii, tum quia cantatur in habitu diaconali [2]. Merati, *h. l.*, et Romsée, *tom. 3, art. 9, n. 6,* non

1) Merati, *h. l. n. 30*, relicta sententia Gavanti, improbat „quod Diaconus solus cantet totam Passionem: non enim hic sacer Minister potest variis modulationibus nunc Christi, nunc Evangelistae, modo turbarum personam induere, cum nimis improbus esset hic labor, et non ad pietatem, sed potius ad risum moveret populum. In defectu igitur Cantorum approbarem potius Celebrantem personam Christi induere, Diaconum Evangelistae, et Subdiaconum Turbarum: quae quidem modo est praxis multarum Ecclesiarum sufficientiam Cantorum non habentium.“ Cs. dec. 10 Jan. 1852, *Montis Politani*, n. 5030, 2.

2) „Opportune autem decretum Passionem *Evangelium* nuncupat, ut hinc pateat illarum Ecclesiarum absurdum plurimum, quae ad decantandam turbarum partem admittunt Clericos, sacro Diaconatus Ordine minime insignitos; etsi enim turbae Synagogam repraesentent, adhuc textus Evangelii est, qui consequenter nonnisi a Diaconis publice legi potest, et in stola diaconali, cujus delatio est inhibita inferioribus Clericis.“ Cav. *t. 4, dec. 262, n. 1.* Potiori ratione laici arcendi sunt a cantanda Passione. Si quis queratur, de ista Clericorum inferiorum et Laicorum exclusione, quasi inde minuatur, in minoribus Ecclesiis, solemnitas hujus diei, nec satisfiat pietati fidelium, illi

distinguunt an Subdiaconus constitutus sit necne in Ordine Diaconatus: sed censendi sunt hoc supponere, utpote requisitum ex ipsa rei natura.

3. In Missa privata, id est, in Missa non solemni, seu lecta, aut cantata absque Ministris *(p. 10 sqq.)*, tota Passio absolvitur in cornu Evangelii. Dec. 12 Mart. 1836, n. 4628, 3. In Missa autem cantata absque Ministris, partim legitur et partim cantatur in eodem cornu Evangelii: cantatur nempe ab illis verbis, *Altera autem die.* — In fine Missarum privatarum, quibus videlicet praemissa non fuit benedictio Palmarum, legitur Evangelium *Cum appropinquasset (p. 149).* — Feriis II, III, et IV, Missa celebratur juxta Rubricas *p. 433.*

Feria V in Coena Domini.

Quatuor in Missali habentur functiones hac die agendae, videlicet: *Missa, Processio, Denudatio Altarium* et *Mandatum.* Quaedam dicenda sunt de singulis, et de loco praeparando ad asservandam S. Eucharistiam.

I. *Missa.* Solemniter celebratur in colore albo, sine Ps. *Judica me;* sed cum *Gloria* et *Credo,* cum Praefatione *de Cruce.* Infra *Gloria* pulsantur campanae, et deinceps non amplius usque ad Sabbatum Sanctum [1]. Una tantum

repono istiusmodi querelam injuria fieri: nam 1° non pertinet ad privatos ordinare, juxta propria sensa, Officia divina eorumque solemnitates, sed Ecclesiae est definire quid hac in re conveniat et agendum sit; 2° plura incommoda quam commoda nata sunt sequi ex ista Clericorum aut Laicorum immixtione in ministeriis quae ad ipsos non pertinent. Cf. quae exscribuntur ex P. Le Vasseur, *pag. 229.*

1) Bened. XIV, *de Festis D. N. J. C. n. 174,* docet »in veteribus Ritualibus praescribi ut campanae per hos dies sileant; quae cum Christi praedicatores significent, ideo earum sonitum intermitti, quod Apostoli Christum in maximis cruciatibus Passionis, arrepta fuga, deseruerint... et ligna quaedam adhiberi fragoris in modum obstrepentia, ut extet memoria illius convocandi per illorum lignorum strepitum primis Ecclesiae seculis Fideles ad Divina Officia.« Cf. ejusdem *Inst. 20.* Hujusmodi lignum, in *Memor. Rituum,* nuncupatur *crotalum.* »Quo instrumento, ait Deherdt *h. l. n. 11,* pariter utendum est ad signum Salutationis Angelicae *(Memoriale Rituum)*, hocque in pluribus Ecclesiis adhibetur ad *Sanctus* et Elevationem Feria quinta et sexta, et similiter ad processionem: Cavalieri, *tom. 4, dec. 1, n. 4,* id laudat ad Elevationem, ut excitetur attentio; juxta plures tamen signum crotali infra Officia potius omittendum est, quia talis

dicitur Oratio. *Communicantes* et *Hanc igitur* propria. *Agnus Dei,* dicitur de more, sed pax non datur [1]. Dicuntur tamen tres consuetae Orationes ante Communionem. *Rub. pec. et gen.* Caetera traduntur in Missali, ut sequitur.

Rub. Hodie Sacerdos consecrat duas Hostias (1), quarum unam sumit, alteram reservat pro die sequenti; in quo non conficitur Sacramentum: reservat etiam aliquas Particulas consecratas, si opus fuerit pro infirmis (2); Sanguinem vero totum sumit: et ante ablutionem digitorum ponit Hostiam reservatam in alio Calice quem Diaconus palla et patena cooperit, et desuper velum expandit, et in medio altaris collocat. Deinde fit Communio, et completur Missa. Sacerdos autem genuflectit, quandocumque accedit, vel recedit a medio altaris, vel transit ante Sacramentum in Calice reservatum: et cum dicere debet *Dominus vobiscum*, non vertit se ad populum in medio altaris, ne terga vertat Sacramento, sed a latere Evangelii, et in fine ibidem dat benedictionem, et non perficit circulum. Dicitur *Ite Missa est,* et datur benedictio, et legitur Evangelium S. Joannis, in cujus initio Sacerdos non signat altare, sed seipsum tantum (3).

(1) *Duas Hostias.* Haec verba satis insinuant quod declaratur a S. R. C. die 28 Mart. 1775, n. 4229, 17, videlicet non permitti Missam in Ecclesiis ubi SS. Sacramentum non asservatur, hicque agi de unica Missa solemni. Missae autem privatae hac die non celebrantur, quia, ad normam Caer. Ep. *l. 2, c. 22, n. 6,* Celebrans Communionem praebet aliis Sacerdotibus, stola indutis [2]. Unde S. R. C.

fragor est inconcinnus, et risum provocat, populusque his diebus supponitur satis attentus, ac similis praxis omittendi signum praescribitur in instructione Clem. pro precibus XL Horarum: idque conforme videtur Missali, quod nihil dicit de crotalo, et Memoriali Rituum, quod praescribit crotalum pro convocatione populi et Salutatione Angelica, et non pro aliis. Mer. *tom. 1, p. 4, tit. 8, n. 5.* „Post silentium campanarum Ecclesiae Matricis, non licet pulsare campanas aliarum Ecclesiarum, juxta dec. 9 Mai. 1705, n. 3573, 3.

1) „Tum, ait Bened. XIV, *n. 174 cit.,* quod diebus luctui et maerori destinatis praetermittebatur, tum etiam ut (Ecclesia) declaret se proditoris Judae osculum execrari.“

2) Juxta Bened. XIV, *Inst. 28, n. 5,* Diaconi qui sunt in Choro, communionem percipiunt, stola diaconali induti. Hoc tamen non reperi in Caer. Ep. *l. c.* neque apud Gav. et Mer. *h. l.* Cf. *p. 192.*

die 27 Sept. 1608, *in Conchen.* (sub n. 4204) respondit: „Servandam esse regulam praescriptam in Libro caeremoniali, quae universalis Ecclesiae consuetudini conformis est: ut scilicet Feria V in Coena Domini, in memoriam quod D. N. J. C. manu sua omnes Apostolos communicavit, omnes Presbyteri, tam Dignitates, quam Canonici, et Mansionarii Communionem sumant de manu Episcopi, vel alterius Celebrantis..." Hac autem ratione, modo perfectiori recolitur Institutio S. Eucharistiae. Etenim „sicut Divinus Salvator sibi primum, ac deinde Apostolis sacrosancta Mysteria tradidit, ita consentaneum fuit, ut Sacerdos Fer. V. majoris Hebdomadae, suscepta divina Eucharistia, ipsam post universo clero distribueret, qui Ecclesiae adscribitur, ubi Sacrum peragitur." Bened. XIV, *Inst. 38, n. 5.* Cf. *n. 6.* Fideles etiam inducendi sunt ut, quantum fieri potest, hac die ad S. Synaxim accedant, juxta veterem disciplinam. Cf. *Inst. cit. n. 1.* Quod autem attinet ad praeceptum Caer. Ep. de Communione Cleri, illud non videtur limitandum ad solas Ecclesias Cath. et Collegiatas: eadem enim est ratio, et id confirmari videtur decretis 27 Sept. 1608 cit. 22 Dec. 1770, n. 4204, ubi confirmatur praecedens, et 23 Sept. 1837, n. 4666, 1. Cf. Ben. *l. c. n. 7 sqq.*

Prohibitio Missarum privatarum, hac Feria, triplicem patitur exceptionem. 1° Si hac die occurrat Festum de praecepto in foro, per Ordinarium loci providendum est ut Missae privatae, quot opus est pro adimplendo praecepto audiendi Missam, celebrentur ante solemnem. Dec. cit. 12 Sept. 1716. Cf. Deherdt, *part. 4, n. 33, II.* — 2° Ex decreto 27 Mart. 1773, n. 4212, 9, una privata potest arbitrio Episcopi permitti propter infirmos. — 3° Tandem excipiuntur Ecclesiae minores, juxta dec. 28 Jul. 1821, n. 4433, 1.

(2) *Pro infirmis.* Sanis non praebetur Communio hoc tempore, videlicet a fine Missae hujus diei usque ad Dominicam Resurrectionis, nisi forte existat consuetudo eamdem ministrandi Sabbato, post Missam, juxta dicenda infra *l. prop.*

(3) *Seipsum tantum*, si Evangelium legat sine tabella aut libro; si autem utatur, alterutrum signabit, juxta Mem. Rit. *cit. p. 372.* Cs. Gav. et Mer. *h. l.*

Locus pro asservando SS. Sacramento.

Rub. Hodie paratur locus aptus in aliqua capella

Ecclesiae, vel altari, et decenter, quoad fieri potest, ornetur cum velis et luminibus, ubi Calix cum Hostia, ut supra, reservata reponatur.

Hic locus aliquando nuncupatur sepulchrum (*Mem. Rit. tit. 5, c. 1*); quod tamen fit in sensu valde improprio. De illius ornatu parum explicita et brevior est Rubrica Missalis, atque supplenda venit ex Caer. Ep. *h. l. n. 2*, et Mem. Rit. „Praeparandum igitur, ait Caeremoniale, ornandumque erit aliquod sacellum intra Ecclesiam, quo pulchrius magnificentiusque poterit, multis luminibus ornatum, in quo post Missam hujus diei recondendum (cf. pt. dec. 14 Feb. 1705, n. 3561, 7) sit SS. Sacramentum; et in eo, altare cum sex candelabris, ac cereis.“ Advertendum est lumina accendenda esse *a)* pro ornatu, et *b)* praeterea cereos prope SS. Sacramentum. „Locus ipse ab altari majori distinctus, et decenter velis pretiosis, non tamen nigris, et luminibus ac floribus ornatus, sine Reliquiis (*p. 361*), aut Imaginibus Sanctorum.“ Mem. Rit. De velis nigris non apponendis datum est etiam dec. 21 Jan. 1662, n. 1997.

II. *Processio.*

Rub. Finita Missa, accenduntur intorticia, et fit Processio more solito, alio tamen Subdiacono parato Crucem ferente, Celebrans indutus pluviali albo, stans ante altare, imponit incensum in duobus thuribulis absque benedictione; deinde in medio genuflexus, cum altero incensat ter Sacramentum: et accepto Calice cum Sacramento de manu Diaconi stantis, et cooperto extremitatibus veli, quo ejus humeri teguntur, procedit medius inter eumdem Diaconum a dextris, et Subdiaconum a sinistris sub baldachino, duobus Acolythis Sacramentum continue incensantibus usque ad locum praeparatum, ubi pro crastino servandum est. Interea dum fit Processio, cantatur Hymnus *Pange lingua gloriosi Corporis mysterium.* Cum autem ventum fuerit ad locum paratum, Diaconus genuflexus a Sacerdote stante accipit Calicem cum Sacramento et ponit illum primo super altare, ubi a Sacerdote genuflexo incensatur, ut supra: deinde reponit in capsula.

Finita Processione, s. Pyxis transfertur cum velo humerali albi coloris, et luminibus, reponiturque in capsulam post Calicem, uti ordinatur in Mem. Rit. Cf. dicta *tom. I, p. 399* et Cav. *ibid. cit.* Parochus autem „curabit (inquit

Mem. Rit. *h. l.* *§. 4, n. 11*) ut assidue adsint qui orent ante SS. Sacramentum in Sacello Sepulchri, utque decens numerus cereorum in eo colluceat." De clave non asservanda a laico, cf. dec. 14 Jun. 1845, n. 4884, Cav. *t. 4, dec. 8; de velis nigris, ibid. dec. 340.*

III. *Denudatio altarium.*

Rub. Postea in Choro dicuntur Vesperae sine cantu. Et Sacerdos (¹) cum Ministris denudet altaria, legendo Antiphonam *Ps. XXI: Diviserunt sibi vestimenta mea: et super vestem meam miserunt sortem,* cum toto Psalmo: *Deus, Deus meus, respice in me.*

(1) *Sacerdos,* dictis Vesperis (Caer. Ep. *n. 14*) induta stola violacea (Mem. *§. 3, n. 7*), cum Ministris etiam paratis, id est, alba, sine manipulo, Diacono deferente stolam, *denudet* etc. Cf. Mem. Rit. Hac altarium denudatione significatur Christi denudatio. Quibusdam in Ecclesiis usus habet ut, postquam altaria fuerint denudata, ea laventur a Celebrante et Ministris. Cf. Bened. XIV, *de Festis D. N. J. C. n. 175 sq.*

IV. *Mandatum seu lotio pedum.*

Rub. Post denudationem altarium, hora competenti facto signo cum tabula *(p. 440)*, conveniunt Clerici ad faciendum Mandatum. Praelatus seu Superior, super amictu et alba induitur stola et pluviali violaceis, et in loco ad id deputato, ministrante Diacono (qui paratus cum Subdiacono, ut in Missa, paramentis albis, ei assistit), imponit incensum in thuribulo. Deinde (etc. *ut in Missali, et Caer. Ep.*).

Haec Caeremonia non exponitur in Mem. Rit. ac proinde non est agenda absque Ministris sacris. *Mandatum* autem nuncupatur, tum quia fit juxta praeceptum Domini, *Jo. XIII, 14;* tum quia prima Antiph. incipit a verbo, *Mandatum.* Fit ad imitandum Christi exemplum. Quod imitati sunt tam Presbyteri, Episcopi et summi Pontifices, quam viri summi inter laicos, ut imperatores et Reges, quodque etiamnum quotannis imitantur praesertim Romae, praeter Vicarium Christi, personae insignes tum dignitate, cum nobilitate. Cf. Ben. XIV, *l. c. n. 177,* necnon *180 sqq.*

Feria VI in Parasceve.

Quatuor sunt functiones hujus Feriae VI, dictae *in Parasceve* seu in praeparatione [1]. Sunt autem: *prima,* ab

1) *Parasceve* idem sonat ac praeparatio, hocque nomine apud

initio usque ad Adorationem Crucis; *secunda*, Adoratio Crucis; *tertia*, Processio; et *quarta*, Missa praeconsecratorum [1].

I. *Ab initio, usque ad Adorationem Crucis.* — *Rub. 1.* Finita Nona, Sacerdos et Ministri induti paramentis (1) nigri coloris, sine luminaribus et incenso, procedunt ad altare: et ante illud prostrati aliquamdiu (2) orant. Interim Acolythi unam tantum tobaleam extendunt super altare. Sacerdos cum Ministris facta Oratione ascendit ad altare et osculatur illud in medio: deinde Lector accedit ad legendum Prophetiam in loco, ubi legitur Epistola, et incipit eam sine titulo; quam etiam Sacerdos legit submissa voce apud altare in cornu Epistolae. Finito Tractu (3), Sacerdos in cornu Epistolae dicit *Oremus* (4), Diaconus *Flectamus genua*, et Subdiaconus *Levate*. Subdiaconus, in tono Epistolae, similiter cantat sine titulo sequentem lectionem *In diebus illis.* Finito Tractu dicitur Passio super nudum pulpitum, quam Celebrans submissa voce legit in cornu Epistolae *(usque ad finem, ait Caer. Ep. h. l. p. 17).* A verbis *Post haec*, legitur in tono Evangelii: et dicitur *Munda cor meum*, sed non petitur benedictio (5), et non deferuntur luminaria, neque incensum, et Celebrans in fine non osculatur librum. Deinde Sacerdos stans in cornu Epistolae, incipit absolute junctis manibus *Oremus, dilectissimi nobis... Oremus.* Diaconus *Flectamus genua;* Subdiaconus *Levate.* Oratio cantatur in tono feriali Orationis Missae, extensis manibus (6). Et hic modus servatur in subsequentibus.

(1) *Induti paramentis* Missae, excepta dalmatica et tunica *(p. 193 sqq.)*

(2) *Aliquamdiu orant,* puta spatio unius *Miserere,* Mem. Rit.

(3) *Finito Tractu.* Haec verba videntur intelligenda de cantu. Nihilominus juxta Merati, *h. l. n. 18,* „necesse non est quod Vers. omnes ipsius Tractus cantentur ex communi praxi Urbis, sed pauci sufficiunt si ita videatur, praesertim ob paucitatem Cantorum; convenientius tamen

Judaeos vocatur dies Sabbatum praecedens, quia in ea praeparabantur cibi pro Sabbato subsequente.

1) „Hac die non offertur in Ecclesia Missae Sacrificium: idque juxta S. Thomam, *p. 3, q. 83, a. 2, ad 2,* sancitum fuit, quia non decet ut Passio Christi per Eucharistiae consecrationem mystice repraesentetur, dum recolitur ab Ecclesia prout realiter peracta est.“ Romsée, *tom. 3, h. l.*

est, ut omnes cantentur. Bauldry, *p. 4, c. 6, a. 3, n. 12.*" Cf. *not. 1, p. 438.*

(4) Dicit *Oremus,* junctis extensisque manibus, ut *p.* 254.

(5) *Non petitur benedictio.* Unde nec Celebrans dicit *Jube... Dominus sit*, etc. Dicit tamen *Munda*, sed, juxta Mem. Rit., in cornu Epistolae.

(6) Hic manus extenduntur et junguntur more solito.

Notanda. 1° Vacante sede Romana, omittuntur monitio et Oratio pro Papa. 2° Monitio et Oratio pro Imperatore et Imperio Rom. non sunt mutandae (dec. 31 Aug. 1839, n. 4726), sed penitus omittendae (dec. 7 Dec. 1844, n. 4839, 6). Et idem notandum est pro Sabbato. 3° Ante Orationem pro Judaeis, omittitur *Oremus*, *Flectamus genua*, in detestationem irrisionum, quibus Judaei, flexis genibus, Christo illuserunt.

II. *Adoratio Crucis.* — *Rub.* Completis Orationibus (1), Sacerdos deposita casula (2) accedit ad cornu Epistolae, et ibi in posteriori parte anguli altaris accipit a Diacono Crucem jam in altari praeparatam: quam versa facie ad populum, a summitate parum discooperit, incipiens solus Antiphonam *Ecce lignum Crucis*, ac deinceps in reliquis juvatur in cantu a Ministris (3) usque ad *Venite adoremus.* Choro autem cantante *Venite adoremus*, omnes se prosternant, excepto Celebrante. Deinde procedit ad anteriorem partem anguli ejusdem cornu Epistolae: et discooperiens brachium dextrum Crucis, elevansque eam paulisper, altius quam primo incipit *Ecce lignum Crucis*, aliis cantantibus, et adorantibus, ut supra. Deinde Sacerdos procedit ad medium altaris: et discooperiens Crucem totaliter, ac elevans eam, tertio altius incipit *Ecce lignum Crucis*, aliis cantantibus, et adorantibus, ut supra.

Postea Sacerdos (4) solus portat Crucem ad locum ante altare praeparatum, et genuflexus ibidem eam locat: mox depositis calceamentis, accedit ad adorandam Crucem, ter genua flectens (5), antequam eam deosculetur. Hoc facto revertitur, et accipit calceamenta et casulam (6). Postmodum Ministri altaris (7), deinde alii Clerici, et laici, bini et bini, ter genibus flexis, ut dictum est, Crucem adorant. Interim, dum fit adoratio Crucis, cantantur Improperia, et alia, quae sequuntur, vel omnia, vel pars eorum, prout multitudo adorantium, vel paucitas requirit.

Circa finem (8) adorationis Crucis accenduntur candelae

super altare; et diaconus accipiens bursam corporalium extendit corporale more solito, et juxta illud ponit purificatorium: et finita adoratione, Crucem reverenter accipit, et reportat ad altare *(genuflectit et redit ad Celebrantem)*.

(1) *Completis Orationibus.* Dum dicuntur ultimae Orationes, extenditur tapete ante gradus altaris, aut Presbyterii, et super primos ejus gradus pulvinar violaceum, et velum album, serico violaceo contextum, expanditur per longum. Mem. Rit. *n. 14.*

(2) *Deposita casula*, ad cornu Epistolae, vel melius in plano. Praeterea ipse et Ministri deponunt manipulum, juxta dec. 15 Sept. 1736, n. 3906, 4.

(3) *A Ministris*, stantibus ab ejus utroque latere.

(4) *Sacerdos*, descendens per latus Evangelii, juxta Merati; anteriores enim gradus occupantur tapete et pulvinari.

(5) *Genua flectens*, aliquantulum pro unaquaque vice orando (Caer. Ep.). Sequentia autem similiave secreto recitare aut mente revolvere poterit: *Adoramus te, Christe, et benedicimus tibi, quia per S. Crucem tuam redemisti mundum.* Interim omnes remanent genuflexi, et quidem Ministri sacri super suppedaneum, facie ad populum conversa.

(6) *Accipit casulam*, et manipulum, juxta Merati *n. 30.* De hoc tamen silent Missale, Caer. Ep. et Mem. Rit. „Postquam Ministri sacri ad ipsum pervenerint, sedens cum ipsis, voce demissa legit Improperia, ut in Missali habetur, et in Memoriali Rituum majoris Hebdomadae *§. 5*... sustinentibus librum Missalem hinc inde Ministris sacris, nisi ab aliquo Acolytho genuflexo ante ipsum (ut commode Celebrans et Ministri sacri legere possint) teneatur, ut certe convenit." Mer. *h. l. n. 31.* Cs. Caer. Ep. *n. 2,* dicens: „Episcopus sedens legit Improperia, ministrantibus solitis Capellanis."

(7) *Ministri altaris et Clerici* deponunt et ipsi calceamenta. Ex Mem. Rit., et, juxta dec. 23 Sept. 1837, n. 4666, XIV, 5, servanda est consuetudo.

Et Laici. Principes post Clerum (imo aliquando post Canonicos, juxta Caer. Ep. *h. l. n. 27*), Crucem altaris adorant; insuper ipsi Magistratus et Nobiles saeculares, si talis sit consuetudo. Alii vero laici, et post ipsos mulieres, aliam adorant Crucem. Cf. Mer. *h. l. n. 31,* ubi etiam haec notat. „Advertendum occurrit, quod, pro mulieribus praedictis et populo, debet extendi in loco apto

tapetum cum cussino et velo; tum Sacerdos paratus stola nigra illuc defert aliam Crucem, Acolytho aliquo praecedente, qui ibi remanebit genuflexus devote assistens quando fiet adoratio, tum ob reverentiam Crucis, tum ut impediat populi tumultum; quod similiter observandum erit, si aliae Cruces ponantur in aliis locis adorandae propter populi multitudinem."

(8) *Circa finem adorationis* „Diaconus cum Subdiacono explicat mappam lineam super altari." Caer. Ep. *n.* 28.

III. *Processio.* — *Rub.* Postea (¹) ordinatur Processio ad locum, ubi pridie Sacramentum repositum fuerat. Praecedit (²) Subdiaconus cum Cruce inter duos Acolythos deferentes candelabra cum cereis accensis, et Clerus per ordinem, ultimus Sacerdos cum Ministris. Cum perventum fuerit ad locum Sacramenti, accenduntur intorticia, quae non extinguuntur nisi post sumptionem Sacramenti: et Sacerdos genuflectit ante Sacramentum, orat aliquantulum. Diaconus interim aperit capsulam, in qua reconditum est Corpus Domini. Postea Sacerdos surgens, absque benedictione imponit incensum in duobus thuribulis, Diacono naviculam ministrante, et genuflexus incensat Sacramentum: tum Diaconus extrahens Calicem cum Sacramento de capsula, dat ad manus Sacerdotis, et tegit extremitatibus veli (³), quod humeros illius circumdat: et procedunt ordine quo venerunt: defertur baldachinum super Sacramentum, et duo Acolythi cum thuribulis continue Sacramentum incensant: interim cantatur Hymnus *Vexilla regis prodeunt.*

(1) *Postea.* Celebrans et Ministri accedunt ad altare, ibique facta genuflexione, imponitur incensum in thuribulum, omissis osculis et benedictione; deinde, repetita genuflexione, procedunt ad sacellum SS. Sacramenti. Mem. Rit. et Caer. Ep. *n. 29 et 30.* A genuflexione hic eximi solent, juxta regulam generalem *(p. 171)*, Subdiaconus et Acolythi Crucem deferentes; unde verba Caer. Ep. *n. 30,* „cum discedunt, omnes reverentiam faciunt Cruci cum genuflexione," intelligenda sunt, *exceptis excipiendis.* Juxta Gav. et Mer. *n. 40,* incensum non imponitur in thuribula, nisi ad sacellum SS. Sacramenti, et ipsis favet silentium Missalis.

(2) *Praecedit.* Subdiaconus, post Thuriferarius, processionem praecedit cum Cruce paratus absque manipulo; vel, in defectu Subdiaconi, Acolythus cotta indutus.

(3) *Veli* coloris albi [1], ut pridie.

IV. *Missa praesanctificatorum.* — *Rub.* Cum venerit Sacerdos ad altare, posito super illud Calice, genuflexus rursum incensat, et accedens deponit Hostiam ex Calice super Patenam, quam Diaconus tenet; et accipiens Patenam de manu Diaconi, Hostiam sacram ponit super Corporale, nihil dicens. Si tetigerit Sacramentum, digitos abluat in aliquo vase. Interim Diaconus imponit vinum in Calicem, et Subdiaconus aquam, quam Sacerdos non benedicit, nec dicit super eam Orationem consuetam: sed accipiens Calicem a Diacono, ponit super altare, nihil dicens: et Diaconus illum cooperit palla: deinde imponit incensum in thuribulo absque benedictione, et incensat oblata et altare more solito, genuflectens ante et post, et quandocumque transit ante Sacramentum. Cum incensat oblata, dicit *Incensum istud;* cum incensat altare ([1]), dicit *Dirigatur.* Quando reddit thuribulum Diacono, dicit *Accendat.* Et ipse non incensatur. Postea aliquantulum extra altare in cornu Epistolae, lavat manus, nihil dicens. Deinde, in medio altaris inclinatus, junctis manibus, dicit ([2]) *In Spiritu humilitatis.* Deinde *(dictis* Orate Fratres, *ut p. 372, sine* Suscipiat, *Oratione Dominica* ([3]), et Libera nos quaesumus, *ut in Missali)*, facta reverentia usque ad terram, supponit Patenam ([4]) Sacramento, quod in dextra accipiens, elevat ut videri possit a populo: et statim supra Calicem dividit in tres partes: quarum ultimam immittit in Calicem, more solito, nihil dicens. *Pax Domini* non dicitur, nec *Agnus Dei,* neque pacis osculum datur *(p. 341).* Postmodum praetermissis duabus primis Orationibus, dicit tantum sequentem *Perceptio*, etc. Tunc genuflectit et accipit Patenam ([5]) cum Corpore Christi *(p. 306),* et maxima humilitate et reverentia dicit *Panem caelestem* etc. Et sumit Corpus reverenter. Deinde, omissis omnibus quae dici solent ante sumptionem Sanguinis, immediate ([6]) Particulam Hostiae cum vino reverenter sumit de Calice. Et, more

1) Cav. *t. 4, dec. 260, n. 5,* explicat quare casula sit nigri coloris, humerale vero albi, nimirum: „quia, licet Christus hodie recolatur ut mortuus, in Eucharistia tamen, quae per Processionem defertur, vivus est, atque gloriosus; uti autem id designat velum humerale album, ita illud paramenta nihilominus nigra Celebrantis, et Ministrorum."

solito facta ablutione digitorum, et sumpta purificatione, in medio altaris inclinatus, manibus junctis dicit: *Quod ore sumpsimus* etc. Non dicitur, *Corpus tuum Domine*, nec Postcommunio, nec *Placeat tibi*, nec datur benedictio; sed facta reverentia *(genuflexione)* altari, Sacerdos cum Ministris discedit; et dicuntur Vesperae, sine cantu; et denudatur altare.

(1) *Cum incensat altare*, et Crucem. Mem. Rit. et Caer. Ep. Notandum est praeceptum hic incensandi Crucem non probari ex dec. 14 Mai. 1707, n. 3624, de quo agi videtur in Mem. Rit. cit. *p. 372.*

(2) *Dicit*, submissa quidem, sed intelligibili voce (Caer. *l. c. n. 19*, Mem. Rit. *h. l.*), id est, media voce *(p. 163)*.

(3) *Ad Pater*, quod cantat tono feriali, manus extendit de more.

(4) *Supponit Patenam* Hostiae, et tenens manu sinistra Patenam super altare, elevat dextra Hostiam etc. Mem. Rit. Patena tenetur super altare intra Corporale, ne extra illud aliquod decidat fragmentum. „Non elevatur Planeta, nec incensatur Hostia." Gav. *h. l.* Elevatur autem altera tantum manu, ad differentiam elevationis quae fit post consecrationem, nec hac die videatur de novo consecrata." *Ibid.*

(5) *Accipit Patenam*, quam prius non extersit.

(6) *Immediate*, id est, non interpositis, quae hic dici solent; quod nequaquam excludit brevem meditationem, quam praescribit Mem. Rit., juxta *Rub. 3, p. 304.*

Sabbatum Sanctum.

Caeremoniae, hoc Sabbato peragendae, respiciunt 1° Benedictionem ignis et granorum incensi; 2° Processionem a janua ad altare; 3° Benedictionem cerei Paschalis; 4° Prophetias; 5° Benedictionem Fontis baptismalis; 6° Litanias; et 7° Missam cum Vesperis. Quibusnam in Ecclesiis peragantur praefatae Caeremoniae, dictum est *p. 431.*

I. *Benedictio ignis et granorum incensi.* — *Rub.* Hora competenti cooperiuntur altaria, et dicuntur Horae, candelis altaris extinctis usque ad principium Missae. Interim excutitur ignis de lapide foris Ecclesiam, et ex eo accenduntur carbones. Dicta Nona, Sacerdos indutus amictu (1), alba, cingulo, stola, et pluviali violaceo, vel sine casula, astantibus sibi Ministris (2) cum Cruce, aqua benedicta, et incenso, ante portam Ecclesiae (3), si commode potest, vel

in ipso aditu Ecclesiae, benedicit novum ignem [1], dicens: *Dominus vobiscum* etc.

Deinde benedicit quinque grana (*) incensi [2], ponenda in cereo, dicens absolute hanc Orationem: *Veniat quaesumus* etc.

1) Circa originem hujus solemnis benedictionis, non una eademque est Autorum opinio. Sunt, imo plerique juxta Quarti, qui existiment »occasionem huic institutioni dedisse insigne miraculum olim a Deo patrari solitum in Civitate Sancta Jerusalem, ubi congregatis fidelibus in Ecclesia ad celebranda mysteria Dominicae Resurrectionis, descendebat ignis de caelo, omnibus videntibus, et admirantibus; lampades autem Ecclesiae, quae jam a Feria V ob moerorem Passionis Christi fuerant extinctae, incipiente Officio Resurrectionis ex eodem igne miraculose accendebantur, sicuti testatur Du Saussay...« Quarti, *de Benedictionibus h. l.* De eadem re ita Bened. XIV, *de Festis D. N. J. C. n. 397.* »Rem sane miram quotannis contigisse in hac die Hierosolymis, et in Ecclesia Sancti sepulchri tradunt Historici magni nominis, ut, igne caelo delapso, luminaria accenderentur...« Deinde dicit legendum esse P. Lupum, et numerum claudit per illius verba, quae sic sonant: »Quare non dubito, quin ad agendas Deo pro Hierosolymitano miraculo gratias, et ipsum omnibus sub caelo populis praedicandum, mos iste noster sit institutus.« Alii tamen aliunde repetunt originem praefatae functionis. Hinc idem Bened. XIV, *l. c. n. 390,* aliam etiam refert sententiam, usus verbis Pouget, ut sequitur: »Hic est vestigium antiquitatis. Olim excutiebatur quotidie ignis e silice ad accendenda Ecclesiae luminaria, et fiebat prius ignis benedictio: nihil enim in publicum usum adhibuit unquam Ecclesia, sine praecedenti benedictione. Solemnius hac die agitur hujus ignis benedictio, quia ille e silice excussus, videtur Christi recens ex mortuis suscitati typum ferre. Romae solemnis haec ignis novi benedictio fiebat olim Feria V Majoris Hebdomadae.« Cf. *Inst. 39* ejusdem Bened. XIV, *n. 5 sqq.*

Quidquid sentiatur de causa historica, de hac aut altera sententia, certum est rationes Mysticas, sin minus fuerint causae institutionis, intendi ab Ecclesia in hac functione, in qua plura Mysteria repraesentantur, ut videre est apud Quarti, *l. c.* Primum autem et principale est Resurrectio Corporis Christi e sepulchro. »Sicut enim ex frigido lapide rutilans ignis excutitur, ita e sepulchro lapideo Corpus Christi jam mortuum et extinctum, vivum et splendidum resurrexit, et nova luce refulsit, atque nobis aeternae lucis contulit charitatem.« Quarti, *l. c.* cum aliis.

2) *Quinque grana incensi* significant aromata, a mulieribus empta, quibus ungerent corpus Domini, vel idem corpus »Josephi ab Arimathaea et Nicodemi opera aromatibus esse conditum.« Quinque foramina ad figuram Crucis in Cereo excavata,

Dum benedicit grana incensi, Acolythus assumens de carbonibus benedictis ponit in thuribulo: et finita Oratione supradicta, Sacerdos de navicula ponit incensum (5) in thuribulo, benedicens illud more solito: deinde praedicta grana incensi, et ignem ter aspergit (6) aqua benedicta, dicens *Asperges me Domine*, sine cantu et sine Psalmo, et ter adolet incenso. Interim omnia luminaria Ecclesiae extinguuntur, ut de igne benedicto postmodum accendantur.

(1) *Sacerdos indutus amictu* etc. Diaconus et Subdiaconus etiam parantur amictu, alba et cingulo, absque manipulo; Diaconus defert stolam, et uterque planetas plicatas in praecipuis Ecclesiis *(p. 194)*. Cs. Mer. *h. l. n. 3.* In Ecclesiis cathedralibus et collegiatis servetur Caerem. Ep. De ordine accedendi ad portam aut aditum Ecclesiae, silet Missale; cujus ratio forte est quia idem servandus est ordo ac in reditu ad altare. Attamen Diaconus, in accessu ad portam, si solus procedat cum Celebrante, se sistit ad ejus sinistram. Equidem Gavantus, Merati aliique requirunt ut alter Subdiaconus Crucem deferat; sed Missale de uno tantum loquitur.

(2) *Astantibus sibi Ministris* sacris et Acolythis, Diaconus, quando non adest alter Subdiaconus, stat a sinistris usque ad impositionem incensi, Subdiaconus vero cum Cruce se sistit in limine portae, renes eidem vertens, facie Crucifixi versa ad Celebrantem, juxta Mem. Rit. Acolythi adstant paululum retro a lateribus ministraturi Diacono naviculam etc.

(3) *Ante portam.* „Extra portam passus est Christus: exeamus ad eum, inquit Paulus, ut eum explicat, de hoc loquens Durandus, *c. 86.*“ Gav.

Vel in ipso aditu, vel etiam in claustro apud Moniales. Mer. *n. 2.*

(4) *Quinque grana incensi* benedicuntur, non vero clavi cerei qui, certis in locis, superimponuntur granis incensi Cereo infixis. Usus adhibendi hujusmodi clavos est saltem praeter Rubricas; an autem habendus sit ut illis contrarius, non ita liquet. Aliquam certo prae se fert falsitatem; nam uti advertit Deherdt, *h. l. n. 15*, Christus Dominus tribus tantum, aut quatuor ad majus clavis, Cruci est affixus. „Haec praxis, inquit Romsée, *t. 3, h. l. q. 4°*, quo grana incensi injiciuntur, quinque Christi exprimunt vulnera.“ Bened. XIV, *l. c. n. 396.*

videtur ortum duxisse ex frustulis cerae, quibus forte olim foramina granorum incensi occludebantur, et quae, successu temporis, clavorum formam male induerunt, quia apertam falsitatem referunt in numero." Vid. not. *p. 451.*

(5) *Ponit incensum,* ministrante Diacono.

(6) *Aspergit....* et thurificat, Diacono sublevante pluviale.

II. *Processio ad altare.* — *Rub.* Tum Diaconus indutus dalmatica albi coloris, accipit arundinem cum tribus candelis [1], in summitate illius triangulo distinctis. Praecedit Thuriferarius cum Acolytho deferente in vase quinque grana incensi: sequitur Subdiaconus cum Cruce, et Clerus per ordinem: deinde Diaconus cum arundine, post eum Celebrans. Cum Diaconus ingressus est Ecclesiam, inclinat arundinem, et Acolythus deferens candelam accensam de novo igne, accendit unam ex illis tribus candelis desuper positis: et Diaconus elevans arundinem, genuflectit, similiter et omnes alii cum eo, praeter Subdiaconum Crucem ferentem, et cantat solus: *Lumen Christi.* Resp. *Deo gratias.*

Et procedens ad medium Ecclesiae, ibi accenditur alia candela: et iterum genuflexus, ut supra, altius cantat: *Lumen Christi.* Resp. *Deo gratias.*

Tertio procedit ante altare, ubi accenditur tertia candela: et rursus genuflexus, ut prius, adhuc altius dicit: *Lumen Christi.* Resp. *Deo gratias.*

III. *Benedictio cerei Paschalis* [2]. — *Rub.* Deinde Cele-

1) *Accipit arundinem cum tribus candelis.* „Bissus declarat frustra se multum operae et studii contulisse, ut unde arundinis hujus usus originem traxerit, reperiret... Quidam vero trium candelarum usum ejusmodi putant esse derivatum, quod olim tres candelae funalis instar colligabantur ne vento possent extingui, Bened. XIV, *l. c. n. 392.* Juxta Thomassinum apud eumdem Bened. *l. c. n. 393,* „in Trinitatis honorem cereum, in tres divisum, accendimus, rati nos, Jesu Christi lumine fusos, Trinitatis penitiora Mysteria nosse."

2) Cerei Paschalis benedictio antiquior videtur Zosimo, qui Pontifex creatus est an. 417. Hic Cereus, juxta Rupertum, significat Christum reviviscentem. De quinque granis incensi, dicitur *p. 451.* „Benedici a Diacono Rupertus Abbas ait, ut significetur, non ab Apostolis Corpus Christi, sed a Discipulis aromatibus esse delibutum, ejusque Resurrectionem Sanctis mulieribus prius, quam Apostolis praenunciatam." Bened. XIV, *l. c. n. 395,* cum Ruperto.

De significatione mystica, et occasionali usu Cerei Paschalis, sequentia notanda sunt cum Romsée et Deherdt etc. 1° In

brans ascendit ad altare in cornu Epistolae, et Diaconus dat arundinem uni Acolytho: et accipiens librum, petit a Celebrante benedictionem, ut fit ad Evangelium, Sacerdote dicente: *Dominus sit in corde tuo, et in labiis tuis: ut digne et competenter annunties suum Paschale praeconium: in nomine Patris, et Filii, ✝ et Spiritus Sancti. Amen.*

Postea vadit ad pulpitum, et ponit super eo librum, et incensat. A dextris Diaconi stent Subdiaconus cum Cruce, et Thuriferarius: a sinistris, duo Acolythi, ille qui tenet arundinem, et alius tenens in vase quinque grana incensi benedicti figenda in cereo. Tunc surgentibus omnibus, et stantibus, ut fit ad Evangelium, Diaconus cantat *Exultet* [1], etc. Post verba *curvat imperia,* Diaconus infigit quinque grana incensi benedicti in Cereo in modum Crucis; et post verba, *rutilans ignis accendit,* Diaconus accendit Cereum cum una ex tribus candelis, in arundine positis. Ad verba, *O vere beata nox,* accenduntur lampades. *(De omittenda Oratione pro Papa, sede vacante, et pro Imperatore, dicitur p. 446, 6.)*

Quoad Officia et dies in quibus accendendus sit Cereus Paschalis usque ad Ascensionem, servetur consuetudo. Dec. 19 Mai. 1609, n. 204, 13. Quod, ut patet, intelligendum est de consuetudine rationabili: non enim accendendus est, quemadmodum advertit Deherdt, in Missis Rogationum, aliisque celebratis in colore violaceo, et multo minus in

praeterito repraesentat columnam nubis et ignis, quae Hebraeos in deserto praecedebat, et in praesenti Christum a morte ad vitam gloriose resurgentem: et ideo Cereus prius extinctus manet ad Christi mortem denotandam; dum adhuc est extinctus, quinque grana incensi infiguntur; et postea accenditur, ad Christi Ressurrectionem significandam. 2° Olim etiam inserviit peculiari usui; huic videlicet Cereo inscribebatur ordo divini Officii totius anni, qui a Paschate incipiebatur *(tom. I, p. 64, 2);* qui ordo, postea chartae inscriptus, ad Cereum appendebatur. Deinceps autem, multiplicatis Officiis, et inventa impressionis arte, hujusmodi occasionalis usus Cerei Paschalis desiit.

1) *Exultet.* Hunc celebrem Hymnum „quidam infirmis ducti rationibus, D. Ambrosio, alii, multo etiam levioribus argumentis innixi, Petro Diacono Cassinensi tribuunt, qui saeculo vixit 12. Illud enim constat ex minime dubiis argumentis, ante quadringentos annos, illum Hymnum cani in Gallia consuevisse; ideoque probabilius est, scriptum esse a D. Augustino, ut ostendit Martene...“ Bened. XIV, *l. c. n. 399.*

Missis Defunctorum, a quibus laetitiae signa removentur. Cf. Mem. Rit. *n. ult.*

IV. *Prophetiae.* — *Rub.* Completa benedictione Cerei, Diaconus depositis albis, sumit violacea praramenta (1), et vadit ad Celebrantem: qui exuitur pluviali, et sumit manipulum et casulam violacei coloris. Postea leguntur Prophetiae sine titulo [1]: et Celebrans (2) legit eas submissa voce ad altare in cornu Epistolae. In fine Prophetiarum dicuntur Orationes modo subscripto. Ante vel interim dum Prophetiae leguntur, Presbyteri catechizent catechumenos baptizandos, et praeparent ad Baptismum. (Cf. *Rituale, de Tempore.... administandi Baptismum,* et Ben. XIV, *l. c. n. 399*).

(1) *Violacea paramenta*, scilicet: manipulum et stolam, sine dalmatica, cum vel sine casula plicata pro Ecclesiae qualitate *(p. 210).* Subdiaconus etiam induit manipulum, cum vel sine casula plicata. Cf. Caer. Ep. *l. 2, c. 28, n. 4.*

Clericus firmat arundinem in sua basi a latere Evangelii, Mem. Rit. Hic Cereus, quandoque nuncupatus, *Lumen Christi,* amovetur post Missam hujus Sabbati, nec amplius accenditur. Dec. 7 Dec. 1844, n. 4840, 5. Cf. pt. dec. 12 Nov. 1831, n. 4523, 19. Cf. Deherdt, *h. l. n. 15, IV.* Cs. Mem. Rit. *ult.* §. *n.* 5.

(2) *Celebrans* ascendit ad altare, illudque in medio osculatur *(Caer. Ep. et Mem. Rit.)*, Prophetiasque competenti voce *legit* in cornu Epistolae, ipsi assistentibus Diacono et Subdiacono, sicuti ad Introitum: nam Ministri sacri non cantant Prophetias, etiamsi desiderentur Cantores. Si autem non cantentur, Celebrans eas legit non submissa seu media, sed alta voce *(p. 163 sqq.)*. Equidem Missale insinuat easdem cantari, primum dicendo, *leguntur*, et deinde distinguendo modum quo a Celebrante sint legendae; cum tamen non praecipiat ut in cantu legantur, ideo usus cantandi tantum earum primam partem, id est, terminandi cantum cum Celebrans cessat a lectione, non videtur posse

1) *Leguntur,* ad instructionem Catechumenorum, et *sine titulo,* propter has rationes, quarum una est naturalis congruentiae, et duae aliae mysticae, scilicet: 1° ne Lectiones vilescant Catechumenis, ex gentilitate venientibus, si nomina Hebraeorum audierint; 2° vel quia, Christo nondum viso ab Apostolis, Ecclesia adhuc sine capite videtur; vel ad repraesentandam caecitatem Catechumenorum, qui nostrae doctrinae originem nesciunt. Ex Gav. etc.

dici repugnare Rubricis. Non respondetur *Deo gratias (p. 132)*. Ad Orationes Ministri stant retro post Celebrantem, ut in Missa. Ante ultimam Orationem non dicitur *Flectamus genua (p. 446)*.

V. *Benedictio Fontis.* — *Rub.* His expletis, si Ecclesia habuerit fontem baptismalem, Sacerdos benedicturus fontem ([1]), accipit pluviale violaceum; et praecedente Cruce cum candelabris, et cereo benedicto accenso, descendit cum Clero et Ministris paratis ad fontem: et interim cantatur sequens tractus *Sicut cervus.* Deinde Sacerdos (etc. *ut in Missali*).

(1) *Benedicturus Fontem.* Haec Rubrica supponit aquam benedici ipso Fonte, non autem in alio vase, unde postea transfundatur in Fontem. Quare hoc fieri nequit absque S. Sedis indulto. Cf. dec. 12 Aug. 1854 *in Lucionen. ad 78.* An vero idem dicendum sit de casu quo aqua benedicitur simul et in Fonte, et in alio vase, ex quo deinde hauriatur ad domos deferenda, non ita constat. Ex una enim parte id fieri videtur solum praeter Rubricam: nullus siquidem omittitur Ritus, in benedicendo Fonte servandus, hocque unum fit praeter consuetum ordinem, ut Ritus, intentioque Benedicentis extendantur ad aliud vas aquae. Altera tamen ex parte hoc videtur Rubricis adversari, quatenus de solo Fonte loquuntur, et ordinant ut ante infusionem SS. Oleorum, aqua benedicta de Fonte accipiatur ad aspergendum in domibus et aliis locis.

De infusione SS. Oleorum in Fontem, notandum est eam, seclusa necessitate, non posse praetermitti: etenim per Rubricas omnino conjuncta est cum Fontis benedictione. Cs. Gardellini *ad n. 4672, 1.* Unde quando nova olea non sunt in promptu, nec haberi possunt post aliquod tempus, v. g. ratione alicujus perturbationis, tunc infundenda sunt benedicta anno praecedenti (dec. 23 Sept. 1837, n. 4672, 1); si autem post aliquod tempus, nova obtineri valeant, exspectanda sunt, et postea privatim infundenda. Dec. 12 Apr. 1755, n. 4103, 3. Cf. dec. 16 Dec. 1826, n. 4474, 5, et 12 Aug. 1854, *in Lucionen. 79 et 80;* item dicenda *part. 4, sect. 1, tit. 1, ad VII, de Sacris oleis*, et notata *ad Inst. 81* Bened. XIV, *edit. Casterman. 1855, pag. 1407.*

VI. *Litaniae.* — Post benedictionem Fontis aut ultimam Prophetiam, cantantur Litaniae. De his ita ordinat Missale. *Rub.* Deinde *(a Fonte baptismali)* revertentibus

Sacerdote et Ministris ad altare, cantantur Litaniae a duobus Clericis, et Chorus idem simul repetit, ut dicitur infra.

Ubi vero non est Fons baptismalis, finita ultima Prophetia cum sua Oratione, Celebrans casulam deponit, et cum Ministris ante altare procumbit: et aliis omnibus genuflexis, cantantur Litaniae in medio Chori a duobus Cantoribus, utroque Choro idem simul respondente. Cum autem perventum fuerit ad Vers. *Peccatores, te rogamus*, Sacerdos et Ministri surgunt, et accedentes ad Sacristiam, induuntur paramentis albi coloris pro Missa solemniter celebranda: et interim accenduntur luminaria in altari. In fine Litaniarum cantatur solemniter *Kyrie eleison*, et repetuntur, ut in Missa moris est.

VII. *Missa.* — *Rub. Finitis Litaniis* Cantores solemniter incipiunt *Kyrie eleison* etc. Interim Sacerdos cum Ministris in paramentis albis accedit ad altare; et dicto Psalmo *Judica me Deus*, cum *Gloria Patri*, facit Confessionem, ut moris est, in loco consueto; deinde ascendens, osculatur altare, incensat more solito, et finitis a Choro *Kyrie eleison*, incipit solemniter *Gloria in excelsis*, et pulsantur campanae ([1]). Finita Epistola, Celebrans incipit *Alleluia*. Et totum decantat ter, elevando vocem gradatim: et Chorus post quamlibet vicem, in eodem tono repetit illud idem. Postea Chorus prosequitur, Vers. *Confitemini.* Deinde dicitur Tractus [1]. Ad Evangelium non portantur luminaria [2], sed tantum incensum: petitur benedictio, et alia fiunt de more. Non dicitur *Credo*, sed finito Evangelio, Sacerdos dicit *Dominus vobiscum;* postea *Oremus.* Non dicitur Offertorium [3]. Ad Lavabo dicitur *Gloria Patri*, Praefatio, *Com-*

1) *Dicitur Tractus.* „*Alleluia*, quae laetitiae vox est, Tractus consequitur, qui doloris signum est; Ecclesiae enim nondum absoluta est laetitia; nam illa reviviscentis Christi Mysterium celebrat, qui tamen nondum apparuit.“ Bened. XIV, *de Festis D. N. J. C. n. 405.*

2) *Non portantur luminaria.* „Cum enim nondum se Christus reviviscens conspicuum praebuisset, Fides idcirco adhuc erat obscura, juxta Alcuinum.“ *Ibid.*

3) *Non dicebatur Offertorium*, vel quia oblationes fiebant ante hanc Missam, vel ut ita haec Missa brevior esset, in gratiam tam parvulorum quam catechumenorum mox baptizatorum: hac enim ratione evitabatur, quam maxime poterat, vagitus infantium, qui Baptismo abluti fuerant, et catechumeni, tunc etiam baptizati, designabantur tanquam lacte et melle nutriendi, *quasi*

municantes et *Hanc igitur* propria. Dicitur *Pax Domini sit semper vobiscum;* sed pacis osculum non datur [1]. *Agnus Dei* non dicitur, nec Postcommunio: dicuntur tamen tres consuetae Orationes ante Communionem. Post sumptionem Sacramenti, pro Vesperis in Choro, cantatur Antiphona, *Alleluia, Alleluia, Alleluia,* et Psalmus *Laudate Dominum omnes gentes,* cum *Gloria Patri* in fine, et post repetitur eadem Antiphona. Capit. Hymn. et Vers. non dicuntur, sed statim Celebrans in cantu incipit Antiph. *ad Magnificat, Vespere autem Sabbati* etc... Repetita Antiphona, Celebrans dicit *Dominus vobiscum.* Diaconus cantat *Ite Missa est, Alleluia, Alleluia,* Resp. *Deo gratias* etc. Dicto *Placeat,* dat benedictionem more solito *(et legit Evangelium S. Joannis. Mem. Rit. Cs. Gav.)*

(1) *Pulsantur campanae,* videlicet tam campanellae per Ministrum solitae pulsari in Missa, quam campanae, in turri positae. Attamen quoad has, datur aliqua limitatio: ut enim debitus honor reddatur Matrici Ecclesiae, antequam in hac incepta fuerit pulsatio, silere debent campanae Ecclesiarum filialium. „Prius debent moneri aliae Ecclesiae Civitatis, ne pulsent campanas, nisi prius audito signo campanarum Ecclesiae Cathedralis." Caer. *h. l. c. 27, n. 23.* Haec quidem dispositio datur pro Civitate Episcopali *(tom. I, p. 145, not. 2);* nihilominus ejus ratio militat pro aliis locis in quibus aliqua habetur Ecclesia Matrix, aut dignior, v. g. parochialis respectu Oratoriorum publicorum. „In illis vero locis, ubi neque Cathedralis habeatur, nec ulla alia Ecclesia, Matricis nomine ac jure praedita, idem privilegium digniori tribuendum est..." Bened. XIV, *Inst. 20, n. 10.* Cf. pt. *n. sq.* et plura S. R. C.

modo geniti infantes etc. Cf. Bened. XIV, *l. c. n. 406 sq.* et Mer. *h. l. n. 57.*

1) *Omittitur osculum pacis,* quia Christus nondum Apostolis apparuerat, nec dixerat, *Pax vobis;* vel quia ante Matutinum in nocte Paschatis, Fideles, se invicem amplexi, dicebant: *Surrexit Dominus.*

Non dicitur *Agnus Dei,* propter mulierum silentium, quae in Christum, Redemptorem animarum, nondum crediderant; vel quia, *Agnus Dei,* nova est adjectio, instituta a Sergio Papa, qui sedit anno 688. — *Nec Postcommunio,* nec Communio, quia in earum locum suffectae sunt Vesperae, quae potius gratiarum actio dicendae sunt, quam Officium vesperarum. Cf. Ben. XIV. et Mer. *ll. cit.*

decreta cit. ap. Deherdt, *h. l. n. 16, VIII.* De Consuetudine immemoriali, cf. Mer. *h. l. n. 52,* et Cav. *t. 4, d. 350, n. 3.*

Finita Missa, S. Pyxis defertur ad tabernaculum, ut dicitur Fer. V.

Seclusa necessitate aut Apostolica dispensatione, omnes functiones hujus Sabbati ab iisdem Celebrante, Diacono et Subdiacono peraguntur: Rubricae enim semper de iisdem loquuntur, et omnes functiones simul sumptae unum totum constituunt. Cf. dec. 1 Sept. 1838, n. 4692, et 22 Jul. 1848, n. 4965, 4. Item 12 Nov. 1831, n. 4523, 8. Contingit tamen permitti a S. Sede ut aliter fiat. Cf. dec. 14 Jun. 1608, n. 239, et 30 Mart. 1824, n. 4453, 2.

De celebratione Missarum privatarum et ministratione S. Communionis. Superest breviter dicendum de prohibitione Missarum privatarum et S. Communionis, hoc Sabbato. 1° Cum in Missali sola describatur Missa solemnis, quin verbum proferatur de modo dicendi Missam privatam, uti fit ad Dominicam Palmarum et Vigiliam Pentecostes, ex eo inferri potest Missas privatas non esse hac die permissas; si tamen excipias casum quo occurrat Festum in foro. Confirmatur dec. gen. 11 Feb. 1690, n. 3055.

2° Communio Fidelium, qui non sunt infirmi, juxta hodiernam disciplinam [1], nec prohibita nec permissa est modo absoluto, hoc Sabbato, et distinguendum venit. *a) Ante Missam,* est prohibita; quod satis ostendi potest ex ipsa Officii indole, et exinde confirmari quod S. Pyxis nondum reposita fuit in tabernaculum. *b) Intra Missam,* post Communionem Celebrantis, est etiam prohibita, nisi adsit consuetudo. Dec. 23 Sept. 1837, n. 4666, 2. Quo stante decreto, aliud, videlicet, 22 Mart. 1806, n. 4349, intelligendum est tantummodo de casu vigentis consuetudinis. *c) Post Missam* vero, non videtur prohibita. Cs. dec. 7 Sept. 1850, *in Veronen. ad 15.*

1) Olim Communio fiebat in Missa hujus Sabbati (cf. Bened. XIV, *l. c. n. 407*). Postea autem, quamvis in Postcommunione, alii praeter Celebrantem adhuc supponantur Sacramentis Paschalibus satiati, cessavit tamen ille usus; et ratio est, juxta Hipp. a Portu, quia haec Missa, etsi hodiedum in die celebrata, est reipsa Missa noctis. „Communem, inquit Ben. XIV, existimamus servandam esse consuetudinem nullis, nisi infirmis, Eucharistiam eo die ministrandi.“ *De Sacrif. Missae, sect. 2, n. 166.* Dens tamen *de Euch. n. 51, III,* reflectit hujusmodi consuetudinem non videri communem in hac regione.

Post Missam hujus Sabbati, sequitur in Missali *Ordo Missae (p. 152 et 385)*; deinde reassumitur Proprium de Tempore a Dominica Resurrectionis.

Dominica Resurrectionis et Tempus Paschale.

De voce *Pascha*, de origine, Officio et Octava hujus Festi dicitur *tom. I, p. 401 sqq.*; de *Alleluia* supra *p. 134*, et *tom. I l. c.* In Missa (quae propria est qualibet die infra Oct.), Sequentia, Praefatio, *Communicantes* et *Hanc igitur* sunt propria; ad *Ite Missa est, Deo gratias*, duo adduntur *Alleluia* usque ad Sabbatum *in Albis* inclusive. Si tamen celebretur Missa extra Officium, puta Litaniarum, aut Votivam solemnem, tunc duo *Alleluia* non adduntur ad *Benedicamus Domino* etc., quia, inquit Gav. *n. 3*, est proprius ritus Missae paschalis, et summae laetitiae. A Feria IV dicitur 2ª Oratio communis *(p. 122)*, et proinde fit commemoratio Simplicis occurrentis *(p. 109, Rub. 5)*, diciturque Oratio imperata *(p. 130)*.

Sabbatum *in Albis (tom. I, p. 402)*. „Ab hac die, inquit Rub. pecul., usque ad Octavam Pentecostes, tam in Officio de Tempore, quam de Sanctis, non dicitur Graduale; sed ejus loco dicuntur duo Vers. cum 4 *Alleluia*, ordine infrascripto *(in Missali)*: praeterquam in Missis Rogationum et Vigiliae Pentecostes, in quibus dicitur unum *Alleluia* cum uno Vers.: similiter et post quamlibet Lectionem in Sabbato IV Temporum post Pentecosten. Alio Tempore usque ad Septuagesimam, quando dicitur Graduale, dicuntur tria *Alleluia*, post Graduale: bis ante Versum, et semel post Versum; cum autem dicitur Sequentia, *Alleluia*, quod dicendum est post Vers., dicitur post Sequentiam.“ Ad hanc Rubricam remittitur *pag. 132, Rub. 2.*

Hic duo veniunt advertenda. 1. Graduale dicitur duplici modo, scilicet *a)* cum 2 Vers. et 3 *Alleluia*, aut *b)* cum unico Vers. et tractu, absque ullo *Alleluia*. 2. Graduale omittitur Tempore Paschali, et ejus loco dicuntur 2 Vers. cum 4 *Alleluia*. Exempla habentur *in Communi Confessorum* etc.

Dominicam V post Pascha sequuntur *Litaniae Minores*, ibique ponitur Missa in eis et in Majoribus dicenda. De utrisque agitur *tom. I, p. 456 sqq.* Cf. ibi tradita de eorum notione, die et Officio. Missa autem, hic in Missali posita

pro utrisque, dicitur tam pro Missa Processionis, quam pro privatis, juxta sequentem Rubricam illi Missae praefixam. „Sequens Missa dicitur in Litaniis (1) Majoribus et Minoribus ad Processionem, sine Commemoratione Festi occurrentis (2). In Feriis autem Rogationum (3), in Missis privatis, si dicitur de Sancto (4), fit Commemoratio Rogationum: si dicitur de Rogationibus (5), fit commemoratio Festi occurrentis. Feria (6) vero 3, si Festum non occurrat, dicatur Missa de Rogationibus, sine *Gloria in excelsis*, licet in Officio dictum sit *Te Deum* et Oratio Dominicae." Ad hanc Rubricam sequentia veniunt adnotanda.

(1) *In Litaniis, ad Processionem (tom. I, p. 405):* Missa Processionis opponitur Missis privatis. Missa Processionis, juxta Caer. Ep. *l. 2, c. 32, n. 6,* regulariter celebratur in Ecclesia ad quam accedit Processio, et quidem Missa solemnis Rogationum etiam in Festo S. Marci, si excipias Missam quae celebretur in Ecclesia cujus S. Marcus est Titularis. Quae exceptio servanda est in similibus casibus, ita ut, in Festo cujusque Titularis, de hoc celebranda sit Missa cum Commemoratione Rogationum sub unica conclusione. Dec. 27 Feb. 1847, n. 4929, 1, 2 et 3.

De praefata Caeremonialis dispositione, tria veniunt notanda. *a)* Originem trahit ex antiquo usu; olim scilicet, quando fiebat Statio, seu Processio ad aliquam Ecclesiam, ibi cantabatur Missa. *b)* Exprimitur quod faciendum est *regulariter:* ibi enim permittitur ut, si id opportunius fuerit, Missa in Cathedrali celebretur ante Processionem. Et dec. 23 Jul. 1736, n. 3895, 24, indulget ut dicta Missa, propter populi commoditatem, cantetur ante Officium diei et ante Processionem. *c)* Praefata Caeremonialis dispositio non videtur obligare Ecclesias parochiales: ideo de hac silent Missale et Rituale. Et re quidem vera dispar est ratio, tum quia Ecclesiae mere parochiales non tenentur ad Officium chorale cum Missa, Hora per Rubricas assignata *(p. 158)*; tum quia plerumque non datur locus Stationi et celebrationi Missae in alia Ecclesia. Itaque nihil obstare videtur quominus in Ecclesiis mere parochialibus Missa celebretur ante aut post Processionem, pro commoditate Fidelium.

(2) *Sine Commemoratione Festi occurrentis:* huic Commemorationi supponitur satisfactum fuisse in Missa de Festo. Unde si talis Missa non fuerit cantata aut lecta, agenda

erit praefata Commemoratio. Dec. 12 Aug. 1854 *Lucionen. ad 1.* Cf. pt. dec. 23 Mai. 1846, n. 4904, 2, ibi cit., et dicta *p. 65.*

(3) *In Feriis II, III et IV Rogationum.* Hic agitur de Litaniis Minoribus: de Litaniis Majoribus, nulla fit Commemoratio in Missis privatis.

(4) *Si de Sancto*, puta IX LL. Fer. II aut IV, vel IX aut III LL. Fer. III; nisi Festum IX LL. sit dup. I aut II Cl. Dec. 16 Apr. 1853. *Ord. min.* n. 5047, 12. Juxta Gav. et Mer. *h. l.*, quando Fer. III occurrit Festum III LL., liberum est, in Missis privatis, sumere Missam Rogationum aut Festi. Sed hoc rejiciendum est cum Guyeto *lib. 4, c. 3, q. 2.* In casu enim Missa de Festo, est Missa conformis Officio, et aliunde Missa Rogationum non videtur permissa, ut votiva *(p. 60).*

(5) *Si*, Feria II, occurrit Festum III L., ac proinde dicitur Officium Feriae Rogationum, de Festo fit Commemoratio.

(6) *Feria verò III.* In casu non dicitur *Gloria in excelsis*, neque Oratio Officii, id est, Dominicae, quia haec Missa dicitur extra ordinem Officii *(p. 117, Rub. 4).*

De Litaniis SS. etc. dicitur *tom. I;* de ordinanda Processione, vid. Rituale.

Vigilia Ascensionis. „Si hodie occurrat Festum simplex, fit de ipso tantum Commemoratio. Si occurrat Festum duplex vel semidup., Missa dicitur de Festo cum Commemoratione Vigiliae, et Rogationum. Sed in Ecclesiis collegiatis, praeter Missam de Rogationibus dicuntur duae Missae, una de Festo et alia de Vigilia.“ *Rub. pecul.* Et in Missa Vigiliae, in his Ecclesiis, 2ª Oratio erit de B. Maria, 3ª *Ecclesiae* vel pro Papa. *Ibid.* et *sect. II, tit. IX, 6,* et *pag. 108 sq.*

Die Ascensionis, „dicto Evangelio, extinguitur Cereus Paschalis, nec ulterius accenditur, nisi in Sabbato Pentecostes, ad benedictionem Fontis.“ *Rub. pecul.*

„*Feria VI post Octavam Ascensionis*, si non fuerit Festum dup., vel semid., Missa dicitur de Dominica praeterita, cum Commemoratione de S. Maria, *Concede nos*, et *Ecclesiae tuae*, vel *Deus omnium fidelium;* de Simplici fit tantum Commemoratio. Et non dicitur *Credo.*“ *Rub. post Dom. infra Oct. Ascens.*

Sabbato in Vigilia Pentecostes. „Dicta Nona, Sacerdos

et Ministri, induti Paramentis (*p. 193 sq.*) violacei coloris, accedunt ad altare, et, facta reverentia, Sacerdos illud osculatur in medio. Deinde leguntur Prophetiae sine titulo, candelis altaris extinctis usque ad principium Missae, sicut in Sabbato Sancto. Sacerdos legit eas submissa voce ad altare in cornu Epistolae. In fine Prophetiarum dicuntur Orationes, sine *Flectamus genua* (*propter Tempus Paschale*)." *Rub. pecul.*

Finita ultima Prophetia, nempe 6ª cum sua Oratione, „Celebrans accipit pluviale violaceum, et descendendo ad Fontem, cantatur Tractus, *Sicut cervus desiderat*, etc. Deinde Sacerdos antequam intret ad benedictionem Fontis, dicit Vers. *Dominus vobiscum*, cum Oratione. Deinde proceditur ad benedictionem Fontis, ut in Sabbato Sancto" [1]. Ubi autem non habetur Fons benedicendus, finita 6ª Prophetia, accipiuntur paramenta rubei coloris, et alia peraguntur ut Sabbato Sancto, usque ad Orationem Missae. Ad Evangelium non portantur luminaria [2], sed incensum tantum. Non dicitur *Credo*. Praefatio, *Communicantes, Hanc igitur* propria usque ad Sabbatum S. inclusive.

„In Missis privatis hujus Vigiliae, ait Rubrica, omissis Prophetiis, Orationibus et Litaniis, Missa absolute incipitur ab Introitu, *Cum sanctificatus fuero*, etc. Deinde dicitur *Kyrie eleison, Gloria in excelsis*, et alia, ut supra," in Missa solemni.

Dominica Pentecostes. Sequentia, Praefatio etc., ut in Vigilia. In *Communicantes* reperitur varians lectio: in quibusdam Missalibus legitur, *igneis linguis*, et in aliis quamplurimis, *innumeris linguis*. S. R. C., 11 Mart. 1804, n. 4342 (1° loco), 11, declaravit „Lectionem *innumeris linguis* esse conformem Missali ab Urbano VIII recognito." Haec igitur servanda est, contra monitum a Cav. datum *t. 5, c. 16, n. 33.*

Feriis IV, VI et Sabb. infra Oct. Pent. occurrunt IV Tem-

1) Congruit ut hoc Sabbato, sicuti Sabbato S. Baptismus solemniter conferatur, tum quia Adventus Spiritus S. vocatur a Christo Baptismus, *Act. I, 5*, tum quia Apostoli, a Spiritu S. baptizati, et ipsi ter mille aqua baptizarunt die Pentecostes. Cs. Gav. *h. l. n. 18.*

2) „*Luminaria non deferuntur ad Evangelium,* quia catechumenorum fides (adhuc erat) subobscura et recens: qua de causa neque *Credo* dicitur post Evangelium." *Ibid. n. 20.*

pora. Feria IV, ante *Gloria in excelsis* ponitur Oratio cum Lectione et Resp. *Deo gratias.* Duae dicuntur Orationes (*p. 122*). Sabbatò autem ante Hymnum Angelicum, ponuntur 5 Orationes cum totidem Prophetiis; post 5^am^ ex Daniele, non respondetur *Deo gratias* (*p. 132*).

De Dominicis post Pentecosten, dicitur *tom. I.* De Dominicis vero post Epiphaniam, quae quandoque resumuntur ante Adventum, legitur Missa propria, sed juxta sequentem Rubricam, quae ponitur ante Dominicam 23^am^ post Pentecosten. „Introitus autem, Graduale, Offertorium, et Communio in praedictis Dominicis, semper dicuntur, ut in Dominica 23^a^.“

De ritu celebrandi Missas Sanctorum Tempore Paschali, vid. Rub. ad mensem Martium.

ARTICULUS II.

PROPRIUM SANCTORUM.

Tomo I ad *Proprium Sanctorum* nonnulla fuerunt adnotata quae ad Missam pertinent, ut ibi monetur *p. 414.* Reliqua hic veniunt tradenda. Advertendum autem est non omnia, quae in Missali apponuntur ad *Proprium Sanctorum*, esse propria: ibi enim non pauca vel indicantur de Communi, vel ex eo mutuantur et ad locum proprium ponuntur ad commodiorem usum. Recte tamen *Proprium Sanctorum* nuncupatur haec pars Missalis: in ea siquidem ordinantur aut assignantur Missae dicendae in Festis Sanctorum, et ipsae Missae aut partes, sumptae de Communi, sunt etiam aliquo sensu propriae Sancto, quatenus tali Sancto non conveniat quaelibet Missa de Communi, sed quae assignatur.

De Festis mense Novembri.

29. *Vigilia S. Andreae.* De ejus anticipatione, cum occurrit in Dominica, de Orationibus dicendis, prout occurrit intra aut extra Adventum, vid. *sect. II, tit. III et IX.*

De Festis mense Decembri.

8. *Festum Immacul. Conceptionis*, cum Missa propria.

26. *Commemoratio omnium SS. Martyrum*, de qua *tom. I*, ubi inquiritur quaenam dicendae sint Orationes.

De Festis mense Februario.

2. *Purificatio B. M. V., Benedictio Candelarum, et Processio.* 1. De origine hujus Festivitatis et Functionis non conveniunt Autores. 1° Plures, ideo quod Gelasius P. I sustulit nefarios ludos, *Lupercalia* dictos, putant ab eo Pontifice in locum Lupercalium subrogatam fuisse hanc Festivitatem. Sed hoc Festum videtur illo Pontifice antiquius, et forte a temporibus Apostolorum repetendum. Cf. Bened. XIV *de Festis B. M. V. n. 25.* 2° Quod ad Processionem attinet, Bened. XIV, *l. c. n. sqq.*, subscribit iis qui affirmant Processionem substitutam fuisse *Amburbalibus* multo ante Sergii aetatem, quamvis hic Pontifex Processionem, antea institutam, bene ordinaverit. Porro *amburbalia* sacrificium quoddam erat, inquit Bened. XIV *l. c. n. 27,* quod Ethnici faces manu tenentes Urbem perlustrando, mense Februario celebrabant in honorem deorum inferorum, quorum ope paratas sibi victorias arbitrabantur.

2. Symbolica Processionis ratio in eo est quod, sicut Simeon Christi humanitatem in ulnas accipiendo, ejusdem interiorem majestatem seu lumen, quo mortalium tenebrae depellerentur, agnovit; sic et nos, illum quodam modo imitando, humanitatem Christi, cereo significatam, manibus gestamus, et lumine lucem ejus, qua illuminamur, profitemur. Praeterea hoc ritu nos Simeonis laetitiae consociamus. Cf. Bened. XIV *l. c. n. 22* et Cav. *tom. 4, c. 12.*

Supra *p. 430,* dictum est quibus in Ecclesiis agatur haec Benedictio: expositae sunt etiam Rubricae de Benedictione Cinerum et Palmarum; et cum conveniant cum iis quae servandae sunt in Benedictione candelarum, hic non nisi paucae apponuntur explicationes; aliae ibi legi poterunt.

Rubricae. Finita Tertia, Sacerdos indutus pluviali violaceo, vel sine casula (*p. 430*), cum Ministris similiter (*p. 431*) indutis, procedit ad benedicendum candelas, in medio ante altare, vel ad cornu Epistolae positas, et ipse ibidem ([1]) stans versus ad altare, dicit manibus junctis in tono Orationis Missae ferialis, *Dominus vobiscum,* etc.

Finitis Orationibus, Celebrans ponit incensum in thuribulum, deinde ter aspergit candelas aqua benedicta, dicendo Antiphonam *Asperges me* etc. sine cantu et sine Psalmo: et ter adolet incenso. Tum dignior ex Clero accedit ad altare, et ab eo Celebrans accipit candelam non

genuflectens, nec osculans manum illius. Postea Celebrans stans in medio ante altare, versus ad populum distribuit candelas, primum digniori, a quo ipse acceperat, deinde Diacono et Subdiacono paratis, et aliis Clericis singulatim per ordinem, ultimo Laicis (*p. 435*): omnibus genuflectentibus, candelam (*p. 242, 2*) et manum Celebrantis osculantibus, exceptis Praelatis, si adsint. Et cum inceperit distribuere candelas, a Choro cantatur Antiphona *Lumen ad revelationem*, etc.

Deinde Sacerdos (2) dicit *Oremus*. Et si fuerit post Septuagesimam, et non in die Dominica, Diaconus dicit *Flectamus genua*, etc.

Deinde fit Processio. Et primo Celebrans ponit incensum in thuribulum: postea Diaconus vertens se ad populum, dicit *Procedamus in pace*. Et Chorus respondet *In nomine Christi. Amen.*

Praecedit (3) Thuriferarius cum thuribulo fumigante: deinde Subdiaconus paratus, deferens Crucem, medius inter duos Acolythos cum candelabris accensis: sequitur Clerus per ordinem, ultimo Celebrans cum Diacono a sinistris, omnes cum candelis accensis in manibus (*extimis*, Mer. *h. l. n. 18*): et cantantur Antiphonae seq. *Adorna thalamum*, etc. Et ingrediendo Ecclesiam, cantatur Resp. *Obtulerunt pro eo.*

Finita Processione, Celebrans et Ministri, depositis violaceis, accipiunt paramenta alba pro Missa. Et candelae tenentur (4) in manibus accensae, dum legitur Evangelium; et iterum ad Elevationem Sacramenti usque ad Communionem. Si vero Missa fieret de Dominica, candelae non accenduntur.

(1) *Ibidem*, nimirum ad altare. Celebrans, facta altari reverentia, ad illud ascendit, illud osculatur in medio et accedit ad cornu Epistolae, ubi (*p. 431*) stans medius inter Ministros, dicit Orationes. Ex Caer. Ep. *l. 2, c. 17, n. 1*, et Mem. Rit. *h. l.*

(2) *Deinde Sacerdos*, lotis manibus, et factis debitis reverentiis, ascendit ad cornu Epistolae, ubi dicto *Exurge Domine* etc., submissa voce cum Psalmo, et repetita Ant. a cantoribus (Caer. *l. 2, c. 16, n. 13*), ipse manibus junctis, subdit immediate *Oremus*, stantibus Ministris sacris, ut ad Benedictionem candelarum. Mer. *h. l. n. 16*. De Antiph. *Exurge* (in Missali posita ante Orationem) legenda a Cele-

brante, tacent Missale et Caerem. Ep. Congruit autem ut legatur. Cf. Mem. Rit. *h. l.*

(3) *Praecedit* (*p. 436*). Processio dirigitur a sinistra ad dextram. Mem. Rit.

(4) *Candelae tenentur.* Juxta Caer. Ep. *l. 2, c. 16, n. 18 sq.* et *c. 17, n. 7,* „finita Processione, Canonici Chorum ingressi, extinguunt candelas ... Dum inchoatur Evangelium, Episcopus, et omnes capiunt suas candelas accensas." Omnes igitur tenent candelam, iis tantum exceptis quorum manus sunt impeditae, ut Subdiaconus, librum tenens, Acolythi, Thuriferarius et Navicularius.

De Festis tempore Paschali.

Ad 21 Mart., post Missam S. Benedicti, traditur ritus servandus in Missis Sanctorum quae celebrantur Tempore Paschali, videlicet: „In fine Introitus ante Psalmum dicuntur duo *Alleluia,* et in fine Offertorii et Communionis unum Alleluia *(ubi jam non habetur, ait Rub. ante Missas votivas).* Post Epistolam non dicitur Graduale; sed dicuntur duo Vers., cum 4 *Alleluia,* ut notatum est in Sabbato in Albis (*p. 460*). Et hoc idem observatur in omnibus Festis, quae celebrantur inter Pascha et Pentecosten." Idem etiam servandum est in Missis votivis, uti per se patet, et ordinatur in Missali ante Missas votivas. Cf. Missa votiva de S. Maria, *a Pascha usque ad Pentecosten.*

Praefata Rubrica intelligenda est de Missis quae in ipso Missali non ordinantur pro Tempore Paschali: quae enim ita ordinantur, hoc Tempore legendae sunt prout jacent, etsi in aliquo discrepant ab hac Rubrica, quatenus v. g. non unum sed duo *Alleluia* adduntur ad Offertorium, aut Communionem, ut animadvertere est in Communi Martyrum Tempore Paschali, 1° *loco.* Nihil autem refert an agatur de Festis occurrentibus aut de translatis.

Quod ad Evangelium attinet, legendum est ut in Officio, sive sit proprium Festo, sive Tempori Paschali. Cf. *Tom. I, p. 404, 5,* et *p. 423 sqq.,* ubi vel in specie dicitur quaenam Missa sit dicenda in casu translationis quorumdam Festorum, vel saltem indicatur an LL. 3 Noct., et consequenter Missa, sumendae sint ex 1° aut 2° loco.

ARTICULUS III.

COMMUNE SANCTORUM ETC.

Cum Missa dicenda sit secundum Missale Romanum (*p.* 2), et secundum peculiarem concessionem, cumque omni Festo, assignari soleat Missa plus minusve propria, palam est, Missam non posse pro arbitrio sumi de Communi. Si autem celebretur Festum, v. g. de S. Patrono, cui nulla assignatur Missa, tunc sumitur de Communi, e 1° aut 2° loco, prout videtur magis convenire Sancto; sed semper eadem Collecta, idem Evangelium dicenda sunt in Missa ac in Officio. Cs. Guyet *l. 3, sect. 4, l. 23, q. 3.*

Commune Missalis eodem modo dividitur ac Commune Breviarii, excepto quod, praeter Missam in Vigilia unius Apostoli dicendam, non habetur Commune SS. Apostolorum: pro Festis enim Apostolorum et Evangelistarum omnia ponuntur in Proprio Sanctorum. Post Missam de Vigilia unius Apostoli, sequitur Commune *a*) unius Martyris Pontificis, 1° et 2° loco, — et *b*) unius Martyris non Pontificis, 1° et 2° loco — *c*) Martyrum Tempore Paschali, nempe 1° pro uno, et 2° pro pluribus Martyribus, cum iisdem Orationibus, quae ponuntur ad Commune eorumdem extra Tempus Paschale — *d*) plurimorum Martyrum, extra Tempus Paschale, 1°, 2° et 3° loco, subjectis sex aliis Epistolis cum quinque Evangeliis — *e*) Confessoris Pontificis, 1° et 2° loco, cum 2 aliis Epistolis et Evangeliis — *f*) Doctorum cum altera Epistola — *g*) Confessoris non Pontificis, 1° et 2° loco, subjecta alia Epistola cum Evangelio, et Missa pro Abbatibus — *h*) Virginum, scilicet pro Virgine et Martyre, 1° et 2° loco, pro pluribus Virginibus et Martyribus, pro Virgine tantum 1° et 2° loco, pro (Femina) Martyre non Virgine, pro nec Virgine nec Martyre, addita Epistola pro Viduis — *i*) tandem Commune Dedicationis Ecclesiae.

Sequuntur Missae votivae, ut *p. 61 sq.;* deinde Orationes *ad diversa;* quatuor Missae pro Defunctis, cum Orationibus pro iisdem; Variae Benedictiones; Orationes dicendae in consecratione Episcopi, necnon in collatione SS. Ordinum, aliaque ut *p.* 2.

Adnotanda de praedictis. 1. Post Commune unius Martyris Pontificis 2° loco, legitur sequens Rubrica: „Epistolae et Evangelia pro Pontifice et Martyre assignata, legi

possunt etiam pro Martyre Pontifice; et quae infra de Martyre non Pontifice habentur, etiam pro Martyre Pontifice. Et similiter quae in una Missa de eodem Communi ponuntur, dici possunt in aliis Missis de eodem Communi.“ Similis Rubrica legitur ante Missam pro pluribus Martyribus, Tempore Paschali. Per illam Rubricam non indulgetur ut quisque possit, pro arbitrio, sumere praefata Evangelia et Epistolas; sed declaratur ea non ita esse propria Missae *Statuit*, aut *Sacerdotes*, ut nunquam possint dici in Missis *Laetabitur*, *In virtute*, de eodem Communi, quasi diceretur: nihil obstat quominus Festo, quod in Officio habet Evangelium *Si quis venit ad me*, assignatum Missae *Statuit*, pro uno Martyre Pontifice, tribuatur Missa *Sacerdotes*, servato tamen Evangelio *Si quis venit*, sicuti fit die 13 Jul., in Festo S. Anacleti, Papae et Martyris. Juxta Guyetum, *lib. 3, c. 23, q. 4,* idem dicendum est de Communi Confessorum.

2. De Confessoribus, de Virginibus, et non Virginibus, non habetur Commune pro Tempore Paschali, hocque Tempore Missa de iisdem dicitur juxta Rubricam datam *p. 467,* quae in Missali etiam apponitur post Commune Martyrum Tempore Paschali.

3. Missa *Dedicationis Ecclesiae* eadem dicitur in die Consecrationis ac in Anniversario, exceptis Orationibus; imo, in Consecratione altaris. Quando Ecclesia, in qua celebratur, non est consecrata, tunc omittitur parenthesis in Secreta. De servandis in Consecratione Ecclesiae aut altaris, vid. monita, tradita *pag. 201 sq.*

4. *Pro gratiarum actione* dicitur Missa, vel de S. Trinitate, vel de Spiritu S., vel de B. Maria, additis, sub una conclusione, Orationibus propriis quae traduntur post Missam votivam de S. Trinitate (*p. 61*). An semper Oratio pro gratiarum actione dicenda sit sub unica conclusione, non consentiunt AA. Communiter tamen docent eam esse dicendam sub unica conclusione, in Missa solemni tantum; et duplicem allegant rationem: *a*) quando Orationes concluduntur sub unica conclusione, hoc fit propter solemnitatem, qualis non habetur in Missis privatis, et *b*) haec clausula, *sub unica conclusione,* primum addita fuit sine Superiorum facultate. Cf. Deherdt, *p. 1, n. 12 fin.* et S. Lig. *l. 6, n. 423.* Spectato solo numero Auctorum, non quidem liceret a praefata sententia recedere; si autem attendatur

intrinsecum fundamentum, probabilior, ne dicatur vera, apparet opposita sententia, quam tenet et tuetur Quarti *p. 1, tit. 7, d. 4* (quamvis juxta priorem resolverit *l. c. tit. 4, d. 1 fin.*). „Opposita tamen sententia, inquit, mihi videtur absolute vera, et omnino sequenda, nempe etiam in Missis privatis Orationem illam pro gratiarum actione conjungendam esse cum prima de Trinitate sub eadem conclusione, quando Missa principaliter dicitur pro gratiarum actione.“ Ad quod probandum arguit tum ex ipsa Rubrica, quae nullam insinuat distinctionem (*cf. p. 380*), tum ex ipsa rei natura. Deinde refellit duo argumenta in contrarium allata. Adverti potest Orationem pro Ordinatis etiam praescribi dicendam *sub unica conclusione*, absque ulla distinctione inter Missam solemnem et privatam.

5. Missa votiva de SS. Apost. Petro et Paulo, „Tempore Paschali dicitur ut in Festo S. Marci, 25 Apr., praeter Orationes, Epistolam et Evangelium, quae dicuntur ut alio Tempore.“ *Rub. pec.*

De aliis Missis votivis, de Missis Defunctorum, sufficiunt dicta *sect. II, tit. IV et V.*

De Benedictionibus regulae generales traduntur *p. IV,* et ideo de iisdem hic pauca sunt dicenda. Benedictiones ad finem Missalis positae, duplicis sunt generis, ratione Ministri: aliae fieri possunt a quocumque Sacerdote; aliae reservantur Episcopis, et facultatem habentibus. *Prioris generis* sunt benedictiones Aquae, Agni, Ovorum, Panis, novorum Fructuum, cujusque comestibilis, Candelarum extra diem Purificationis, Loci, Domus novae, Thalami, novae Navis. *Posterioris generis* sunt Benedictiones sacerdotalium indumentorum in genere, Mapparum altaris, Corporalium, Tabernaculi, id est, vasculi pro asservanda S. Eucharistia.

I. De Aquae benedictione [1] et aspersione, sequentia sunt notanda. „Die Dominica [2] in Sacristia praeparato

1) Triplex distinguitur aqua benedicta, videlicet: aqua fontis, aqua benedicta communis, et aqua ab Episcopo benedicta pro consecratione aut reconciliatione Ecclesiae.

2) *Die Dominica.* „Hoc autem introductum fuit, tum ob Mysterium, videlicet, ad renovandam singulis Dominicis memoriam Sacramenti Baptismi, quod olim in Dominica tantum Resurrectionis et Pentecostes conferri solebat; tum ut ipsa aqua benedicta purior servetur.“ Quarti, *de Benedictionibus, tit. 3, d. 4.* „Haec aquae cum sale mixtae benedictio, et Populi christiani cum ea aspersio, juxta AA. non paucos, ab ipso Apostolorum

sale [1] et Aqua benedicenda, Sacerdos celebraturus Missam, vel alius ad id deputatus, alba vel superpelliceo indutus cum stola circa collum, primo dicit Vers. *Adjutorium* etc. Deinde absolute incipit exorcismum salis...“ *Rub.* Duae tamen sunt Dominicae, in quibus omittitur benedictio Aquae: „In die Sancto Paschae et Pentecostes, ubi est fons Baptismalis, fit aspersio cum aqua pridie benedicta in fonte Baptismi et ante infusionem Olei et Chrismatis accepta.“ *Rub.*

Adnotationes. 1. *Die Dominica.* Tam in Missali, quam in Rituali ordinatur ut die Dominica renovetur Aqua benedicta. Unde Merati, Cavalieri, aliique damnant usum omittendi hujusmodi renovationem. „Absque culpa, inquit Romsée, haec benedictio et populi aspersio omitti nequeunt, cum quasi pertineant ad Missae principalis substantiam, uti benedictio Cereorum in die Purificationis, Cinerum et Palmarum suis respective diebus.“ *Tom. III, a. 24 fin.* Haec benedictio etiam agitur in Oratoriis publicis, ut dictum est de benedictione Cinerum etc.

Missale loquitur de casu quo benedictionem sequitur solemnis populi aspersio, et tunc benedictio facienda est in Sacristia, quia, juxta Cav. *tom. 4, dec. 369, n. 7,* quando aspersio fit solemniter, etiam praecedens benedictio solemniter fieri deberet, quoties in Ecclesia facienda foret. Rituale vero generatim determinat locum pro Aqua benedicenda, et assignat Ecclesiam vel Sacristiam: cum alterutrum permittit, hoc intelligendum est, *servatis servandis.* Unde quando subsequitur aspersio solemnis, benedictio fit juxta Missale, in Sacristia; quando autem Aqua benedicitur absque illa aspersione, sive in Dominica, sive infra hebdomadam, tunc benedictio fit, pro arbitrio, in Ecclesia aut in Sacristia. Nequaquam igitur Rituale pugnat cum Missali; sed in hoc habetur specialis dispositio, quae non exprimitur in Rituali. Cf. Cav. *l. c. Ibidem,* docet dispo-

tempore erat in usu; praecepta autem fuit Ecclesiae saeculo secundo vix inito, ab Alexandro I, ut constat ex libro Pontificali et ex multis Autoribus...“ Gardell. *ad n. 4523, 11.* „Verius, inquit Cav. *tom. 4, c. 23,* a Gentilium ritu haec aqua suam ducit originem, quae propterea *lustralis* dicitur, eo quod purgationis causa, a Sacerdote aspergebatur super victimas et super populum, templa ingredientem.“

1) Ritus benedicendi et miscendi salem cum aqua desumptus est ex *IV Reg. II, 21.* Deherdt, *p. 5, n. 38, III.* *Ibidem* variae traduntur rationes mysticae hujus Ritus.

sitionem Missalis, de loco benedictionis Aquae, non debere servari in minoribus Ecclesiis. Sed secus dicendum ex Mem. Rit. *tit. 1, c. 2, §. 1, n. 2 et 7, et tit. 3, c. 3, n. 3 et 5.* — Dispositio Ritualis non videtur ita stricte intelligenda, ut nunquam liceat Aquam benedicere extra Ecclesiam aut Sacristiam. Mer. cum Quarti.

2. *Praeparato sale,* jam benedicto aut benedicendo. Juxta Rituale, sal semel benedictum pro Baptismo, alias ad eumdem usum deservire potest. Pariter, ex dec. 8 Apr. 1713, n. 3704, 3, sal jam exorcizatum pro Aqua benedicenda, servari potest ad eumdem usum.

3. *Cum stola* religata in modum Crucis, vel soluta a collo pendente, prout Benedicens utitur alba vel superpelliceo *(p. 190, 2),* id est prout benedictio fit a Celebraturo Missam, aut ab alio. Juxta Cavalieri, *l. c. n. 5,* „idcirco Missale consulto abstinet ab assignando colore; ut videlicet usurpetur violaceus, qualem postulat Ritus poenitentiae, si benedictio fiat a non celebraturo sequentem Missam, color vero Missae conveniens, si fiat a Sacerdote facturo sequentem Missam, cum qua unam veluti functionem integrat in casu pariter praedicta benedictio. Rituale autem colorem ad benedictionem assignat determinate violaceum, quia supponit eamdem fieri ab alio Sacerdote, cui propterea et determinate assignat superpelliceum et non albam.“ — Infra benedictionem manus tenentur junctae. Ad *Oremus* congruit ut caput Cruci inclinetur, si Sacerdos sit prope illam.

II. *Aspersio.* „Finita Benedictione, inquit Rubrica, Sacerdos celebraturus (1), indutus pluviali (2) coloris Officio convenientis (3), accedit (4) ad altare, et ibi ad gradus cum Ministris genuflexus, etiam Tempore Paschali, accipit a Diacono aspersorium, et primo ter aspergit altare, deinde se, et erectus Ministros, incipiens Antiphonam *Asperges me.* Et Chorus prosequitur *Domine hyssopo,* etc. Interim Celebrans aspergit Clerum (5), deinde populum, dicens (6) submissa voce cum Ministris Psalmum *Miserere mei Deus.*“ Dominica autem de Passione et Palmarum „non dicitur *Gloria Patri,* sed post Ps. *Miserere,* repetitur immediate Antiph. *Asperges me* ... Tempore Paschali, scilicet a Dominica Paschae usque ad Pentecosten inclusive, cantatur Antiph. *Vidi aquam* (7)... Finita Antiphona (8), Sacerdos, qui aspersit aquam, reversus ad altare, stans (9) ante

gradus altaris, junctis manibus, dicit Vers. *Ostende nobis, etc.*“ *Rub.*

Adnotanda. (1) *Sacerdos celebraturus.* Abusus quo aspersio fiat per Sacerdotem, a Celebraturo Missam diversum, adversatur tam Missali, quam Caeremoniali Episc. et non semel fuit a S. R. C. reprobatus. Cf. dec. 7 Nov. 1632, n. 821, et alia cit. ap. Deherdt. „Ubi autem non cantatur Missa, aquae aspersio fiet ante Missam Conventualem respective, vel Parochialem, quae Conventualis vicem gerit.“ Cav. *l. c. d. 370, n. 2.*

(2) *Pluviale.* „Sacri Ministri respective induunt dalmaticam et tunicellam, vel planetas plicatas, juxta temporum diversitatem, sed sine manipulis...“ Cav. *l. c. d. 271, n. 1.* Cf. Caer. Ep. *l. 1, c. 15, n. 14.*

(3) *Coloris Officio convenientis.* Aspersio enim est quasi pars Missae integrans *(p. 470)*, adeo ut Missa cum Aspersione unam faciat functionem veluti continuam. Supponitur, celebrari Missa de die: agitur enim de Missa Conventuali, die Dominica. Si tamen aspersio fiat ante Missam votivam solemnem, in colore diverso celebrandam, tunc paramenta sint coloris convenientis Missae. Cav. *l. c. n. 6.*

(4) *Sacerdos*, capite cooperto, medius inter Ministros *(p. 431), accedit ad altare,* et ibi, tradito birreto alicui Ministro, *ad gradus*, id est, in infimo gradu (Caer. Ep.) *genuflexus, accipit a Diacono aspersorium,* servatis debitis osculis *(p. 241)*, si Venerabile non sit expositum *(p. 379); et,* capite aperto, sinistra ad pectus, intonando Antiphonam (Caer. Ep.), *primo ter aspergit altare*, seu ex communi usu, ejus scabellum, uti advertit Deherdt. Juxta hanc expositionem, quae concordat cum Caer. Ep. *l. 2, c. 31, n. 3*, verba Missalis, *incipiens Antiph.* referuntur ad id quod praecedit, ita ut sensus sit: *Incipiens Antiph., primo ter aspergit altare.* Cs. Cav. *l. c. d. 370, n. 5 sq.* cum Merati contra alios. Adde: hunc Ritum convenire cum eo qui servatur cum asperguntur Candelae, Cineres et Palmae. Cs. Romsée. Ratio autem cur verba, *incipiens Antiph.*, rejiciantur ad finem, ea esse potest ut ita proxime praecedant quae sequuntur in Rubrica *Et Chorus prosequitur* etc. *Aspergit* autem in medio, versus cornu Evangelii, et ultimo versus cornu Epistolae. Mer. etc.

(5) *Celebrans,* accedendo per cornu Epistolae, et revertendo per cornu Evangelii, juxta dec. 7 Dec. 1844, n. 4838,

facta reverentia, *aspergit Clerum*, ut sequitur: singillatim Decanum et singulos Canonicos, atque reliquos Clericos, si sint in parvo numero: si vero in magno numero, omnes unico ictu quasi in gyrum. Deinde populum ter, in medio, a dextris, et a sinistris. Hic modus traditur dec. 27 Sept. 1698, n. 3344, 4. Cav. *l. c. d. 371, n. 7,* pronunciat consuetudinem Ecclesiarum esse servandam. Et juxta ipsum, *n. 8,* Celebrans aspergit populum, pro more Ecclesiae, vel procedendo per principalem navem, vel in aditu Chori, si est ante altare, vel juxta cancellos Presbyterii, aut in ipso Presbyterii ingressu. De hoc judicandum est juxta dicta *tom. I, de vi Decretorum S. R. C.* et *consuetudinis in liturgia.* Post quamlibet Aspersionem tam generalem quam individualem, fit reverentia a Celebrante. Cav. *l. c. n. 6 fin.* Notandum est non requiri ut aqua ad singulos pertingat, et sufficere ad fructus Aspersionis percipiendos, si aqua ad omnes dirigatur, quamvis non omnes tingantur. Si Episcopus sit praesens, asperso altari, aspergillum ei defertur a Celebrante, ut traditur in Caer. Ep. [1]. Aliis autem, etiam Diacono et Subdiacono, Canonicis, et Dominis loci, non est offerendum aspergillum ut ex eo sumant aquam, sed haec ipsis danda est ut aliis per aspersionem. Dec. cit. 27 Sept. 1698, n. 3344, *in Leodien. 1, 2 et 3.* Cf. alia dec. ap. Deherdt, *cit. h. l.* Unde introducenda non est istiusmodi consuetudo; ubi tamen viget, quamvis per se vim non habeat contra Rubricas et Decreta, non est imprudenter abrumpenda. Neque introducenda videtur praxis, quam tradit Merati [2].

1) Celebrans, altari asperso, eique facta debita reverentia, „dum Cantores prosequuntur Antiphonam cum suis Responsoriis, comitatus a Caeremoniario, et Acolytho cum vase aqua benedicta pleno, accedit ad Episcopum, cui aspersorium osculatum, cum debita reverentia et osculo manus, porrigit; ipse vero Episcopus primo seipsum, deinde Sacerdotem celebrantem, postea assistentes, et solii Ministros aspergit, et statim eidem reddit aspersorium, qui primo manum, deinde illud osculatur *(p. 242),* et rediens ad altare, Diaconum, et Subdiaconum paratos, deinde Canonicos, Beneficiatos, et Clericos ex utraque parte Chori, omnesque alios in Choro permanentes et populum asperget......« Caer. *l. c.*

2) „Juxta Merati, *p. 4, tit. 19, n. 21,* Princeps supremus et Principissa in loco suae jurisdictionis temporalis ante omnes alios sunt aspergendi cum debita inclinatione ante et post aspersionem. Item, juxta quosdam, quisque magnus Princeps asper-

(6) *Dicens Psalmum* Miserere, *cum Ministris.* Juxta Merati, Celebrans recitat etiam cum Ministris totam Antiphonam; sed recte docet Cavalieri, *l. c. d. 371, n. 9,* spectata Rubrica, Antiph. esse recitandam a solo Celebrante, dum aspergit altare et Ministros. Psalmus recitatur partim aut integre pro duratione Aspersionis, et concluditur per *Gloria Patri,* exceptis Dominicis Passionis et Palmarum.

(7) De Psalmo *Confitemini* a Celebrante recitando infra Aspersionem, Tempore Paschali, ita docet Cavalieri, *d. cit. n. 10.* „Meratus congruum esse asserit, quod si Ps. *Confitemini* memoriter sciatur, eo tempore ut supra totus recitetur a Celebrante alternatim cum Ministris; nos vero recitari debere dicimus: et quatenus mandatus memoriae non habeatur, non propterea dicitur Ps. *Miserere,* sed dumtaxat Antiphona *Vidi aquam,* cum primo Vers. Psalmi *Confitemini,* prout etiam dicuntur in Choro."

(8) *Finita Antiphona.* Unde integra Ant. et non ejus tantum prima verba repetuntur.

(9) *Stans ante gradus altaris, manibus junctis,* Ministris librum tenentibus, nisi ponatur super legile, *dicat Vers.* etc.

PARS IV.

DE RITUALI ROMANO.

Prooemium: Excellentia et obligatio Ritualis Romani, materia tractanda, et divisio Ritualis.

I. *Excellentia et obligatio.* 1. Excellentia Ritualis Romani profecto meis encomiis non est extollenda: quae enim sit praestantia hujus libri, legenti patebit; quin hujusmodi praestantia ejusque auctoritas potest tuto *a priori* affirmari, reflectendo hunc librum esse opus Ecclesiae, magno cum

gendus est post Ministros sacros ante Chorum. Juxta Mer. *loco cit.* etiam magistratus et minores domini asperguntur post Chorum ante populum cum debita inclinatione. Optimum est in similibus servare consuetudinem receptam..." Deherdt, *h. l. n. 38, VI, 6°.*

studio et cura elaboratum atque custoditum, in eoque contineri traditiones catholicas, praecepta, atque salutaria, piaque S. Matris monita. Cf. D. Hallez, *Plans d'instructions sur les Sacrements, pag. 9,* Fornici, *p. 3, c. 2,* Hazé, *p. 3, §. 1,* et not. 1 infra.

2. Circa ejus obligationem, id est circa obligationem *Rituum* seu *Caeremoniarum,* quae in eo traduntur, tres occurrunt quaestiones, nimirum: 1ª An obligent in conscientia? 2ª An limitentur ad Provinciam seu Dioecesim Romanam, vel potius extendantur ad universam Ecclesiam Latinam? 3ª An consuetudines, eis contrariae, munitae sint consensu legali, ita ut valeant praescriptionem inducere? Prima et tertia quaestio solvuntur *part. I,* scilicet: 1ª *pag. 9 sqq.;* 3ª *pag. 48 sqq.,* ubi traditur Bulla Pauli V, *Apostolicae Sedis,* quae praefigitur Rituali.

Ad 2am quaestionem quod attinet, spectata praefata Bulla, argumentisque allatis *l. c. p. 50 sq.,* respondendum est praedictos Ritus extendi ad universam Ecclesiam Latinam. Etenim 1° in dicta Bulla, *a)* Ritualis Romani Ritus vocantur *sacri et sinceri Catholicae Ecclesiae Ritus, qui in Sacramentorum administratione aliisque ecclesiasticis functionibus servari debent ab iis qui curam animarum gerunt; b)* hujus voluminis praescriptum multitudini Ritualium opponitur, atque iis, qui curam animarum gerunt, exhibetur tanquam publica et obsignata norma, juxta quam sua ministeria peragant, unoque ac fideli ductu inoffenso pede ambulent cum consensu; *c)* Paulus P. V. declarat illud sub nomine *Ritualis Romani* merito esse edendum, quia *in eo receptos et approbatos Catholicae Ecclesiae Ritus suo ordine digestos* conspexit: unde sequitur hoc Rituale nuncupari Romanum, eodem sensu quo Ecclesia, quo Liturgia dicitur Romana [1]. Cf. ultima verba Bullae.

1) »Sane Rituale Romanum ita appellatur, quia Ritus continet, quibus Ecclesia Romana, seu Universalis, utitur, quique Romae servantur tanquam Ecclesiae Apostolicae proprii, in qua, ut inquit Augustinus *Epist. 157, semper viget Apostolicae Cathedrae Principatus;* et ut longe ante ipsum docuit S. Irenaeus, *lib. 3, c. 3, ad hanc Ecclesiam* (nempe Romanam), *propter principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam.* Periculosum itaque esset a ritibus, a Romana Ecclesia, omnium Matre et Magistra, praeceptis recedere, atque hic omnia, ut praescribuntur, servanda sunt: Ecclesia enim Sancto directa Spiritu nihil sine ratione, nihil frustraneum praescripsit, et ad finem aliquem religiosum

2° Argumenta, quae, *tom. I*, adducuntur ad probandum consensum legalem denegari consuetudini quae Rubricis Ritualis Rom. adversatur, etiam ostendunt easdem Rubricas non limitari ad Provinciam Rom., sed afficere universam Ecclesiam Latinam. Cf. Gard. cit. in not.

Advertendum est tres praefatas quaestiones et solutiones non respicere universum Rituale Rom., sed ejusdem Ritus et Caeremonias de quibus agitur in Bulla Pauli V. Dictae enim solutiones non possunt modo absoluto applicari ad alia quae continentur in Rituali. Equidem Instructiones et Leges Canonicae, quae ibi habentur, universalem Ecclesiam respiciunt; sed non possunt dici aeque resistere consuetudini aut moderationi; et circa hoc, resolvendum est pro subjecta materia. Cf. pt. dec. 2 Mai. 1626, n. 482.

Corollaria. 1. Rituale Romanum non potest mutari ab Ordinariis locorum: sed per eosdem urgenda est illius observantia *(tom. I, p. 50)*. Unde Paulus V in sua Bulla, omnes, ad quos spectat, adhortatur, ut, *in re tanti momenti, quae Catholica Ecclesia instituit, inviolate observent.*

2. Quando in Dioecesi vigent usus Rituali Rom. adversi, Ordinariorum est examinare (consulta S. Sede, si id visum fuerit opportunum, juxta dicta *tom. I, pag. 31 not.*), quando, et qua ratione tollendi sint aut tolerandi, saltem si agatur de usu generali Dioecesis. Ad eosdem Ordinarios pertinet, pro sua prudentia, providere ut istiusmodi usus seu abusus tollantur vel ad tempus serventur, juxta mentem S. Sedis. Cf. dicta *tom. I, p. 52, et 99 sq.* Cui propositioni nequaquam obstant duo S. R. C. decreta, videlicet 22 Mai. 1841, n. 4779, 3, *in Trecen.*, et 10 Jan. 1852, n. 5028, 4, *in Cenomanen.:* haec enim decreta non contradicunt nostrae propositioni, ut legenti patet.

3. Circa usus particulares agendum est, juxta dicta *tom. I, p. 55 sq.*

II. *Materia tradenda et divisio Ritualis.* 1. In hac parte non exscribitur integer textus Ritualis Romani: tum quia multa continet quae ad nostram provinciam non pertinent, ut Leges Canonicae et Instructiones non paucae; tum quia

omnia instituit, omnia ad divini cultus majestatem, ad spirituale filiorum bonum, pia Mater instituit...« Ita adnotatur ad S. R. C. dec. 27 Aug. 1836, n. 4631, ubi, *ad dub. 1:* „Utra pedum pars, superior-ne an inferior, ungenda sit in Sacramento Extremae-Unctionis?« Responsum est. „Nihil innovandum.«

Lector supponitur ad manum habere hunc praecellentissimum librum, qui hodiedum comparari potest exiguis expensis. Quod vero attinet ad expositiones sensus mystici caeremoniarum, eae silentio praetermitti hic possunt absque damno Lectoris, cum aliunde facile haberi possint: hae siquidem caeremoniae perfectius exponuntur in Catechismo Romano (ad quem remittit ipsum Rituale, *sect. 1, §. 1, verb. In Sacramentorum*), et in cit. Institutionibus nuper editis a Canonico D. Hallez, juxta dictum Catechismum. Itaque, pro nostro scopo, illae tantum traduntur Rubricae Ritualis Rom., quae aliqua indigent expositione, et illae subjiciuntur adnotationes, quae ad Liturgiam plus minusve spectant.

2. *Divisio Ritualis Rom.* Dividitur in varios titulos, nullis tamen numeris distinctos. Spectata vero ejus materia, dividi potest in 4 sectiones, scilicet 1. de Sacramentis, 2. de Benedictionibus, 3. de Processionibus, quas sequuntur quaedam Preces et Exorcismi, 4. de Formulis scribendis in libris apud Parochos habendis. Sectiones subdividuntur in §§. et hi in titulos. Tituli autem de quibus nihil occurrit adnotandum, silentio praetermittuntur. Loca, ad quae apponuntur adnotationes, designantur per prima verba, *typis italicis* praenotata.

SECTIO I.

DE SACRAMENTIS.

Titulus generalis. De iis, quae in Sacramentorum administratione generaliter servanda sunt.

Notandum est in Rituali agi tantum de quinque Sacramentis quorum administratio ad Parochos spectat.

1. *In omni* superpelliceum, quod hic praescribitur pro *omni Sacramentorum administratione,* differt a rochetto *(p. 216),* neque hoc adhiberi potest loco illius (cf. pt. dec. 12 Nov. 1831, n. 4523, 22, et 10 Jan. 1852, n. 5029, 5), saltem seclusa consuetudine. Sed ubi viget talis consuetudo, ea tolerari posse videtur juxta dec. 27 Feb. 1847, n. 4919, *in Massen.*

2. *Nisi in Sacramento Poenitentiae ministrando occasio, vel consuetudo, vel locus interdum aliter suadeat.* Cum Rubrica loquatur de *omni* Sacramentorum administratione et excipiat tantum Poenitentiae Sacramentum, sequitur praxim

alia Sacramenta, extra necessitatem, administrandi absque superpelliceo aut stola esse abusum. Cf. a Lig. *de Ext. Unct. n. 726.*

3. *Adhibebit... Clericos... superpelliceo indutos.* De superpelliceo induendo vel non a laicis, dicitur *p. 223.*

Dum Sacramentum, 1° *clara voce* etc. Sub clara voce comprehenditur tam alta quam submissa *(p. 162),* et alterutra pronunciatur pro natura Sacramenti; imo in Sacramento Poenitentiae, ita submittenda est vox ut sit quasi secreta, nec a circumstantibus intelligatur. — 2° *Omnia recitabit ex libro.* Attamen „forma administrandi Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta adeo est a Sacerdotibus usitata, ut non opus sit libro, ut ex eo illorum formae legantur." Catal. *h. l. n. 3.* Quod caeterum insinuatur in ipso textu: *nec memoriae... facile confidet.*

§. I. DE SACRAMENTO BAPTISMI RITE ADMINISTRANDO.

Tit. I. De Materia, Forma, Ministro, de Baptizandis parvulis (seu de Subjecto), *de Patrinis, de Tempore et Loco, de sacris Oleis aliisque requisitis.*

I. *De Materia.* 1. *Aqua vero solemnis Baptismi.* Hic nominatur tantum aqua *solemnis* Baptismi; nihilominus etiam in Baptismo, qui privatim a Sacerdote confertur, adhibenda est aqua Fontis, ut habetur infra ubi de Baptismo in necessitate collato.

2. *Si aqua.* Per admixtionem in minori quantitate tota aqua evadit benedicta, juxta adagium: *major pars trahit ad se minorem.* Ideo nulla ponitur limitatio quoad vices, et hujusmodi admixtio renovari potest, quoties occurrit necessitas. Cs. Cav. *t. 4, d. 368, n. 5.*

Quamvis verba, *admisceri potest,* per se meram exprimant facultatem, nec proinde adimant facultatem eligendi inter admixtionem et novam benedictionem aquae, nihilominus in casu non videtur posse fieri nova benedictio: fieret enim absque ratione et contra mentem, sin minus contra praeceptum Ritualis, ubi benedictio Fontis extra tempora praescribitur in solo casu necessitatis, quando nempe aqua Baptismalis est corrupta, vel ita deficit ut alia obtineri nequeat per alterius admixtionem. Cs. adnot. ad dec. 23 Sept. 1837, n. 4672, 3.

II. *De Forma Baptismi.* 1. *Quoniam,* etc. Quidam AA. ut Busembaum, S. Lig., *n. 109 et 112 de Bapt.,* Giraldi (*de*

pot. Par. p. 2, c. 18, n. 48), Gury, *n. 151*, docuerunt particulam, *Amen*, pertinere ad Formam. Frustra perquisivi dictam particulam tum in cap. *Firmiter*, tum in Trident. *sess. 7, can. 4,* citatis a S. Lig.; pariter nullam reperi editionem Ritualis Romani, in qua praedicta particula adjiciatur. Unde non solum *potest*, sed *debet* omitti. Cs. dec. 9 Jun. 1853, n. 5052, 2. Praefati AA. eam forte deprompserunt ex Ritualibus particularibus, vel ex mendosa editione Ritualis Rom.

2. *Cum Baptismum iterare.* Ex hoc textu patet fundamento carere eorum opinionem, qui docent universim rebaptizandos esse, saltem apposita conditione, qui fuerunt baptizati a Laicis; palamque fit illud quod docet Ben. XIV, *de Syn. l. 7, c. 6, n. 4,* „improbandas esse Synodos, in quibus, generatim, et indistincte, iterum sub conditione in Ecclesia baptizari jubentur quicumque privatim fuere ab obstetricibus domi baptizati." Confirmari potest ex ratione qua Ecclesia se gessit respectu ad Baptismum, privatim collatum cuidam judaeo Bononiensi. Vid. *Univers, edit. semiquot.* 21 Oct. 1858 etc. Cf. S. Lig. *de Bapt. n. 136,* Confer. Eccl. *tom. 1, p. 254 sqq.*, et *Inst. ad obstetrices,* quae legitur ad calcem Tractatus *de Baptismo in novissima ed. Theolog. P. Dens.* Bene autem notanda sunt omnia verba Ritualis, nihilque decernendum est, nisi re diligenter et mature pervestigata. De hujusmodi investigatione, cf. Rit. Torn. *p. 10.*

Quandoque reperiuntur qui propriam praxim, personalem experientiam opponant doctrinae et disciplinae Ecclesiae, confundentes regulam seu praeceptum cum ejus applicatione. Ex eo quod ipsis nunquam constiterit aliquem a Laico fuisse rite baptizatum, fidenter concludunt, semper esse iterandum, saltem sub conditione, Baptismum a Laico collatum; sicque regulam generalem et absolutam deducunt ex circumstantiis particularibus, aperteque contradicunt doctrinae, disciplinae et praxi Ecclesiae. Ex ejusmodi experientia id deducere possunt: quando occurrunt circumstantiae quales sum expertus, Baptismus est iterandus, saltem sub conditione. Inde vero minime infirmatur praeceptum non iterandi Baptismum, *quando, re diligenter pervestigata, nullum subest prudens dubium de ejus valore.*

Quamvis autem experientia non valeat regulam generalem constituere, multum tamen confert ad debitam per-

agendam investigationem, ad dignoscendum quousque instructi sint et fide digni, qui baptizarunt, ac proinde ad recte judicandum de valore Baptismi. Unde juniores Sacerdotes, experientiae expertes, omnibus modis adhortor ut, in casu Baptismi a Laico collati, caveant ne solas suppleant caeremonias, inconsulto alio Sacerdote experientia docto, puta Parocho.

III. *De Ministro Baptismi.* Datur Minister solemnitatis et Minister necessitatis. Minister solemnitatis est ordinarius vel extraordinarius, v. g. Diaconus. Cf. S. Lig. *n. 113 sqq.*, et Dens *n. 12.*

IV. *De Baptizandis parvulis.* 1. *Opportune*, etc. Rituale non praefinit intra quot dies a nativitate ad Ecclesiam deferendi sint parvuli baptizandi, hocque determinari poterit ab Ordinario loci. Bened. XIV, *de Syn. l. 12, c. 6, n. 7,* et *Inst. 98, n. 3 sqq.* Caeterum, ait Catalani *h. l. n. 8,* in Dioecesibus Galliae communiter prohibetur Baptismus ultra tres dies protrahi. In nostra Dioecesi deferri debent saltem intra tertium diem a partu. — Pariter quamprimum supplendae sunt Caeremoniae Baptismi privatim collati. Cf. Bened. XIV, *Inst. 98, n. 13.*

2. *Nemo in utero matris clausus baptizari debet.* Non prohibetur ne unquam baptizetur infans, adhuc in utero matris existens, sed tantummodo quando in eo est *vere clausus,* ita scilicet ut nullatenus aqua tingi possit. „Certum est, inquit Bened. XIV, *de Syn. l. 7, c. 5, n. 2,* infantem in matris utero ita latitantem, ut nulla ejus pars aqua profundi queat, baptizari non posse, nec ei quidquam prodesse, quod nonnulli haeretici olim sunt arbitrati, si, ejus loco, matris corpus abluatur, quemadmodum *l. 6 contra Julianum c. 5* diserte tradit Augustinus, relatus *in Can. 114 de consecrat. dist. 4...* At quaestio est, an, reserato materni uteri ostio, quod puerperii initio contingit, valide baptizetur infans, cujus corpusculum, etsi nulla sui parte in lucem prodierit, aqua nihilominus, saltem per siphunculum tingi potest. Mirum est quantum in hac quaestione varient Doctores.“ Cf. S. Lig. *n. 107* et Dens *n. 23.* Cum autem S. Sedes nihil adhuc de hac controversia definierit, „ad Parochos pertinebit, prosequitur sapientissimus Pontifex *n. 6,* obstetrices instruere, ut, cum casus evenerit, in quo infantem, nulla adhuc sui parte editum, mox decessurum prudenter timeant, illum baptizent sub conditione, sub

qua pariter erit iterum baptizandus, si periculum evadat, et foras prodeat quemadmodum, post alios, faciendum monet Tournely, *in suis Praelection. de Sacram. Baptism. quaest. 3, art. 3.*"

3. *Si mater.* Mentio fit tantum de foetu extracto. Unde „si una cum matre moriatur in utero, nec extrahatur ab utero, tunc sepeliri potest una cum matre in loco sacro." Baruff. *tit. 7, n. 25.* Cs. Catal. *h. l. n. 5.*

V. *De Patrinis. Patrinis* etc. Baptizans non expresse excluditur ab Officio Patrini, uti fit pro patre et matre. Juxta Lacroix, *l. 6, p. 1, n. 353,* probabiliter potest esse Patrinus, si alius suo nomine prolem levet: id est, si alius respondeat prolemque suscipiat aut teneat.

VI. *De Tempore et Loco administrandi Baptismum.* De prohibitione Baptizandi extra debitum Locum, vid. S. Lig. *n. 142.*

1. *Quamvis Baptismus,* etc. *Tamen duo potissimum sunt dies, nempe Sabbatum S. Paschae, et Sabbatum Pentecostes.* „In iisdem Solemnitatibus, inquit Baruff. *h. l. n. 6 sq.,* quaedam verba inseruntur in Canone Missae ad Baptizatos spectantia. Quare, si in Canone mentio fit Baptizatorum, videtur consonum ut aliquo modo verificentur illa verba, et Episcopi vel Ecclesiarum majorum Dignitates advertant, ut de aliquo, sive infanti sive adulto Baptizando provideatur, juxta praescriptionem Caer. Ep. *l. 2, c. 27, n. 18,* quod vetat ne per octo dies antea, nisi periculum immineat, infantes baptizentur in ipsa Ecclesia." — De nocte, nullus baptizetur extra necessitatem.

2. *Itaque. Ipsis ita deposcentibus,* et accedente licentia Ordinarii. Baruff. *h. l. n. 19.* „Interim, ait Busembaum cum Laym. *ap. S. Lig. n. 140, de Bapt.,* quoad hoc in magnatibus et nobilibus connivetur in multis Locis." Et Lacroix, *n. 337,* docet attendendam esse Locorum et Temporum consuetudinem. Cf. S. Lig. *l. c. n. 118, not. 3.*

Bened. XIV, *Inst. 98, n. 13,* loquendo de casu hic non comprehenso, nimirum de Baptismo privatim collato ex ipsius licentia, haec tradit. „Excusantur, ait, illi qui facultatem ante obtinuerint a Nobis, vel a Vicario nostro Generali, ut privatim domi Baptismus conferatur; ac deinde exspectari debeat vir dignitate aut genere insignis, qui Patrini munere fungatur, aut alium Loco suo substituendum designet."

3. *Baptisterium.* „Si autem, ait Rituale Torn. *p. 17*, vas Fontis aeneum fuerit, stanno fusili ab interiori parte sit illitum, ne aqua aerugine inficiatur."

VII. *De sacris Oleis* [1], *et aliis requisitis.* 1. *Sacrum Chrisma.* Ex verbis *eodem anno*, satis apparet vetera Olea non esse adhibenda, seclusa necessitate, post Benedictionem novorum Fer. V [2] in Coena Domini; et verba, *ultra annum non utatur*, quae subsequuntur, intelligenda esse de anno qui incipit a praefata Benedictione et cum eadem desinit; non autem de Tempore quod intercedit inter unam et alteram Oleorum receptionem. Cf. statim dicenda, et Bened. XIV, *Inst. 81, n. 4*, ubi dicit tunc tantum admiscendum esse non benedictum, quando deficit priusquam recens Oleum ab Episcopo consecretur.

2. *Curet ut suo Tempore*, videlicet post novam Benedictionem, *quamprimum habeat*, id est, juxta sanctiones canonicas (ap. Cav. *t. 4, c. 26, n. 3,* et Giraldi, *expositio juris Pont. p. 2, sect. 199, pag. 422*), ante diem seu Solemnitatem Paschae. Cs. S. Thom. *p. 3, q. 72, a. 12, 3.* Cf. S. R. C. dec. 16 Dec. 1826, n. 4474, 4, *in Gandaven.*, et ea quae ibi notantur. Limita tamen si adsit necessitas, puta si ea obtineri nequeant „ob locorum distantiam, viarum difficultates et asperitatem, necnon ob aëris temporumque vicissitudines et intemperiem." Gardell. *l. c.* Ibi addit dilationis causam non posse peti ab inducta consuetudine, quae potius appellari debet abusus damnandaque corruptela.

Quaeritur an termini assignatio, per Ordinarium facta, sit sufficiens ratio ut distributio fiat post Pascha?

R. 1°. Affirmat Cavalieri *l. c. n. 6,* nixus Inst. 81 Bened. XIV, *n. 5,* „ubi — *sunt verba Cav.* — sapientissimus laudatus Pontifex universim praedictum *(Sabbatum in Albis)* indulget terminum." Cs. Gousset, *Th. mor. de Bapt. n. 107.*

R. 2°. Negat vero Giraldi *l. c.*, quia laudatus Lambertinus sacris Canonibus nec tunc (adhuc Archiep. Bononien.)

1) „Tria sunt sacra Olea, Catechumenorum scilicet, Infirmorum, et Chrismatis, et in hujus prae illis constitutionem intrat etiam balsamum, sive judaicum sit, vel indicum." Cav. *t. 4, c. 26.*

2) „Dies ille, inquit S. Thom. *l. c. adn. 2,* satis congruit ad materias Sacramentorum benedicendas, in quo fuit Eucharistiae Sacramentum institutum, ad quod omnia alia Sacramenta quodammodo ordinantur."

derogare poterat, neque postea, factus Pontifex, derogavit ullo decreto, aut constitutione in contrarium. Putamus adhaerendum esse Giraldo, verbaque Lambertini non esse intelligenda de generali et absoluta praefixione termini, quasi etiam comprehenderetur casus quo prius sacra Olea commode obtineri valeant. Et hoc eruitur tum ex contextu, ubi Parochos magnopere hortatur ut ea statim sibi procurent; tum ex n. 2 praeced. ubi docet Chrisma et Oleum necessario requiri ad benedicendum Fontem Sabbato Sancto. Confirmatur ex particula *quamprimum*, qua utitur Rituale.

In Ecclesia comburat, id est, „si quid remanserat in ampullis, ponitur in lampadibus Ecclesiae ante Sacramentum, ut comburatur; reliquum autem quod est in pyxidibus, sive capsulis cum bombyce, igni comburitur." Ita Pontif. Rom. post Bened. SS. Oleorum, *Fer. V in Coena Domini.* Cineres projiciuntur in Sacrarium.

3. *Veteribus Oleis, nisi necessitas cogat, ultra annum*, id est, post Benedictionem novorum, ut supra, *non utatur* [1]. Necessitas cogit, 1° si nova nullatenus haberi queant, v. g. tempore perturbationis (*p. 456*); 2° si, novis nondum acceptis, aliquis offeratur baptizandus, qui vita periclitetur. Quando autem abest hujusmodi periculum, tunc dubitatur an adhibenda sint necne vetera Olea. Et circa hunc casum, tres occurrunt quaestiones, seu hypotheses: 1ª, utrum baptizandus sit infans, ungendusque cum veteribus Oleis? 2ª, an baptizandus sit cum veteri aqua baptismali, dilatis unctionibus? 3ª, an differendus sit Baptismus?

In solvendis praefatis quaestionibus non conveniunt Autores. Cf. Lacroix, *l. 6, p. 1, n. 342.* S. Lig. *l. c. n. 141*, distinguit an exspectandum sit necne per notabile tempus, puta per 10 vel 11 dies. Nos existimamus ad easdem quaestiones respondendum esse ut sequitur. Ad 1am, *negative*: nam, ut supponitur, abest necessitas statim baptizandi, qualis requiritur ut vetera Olea possint, novis benedictis, adhiberi. Ad 2am, pariter *negative*, quia etiam deest ratio recedendi a consueto ritu. Proinde, ad 3am, *affirmative:* et, in casu Baptismus dici potest conferri *quam-*

1) Satis apparet hic initium et finem anni computari non a receptione, sed a benedictione novorum Oleorum. Etenim vix ac ne vix quidem, excogitari posset necessitas utendi veteribus, post novorum receptionem.

primum (*p. 481*), si ministretur, quando recipiuntur nova Olea, cum prius haberi nequeat debita materia.

Notandum est SS. Olea, cum recipiuntur peracta Fontis Benedictione, in eumdem privatim infundi, juxta dec. 12 Apr. 1755, n. 4103, 3. Certis quidem in locis viget praxis seu abusus, ut Parochi recepta nova Olea apud se retineant usque ad Dominicam sequentem, hunc in finem ut solemniter ea die ad Ecclesiam deferantur. Sed istiusmodi abusus ecclesiasticis sanctionibus adversatur triplici respectu: *a*) SS. Olea domi servantur absque necessitate; *b*) iste usus est novus et non solum sine legitima et ex privata auctoritate introductus, sed etiam a Sede Apostolica reprobatus; *c*) admixtio novorum Oleorum in Fontem differtur contra praeceptum Ritualis. Cf. dec. 16 Dec. 1826, n. 4474, 5, et quae ibi adnotat Collector.

4. *Ad usum.* Si *unum pro altero* sumptum fuerit, reparandus est error. Baruff. Quod praesertim est agendum, quando commode fieri potest, quia v. g. infans, dum animadvertitur error, adhuc in Ecclesia versatur. Cf. Reiffenst. *l. 1. Decret. tit. 16, n. 28 sq.*, necnon S. Lig. *de Ext. Unct. n. 709, dub. 2.* De usu virgulae in peragendis Unctionibus, dicitur infra *§. IV, tit. II.*

5. *Haec vascula.* Quis sit *locus proprius*, non hic expresse determinatur: procul dubio non est domus Parochi (cf. dec. 16 Dec. 1826, 3); sed magis proprius est capella Baptisterii. Ex praescripto Ritualis, servanda sunt *tuta custodia;* ideo locus est clave obserandus. Cf. pt. Pontif. Rom. ad finem Missae Fer. V in Coena Domini, ubi Presbyteri jubentur, *ut, juxta Canonum traditionem, Chrisma et Olea fideliter custodiant.*

6. *Parochus*, *quantum fieri potest*, nimirum seclusa necessitate, *curet*, etc. „Ubi notandum est, inquit Gardellini ad cit. dec. n. 4474, 2, quod non absolute praefata Rubrica excludit Laicos ab eorumdem delatione, sed monet tantummodo, ne Parochus Laico hujusmodi delationem demandet; quia quandoque contingere potest, praesertim in parvis Oppidis, ac Paroeciis ruralibus, pro administrando Sacramento Extremae Unctionis, ut alius non sit nisi Laicus, qui bursam cum Oleo infirmorum ad aedes infirmi deferat, impedito Parocho, necessitate urgente, spiritualia Ecclesiae subsidia in agone posito infirmo ministrante.“

Quae necessitas, juxta Catalani, *h. l. n. 4,* occurrere etiam potest in deferendis novis Oleis ad Parochum.

Per alium Ecclesiae Ministrum. Communis intelligitur constitutus in S. Ordine: nam, uti advertit Catalani, *h. l.*, Diaconus et Subdiaconus potissimum ac passim in Rubricis appellantur Ministri. Hinc Minister sacer ad hoc solet requiri per constitutiones dioecesanas, ut v. g. in antiquo Rit. Torn. *p. 31.* Cf. Bened. XIV, *Inst. 81, n. 5 sq.* Cav. *t. 4, d. 368, n. 4.*

7. *Stolae duae.* Juxta Catalani, *h. l.*, incredibilis est tanta Ecclesiarum paupertas ut haberi nequeant duae praefatae stolae. „Cum, inquit, incredibilis sit tanta paupertas, arguendi profecto sunt Parochi, qui, certe non propter stolarum penuriam varii coloris, una stola in Baptismi administratione utuntur, violacea ex una parte, et alba ex alia, sed potius propter commodum proprium...“ Et reipsa, praeterquam quod usus stolae duplicis coloris nullum habet fundamentum in Rubricis, aliunde etiam videtur rejiciendus, quatenus nempe color seu pars interior inutili usu teritur et sordescit.

8. *Ita paratus*, capite cooperto, manibusque junctis, ait Deherdt, *n. 5, I*, *accedat*, etc. Equidem menti Rubricarum se conformat qui accedit capite cooperto, manibusque junctis: attamen quoad hoc, secluso peculiari praecepto, servetur mos Ecclesiae.

Foris. Quare *foris* exspectetur, Catechismus Rom. explicat *p. 2, de Bapt. n. 62.*

Tit. II. Ordo Baptismi parvulorum. 1. Duplicis sunt generis interrogationes faciendae pro collatione Baptismi: aliae videlicet praecedunt, ut *tit. praec.*, aliae concomitantur, ut *h. l.* Procul dubio nullum habetur praeceptum ut priores fiant lingua latina, et peragendae sunt lingua quae ab interrogato intelligitur. De his quaestio est, *tit. III, v. Catechumenus.* Posteriores vero faciendae sunt lingua latina prout jacent in Rituali; diverso enim modo praecipiuntur fieri: priorum forma non indicatur, et tantum ordinatur ut Parochus, quantum videlicet opus sit, *interroget an sit suae parochiae* etc.; posteriores vero in propria forma traduntur, et Baptizans inducitur interrogans per verba *Quid petis*, etc. Cf. dec. 12 Aug. 1854, *in Lucionen.* ad 62, et 12 Sept. 1857 ad 17.

2. *Fidem* Catechumeni, ante Baptismi Sacramentum,

petunt ab Ecclesia, ex Apostolica traditione. Trid. *sess. 6, de Justif. c. 7 fin.*

3. *Deinde ter exsufflet,* non in modum Crucis. Baruff.

4. *Deinde imponat.* „Ista manus impositio sufficit, si fiat moraliter, et sit quasi impositio, nec tangatur caput baptizandi.“ Baruff.

5. *Deinde Sacerdos benedicit sal,* nisi habeatur antea benedictum in hunc usum (*p. 472*). De capite cooperiendo infra exorcismos nulla fit mentio in Rituali aut apud Baruffaldi aliosque. Unde, saltem secluso usu contrario, caput nunquam est cooperiendum infra Caeremonias Baptismi, juxta dicta *p. 197*.

6. *Postea Sacerdos imponit.* „Ista impositio extremae partis stolae est quaedam assecuratio ab omni daemonum insultu, et aliqua participatio fidelitatis.“ Baruff.

7. *Ac deinde antequam accedat ad Baptisterium,* videlicet, prope illud, dicat exorcismum, tangat aures et nares, sacramque unctionem peragat in pectore et inter scapulas. Et *subinde*, locis et pollice abstersis, mutataque stola, accedit ad Baptisterium, ibique facit interrogationes. Rituale non expresse determinat quo instanti accedendum sit ad Baptisterium: hujusmodi autem accessum faciendum esse ante interrogationes, ut exponimus, conficitur ex loco parallelo *tit. IV, de Baptismo Adultorum,* et ex Memor. Rit. *tit. 6, c. 2, §. 5, n. 5 sqq.* Cs. Rit. Tornac.

8. *Postea Sacerdos.* Juxta Baruff. Baptizans non tenetur ad dicendum verba, *quod est adaperire.* Sed haec opinio adversatur lectioni, quam exhibent editiones, etiam recentissimae Ritualis Rom., quas consului: in his namque illa verba iisdem exprimuntur typis ac praecedentia. Insuper nulla apparet ratio quare textus Evangelicus (*Marc. VII, 34*) truncaretur.

9. *Tunc Patrino ... infantem tenente.* De tangendo infante a susceptoribus seu Patrinis, vid. S. Lig. *n. 148*. Baptizans advertat ne aquam fundat antequam infans teneatur. Juxta Baruffaldi, infans tenetur faciem habens pronam supra vas in quod labitur aqua, ideo quod aqua non est infundenda super faciem, sed super verticem capitis. Alius tamen modus potest servari.

10. *Ubi autem.* Ab istis verbis usque ad haec, *si vero,* traditur modus baptizandi per immersionem. Cf. *tit. IV, h. l.*

11. *Deinde.* Haec unctio non fit in fronte, ne quidem

ab Episcopo (*tit. V*). Quare autem in Baptismo summitas capitis, et in Confirmatione Frons ungatur, explicatur in Catech. Rom.

12. *Si vero.* Rituale non declarat an plures possint simul baptizari, pro libitu, aut solum ex sufficienti causa; et solummodo tradit modum servandum, quando plures simul baptizantur. An autem hoc fieri possit absque ulla causa, AA. non consentiunt. Negat Baruffaldi, *h. l.* „Non nisi, ait, absque urgentissima causa, haec Rubrica et ejus regulae sunt adhibendae, nimirum in casu conversionis ad fidem multarum familiarum infidelium, et pene innumerabilium personarum......" Huic expositioni favet Rituale, dum pro adultis et non pro parvulis singillatim tradit ritum servandum cum plures simul baptizantur: sic enim insinuat illum casum pro parvulis non aeque evenire ac pro adultis, quos (seclusa ratione) convenit baptizare Sabbato S. Paschae aut Pentecostes. Addi potest hujusmodi Baptismum fieri praeter consuetum ordinem, et proinde permitti tantum ex proportionata ratione. Ut patronus ejusdem sententiae habendus est Catalani: nam 1° dicit ea, quae in hoc §. statuuntur, spectare ad antiquum Ecclesiae ritum; et 2° refert S. Caroli Borromaei verba juxta quae, infantes qui simul offeruntur, singillatim baptizandi sunt, nisi necessitas aliter cogat. Cs. antiqua Rit. Torn. *p. 35* et Camerac. *p. 37.* „Plures, inquiunt, simul, extra necessitatem, non baptizentur." Altera autem sententia affirmat, tum quia nulla ratio requiritur in Rituali, tum quia insolitum non est ut quaedam, ne repetantur, dicantur in numero plurali, ut v. g. Orationes pro Defunctis. Cuinam parti sit adhaerendum, alii pronuncient.

In Catechismo, id est, infra institutionem, quae fit ad limen Ecclesiae.

In proprio genere. Ut proprium servetur genus, non requiritur ut Orationes in quibus nominandum est utrumque genus, bis dicantur, sed satis est si utrumque exprimatur, ut v. g. ad utrumque *Memento.*

13. *Si infans.* „Non qualecumque periculum satis est, sed illud quod dilationem admittere, et moram dare non videatur. Gardell. ad n. 4422. Cf. Bened. XIV, *Inst. 98, n. 16*, S. Lig. *de Bapt. n. 142*, et Gousset, *n. 102.* Ideo Parochus curabit praemonere obstetrices, ut tam excessum quam defectum vitent in Baptismo privatim conferendo.

Omissis. Proinde omittenda etiam est stola violacea. Cf. dec. 23 Sept. 1820, n. 4422. Neque adhibenda videtur stola alba, tum quia de ea silet Rituale, tum quia Baptismus privatim confertur, et omissa fuerunt quae praecedunt.

14. *Si non habeatur.* Juxta hanc Rubricam, Sacerdos, qui privatim baptizat, uti non potest aqua communi, nisi in defectu aquae Baptismalis.

15. *Deinde.* Unctio chrismatis, traditio linteoli et candelae non sunt praetermittenda quando Sacerdos privatim baptizat, etsi extra Ecclesiam. Alii autem ritus, si infans supervixerit, quamprimum supplendi sunt in Ecclesia, ut dicitur *tit. 1.*

An iterandae sint caeremoniae Baptismi solemniter, sed invalide collati, non conveniunt Autores. Cf. S. Lig. *n. 144.*

Tit. VII. Benedictio Fontis Baptismi extra Sabbatum Paschae et Pentecostes, cum aqua consecrata non habetur. Pro hac Benedictione, Sacerdos et Ministri sunt parati ut ad Benedictionem Fontis Sabbato Sancto (*p. 456*). Si vero supersit aqua consecrata, quae non sufficiat pro anno, tunc non fit nova Benedictio, sed aqua communis admiscetur in minori quantitate (*p. 479*).

§. II. DE SACRAMENTO POENITENTIAE.

Tit. III. Dominus noster. 1. Quaeritur an adverbium *Deinde,* pertineat ad verba quae sunt a Sacerdote proferenda?

R. Affirmandum ex dec. 11 Mart. 1837, n. 4660, ubi responsum est *nihil esse innovandum.* Haec enim verba sic videntur intelligenda: in nonnullis editionibus prout exponitur in dubio, reperitur innovatio, scilicet rubro exaratur adverbium *Deinde;* sed admittenda non est hujusmodi innovatio. Ad hoc decretum remittitur in alio subsequenti, nempe 27 Feb. 1847, n. 4936, 2.

2. *Passio Domini.* Si Confessarius birreto utatur cum profert formam absolutionis, caput aperiendum est ad Orationem *Passio,* et convenit manus jungere. „Decet quam maxime, ait Catalani, *h. l. n. 22,* ut cum verba in modum Orationis profert Sacerdos, sit capite aperto, tecto autem cum judicis instar sententiam absolutionis pronunciat." Pariter aperiatur ad *Misereatur* etc. Cf. *tit. IV, v. Mox sedet.*

3. *In Confessionibus.* Tria hic quaeruntur: 1. Quid hic intelligendum sit per Confessiones frequentiores et bre-

viores? — 2. An inter ea quae omitti possunt, comprehendatur etiam Or. *Passio Domini?* — 3. An *Misereatur* et *Indulgentiam* semper omitti possint, id est, pro arbitrio?

R. Ad 1. Juxta Catalani, sunt illae Confessiones piorum hominum qui fere quotidie levia quaedam peccata confiteri solent. Haec interpretatio videtur nimis stricta, ac proinde non sunt urgenda verba, *fere quotidie.* Juxta Baruffaldi, dictio *in frequentioribus,* tantumdem valeret ac *in numerosis.* Sed haec interpretatio videtur vim inferre voci *frequentioribus* et praeterea non consonat contextui, ubi Confessiones frequentiores dicuntur breviores: quod fieri videtur explicationis gratia, quatenus Confessiones frequentiores solent esse breviores.

R. Ad 2. Negative. Dec. 27 Feb. 1847, n. 4936, 2.

R. Ad 3. Affirmative. Ex Rituali enim patet regulam esse ut dicantur, solumque omitti posse in casu exceptionis. Cs. casus conscientiae Bened. XIV, *Ap. 1758* (mihi *p. 243*). Equidem Theologi hac de re dissentiunt: *a)* dubitant Suarezius, *disp. 18, s. 6, n. 3,* de Lugo, *disp. 13, s. 1, n. 9,* Lacroix; et multi nullam aperiunt sententiam; *b)* S. Lig. *n. 438, dub. 3,* nixus (sed cf. *advertenda*) Trid. *sess. 14, c. 3, de Poenit.,* putat verius esse affirmandum; *c)* Billuart arbitratur veniale esse dictas preces omittere absque causa.

Ad haec, sequentia veniunt advertenda. 1. Textus Trid. *l. c.* non plus favet opinioni S. Alphonsi, quam aliorum: ibi enim nec imponitur, nec excluditur praeceptum dicendi illas preces; *tantum* declaratur morem, illas addendi, laudabiliter fuisse ab Ecclesia inductum. Cf. Collet, *Th. mor. tr. de Poenit. c. 8, §. 1, adn. 3.* — 2. Ex Autoribus qui affirmant aut dubitant, alii scripserunt ante Bullam Pauli V, ut Navarrus; alii in hoc versantur errore, ut putent Rubricas esse mere directivas (*p. 212*). Cf. dicta *tom. I, de obligatione Rubricarum,* et hic *p. 476, de obligatione Ritualis Rom.* — 3. Ex dictis patet quaestionem non esse solvendam, ex majori minorive autoritate Patronorum, sed ex solutione hujus duplicis quaestionis: An obliget hic textus Ritualis, et quis sit ejus sensus? — 4. „Certo certius, ait Scavini, *tom. 3, p. 195,* nemo dubitat quin convenientius sit preces hujusmodi retinere, et maxime illas, *Passio D. N. J. C.,* cum per eas, ex Aug. omnia bona opera poenitentium eleventur ad meritum satisfactionis sacramentalis.“ Cf. S. Lig. *l. c.*

Tit. V. Ritus absolvendi excommunicatum jam mortuum. Rubrica non indicat colorem indumentorum Sacerdotis absolventis excommunicatum mortuum. Juxta Corsettum, cum absolvatur mortuus, dicaturque Vers. *Requiem*, dubitari nequit adhibendum esse superpelliceum et stolam nigri coloris, ut in Officio Defunctorum. Baruff. *n. 30* ex Corsetto. Cs. Rit. Torn. *p. 107*.

§. III. DE SANCTISSIMO EUCHARISTIAE SACRAMENTO.

Tit. I. Instructiones. 1. Omnino legenda et seria mente revolvenda sunt a Sacerdote ea, quae *h. l.* traduntur de dignitate et excellentia divinae Eucharistiae, de digna ejusdem susceptione, et gratiarum actione post Communionem. Recolantur etiam dicta *pag. 211 sq. et 336 sq.*, de praeparatione Sacerdotis Missam celebraturi, et de gratiarum actione post eamdem.

2. *Curare.* Pyxis non solum sit *ex solida decentique* materia, sed etiam, quantum fieri potuerit, argentea. Rit. Torn. Non est autem de praecepto consecranda: „communis opinio, ait Baruffaldi, *n. 56*, tenet sufficere simplicem Benedictionem.“ Quae Benedictio, juxta *tit. II, 3* (*p. 228*), et sententiam tenendam Benedicti XIV, non est omittenda; et silentium Ritualis habendum est ut mere negativum. Cf. S. Lig. *n. 384, de Euch.* Quod attinet ad Benedictionem Remonstrantiae, dicitur *p. 228*.

Clave obserato. Quae clavis non nisi a Parocho aut alio Sacerdote custodiatur. Rit. Torn. Cf. dec. Innoc. III et S. C. Inq. ap. Giraldi, *de Offic. Parochi p. 2, c. 20, ad n. 27.*

Pyxidi, dum continet SS. Sacramentum, semper substratum sit corporale mundum et benedictum. Rit. Torn. cum communi, et Rit. Rom. infra *tit. IV, v. Praecedat.*

3. *Hoc autem.* Conopeum sit coloris albi aut officio convenientis, excepto nigro, pro quo violaceus adhibetur in exequiis Defunctorum. Cf. dicta *p. 176*, et dec. 21 Jul. 1855, n. 5085, 12. De obligatione manutenendi lampadem coram SS. Sacramento, vid. S. Lig. cum Busemb. *de Euch. n. 248.*

4. *SS. Eucharistiae Particulas frequenter renovabit.* Rituale non praefinit intra quod tempus SS. Particulae sint renovandae, ut dici possint *frequenter* renovari. 1° Certum est sufficere, *generatim* et *regulariter* loquendo, si omni octiduo renoventur; 2° imo, quamvis laudabilius sit ut

haec renovatio non protrahatur ultra octiduum, praecepto satisfieri videtur si fiat, *regulariter* loquendo, intra quindenam; 3° sed ultra hujusmodi terminum differri non potest. Singula pars aliquatenus explicatur et probatur.

Prima pars certa quidem est, sed intelligenda *generatim* et *regulariter* loquendo, id est, secluso tum particulari praecepto de frequentiori renovatione, tum periculo corruptionis ratione circumstantiarum v. g. ex loco humido. Quae limitatio subintelligenda etiam est pro secunda parte.

Secunda pars non datur tanquam certa: habentur enim AA. et rationes *pro* et *contra*. 1° *Contra* stant Giraldi cum Barbosa, *de Offic. et pot. Parochi, p. 2, c. 20, n. 27,* Cav. *t. 4, d. 107,* et quaedam statuta particularia; item duo decreta: unum *S. C. Ep. et Reg.* 5 Apr. 1573, alterum *S. R. C.* 3 Sept. 1672, 3. Citati AA., statuta aut decreta requirunt ut omni octiduo fiat illa renovatio. Cf. S. R. C. dec. 7 Sept. 1850, in Parisien. ad. 5, *ap. Correspondance de Rome,* Aug. 1851; advertendum tamen est hoc decretum non reperiri, saltem sub illa data, in continuatione Collect. Gardellinianae.

2° *Pro*, stant alii AA., alia particularia concilia et statuta, quae, tanquam extremum terminum, praefiniunt quindenam. Cf. Deherdt, *p. 2, n. 30,* et Gardell. ad dec. in Gandaven. n. 4474, 1. Italo-Graecis sequens traditur regula: „SS. Eucharistiae Sacramentum, quod pro infirmis asservatur, singulis octo diebus, aut saltem quindecim, renovetur.“ *Const.* Clem. VIII, *§. 6, n. 4, a* Ben. XIV *confirmata,* die 26 Mai. 1742 per Bullam, *Etsi pastoralis, tom. 1 Bullar. n. 57.* Card. Lambruschini, in sua Synodo dioec. an. 1845, *p. 30, n. 2,* statuit ut „Particulae decimo quinto quoque die renoventur, vel saepius si ex temporis ratione corruptio immineat.“ Ex quibus concludi posse videtur Ecclesiam permittere, saltem hodiedum, ut SS. Particularum renovatio ad quindecim dies protrahatur. Neque obstare videntur quae in contrarium allata sunt. *a)* Decretum Cong. Ep. et Reg., a Cav. relatum *l. c.* caret forma authentica. *b)* Decretum S. R. C. 3 Sept. 1672 potius supponit praeceptum *particulare*, quam statuat *generale* praeceptum: ibi enim directe non agitur de renovatione S. Eucharistiae, sed solummodo commemoratur per accidens, nec ulla adest ratio quae insinuet ibi declarari sensum horum Rubricae verborum, *frequenter renovabit.*

Tertia pars, quae tanquam ultimum terminum praefinit

quindenam, satis probata videtur ex dictis de prima et secunda parte. Nam voluntas Ecclesiae de habenda quindena, tamquam ultimo termino, satis eruitur ex ibi allegatis, videlicet ex communi DD. consensu, ex praxi Ecclesiarum, et ex litteris Apost., datis ad Italo-Graecos. Consonat Instructio, ad Decanos Dioeceseos Tornacensis data de visitandis Ecclesiis: ipsis enim mandatur, ut sedulo inquirant „an SS. Hostiae singulis ad minus quindenis renoventur." Si vero occurrant Statuta aut Ritualia quae longius intervallum concedant, haec dicenda videntur vi carere.

Notandum est adaequatam rationem hujusmodi renovationis non esse periculum corruptionis: Ecclesia enim hac frequenti renovatione etiam intendit suam erga SS. Sacramentum testificari reverentiam. Unde non praecipit ut tunc fiat quando timendum est periculum corruptionis, sed absolute jubet ut *frequenter* fiat. Frustra igitur, ad protrahendam renovationem ultra quindenam, allegaretur periculum corruptionis non esse timendum, quia v. g. Ecclesia non est humida.

Hostiae vero consecrandae sint recentes. S. Carolus Borrom. relatus a Baruff., statuit ut ante viginti dies ad summum sint confectae. An autem Hostiae, a duodeviginti diebus confectae, revera dici possint *recentes*, quales a Rituali requiruntur, illud nollem affirmare. — De purificatione Pyxidis, agitur *p. 320 sq.*

Tit. II. Ordo ministrandi S. Communionem. Administratio S. Communionis in Ecclesia, regulariter eodem tempore permittitur ac Missae privatae celebratio *(p. 160, 3°).* Fit autem in triplici circumstantia, ut hic traditur, videlicet 1° omnino extra Missam, 2° intra Missam, post Communionem Celebrantis, et 3° immediate (ante aut) post Missam.

I. *Omnino extra Missam. Sacerdos.* Quo in casu hodiedum liceat Diacono ministrare Communionem, resolvit Cav. *t. 4, d. 66, n. 6 sqq.* De vino et aqua pro purificatione communicatorum, dictum est *p. 321.* De colore stolae, cf. pt. dec. 12 Mart. 1836, n. 4628, 13, et notandum est Merati, Gousset, aliosque docentes adhibendam esse stolam albi coloris, esse relinquendos. Ratio autem, propter quam hic exigatur color diei, cum albus sit color SS. Sacramento proprius, haec esse potest, quod Communio in Ecclesia consideratur tanquam participatio in Sacrificio diei.

Procedit, capite tecto. Mer. *n. 34,* Baldeschi. Cs. Cav.

t. 4, d. 66, n. 22; modo tamen Venerabile non sit expositum. — *Manibus junctis,* nisi ipse (et non Minister), prout magis decet, juxta dec. 24 Sept. 1842, n. 4804, 3, bursam cum corporali deferat. Ex dec. 27 Feb. 1847, n. 4915, 1—3, bursa semper est adhibenda, quando Communio ministratur extra Missam; hoc tamen intelligendum videtur potius de necessitate semper supponendi Corporale Pyxidi, quam de praecepto semper deferendi bursam cum Corporali: nam in responso ad 1, dicitur, *juxta Rituale,* ubi de Corporali tantum fit mentio. Itaque non est habendus, ut certo reprobatus, usus utendi Corporali quod in tabernaculo substratur Pyxidi.

Ad altare, et genuflectit super ejus infimum gradum (Mer. *p. 2, tit. 10, n. 34*), vel in plano (Cav. *l. c. n. 22,* et Baldeschi). Horum sententiae favet regula generalis juxta quam genuflectitur in plano cum acceditur ad altare SS. Sacramenti *(p. 226).*

Facta genuflexione prius, id est, aperto tabernaculo, *et postea,* videlicet, Pyxide super altare deposita, et etiam aperta, juxta Merati, *l. c. n. 33,* Cav. et Baldeschi.

Tum Sacerdos iterum genuflectit, excepto si jam terminata sit confessio cum aperitur Pyxis: in casu enim, juxta Mer. *l. c.* statim vertit se ad communicandos *(p. 314).* — *Deinde....* Pyxidem prehendit, aliaque peragit prout dicitur *p. 316 sq.,* et in ipso Rituali.

Postea. Intra sepimentum, seu clausuram *altaris, sint distincti a Laicis:* hi enim non nisi ad cancellos sunt communicandi. Cav. *l. c. n. 25.* Cf. *not. p. 201.* — *Sacerdotes vero cum stola* albi coloris (Baruffaldi), coloris diei (Cav.). Huic sententiae videtur adhaerendum, propter paritatem cum ministrante Communionem. Baruff. *n. 63* requirit ut Sacerdos etiam induatur superpelliceo; sed Cav., conformius ad Rituale, illud tantum exigit pro solemni Communione in Coena Domini. Cf. Caer. Ep. *l. 2, c. 23, n. 6.* Ex silentio Ritualis eruitur stolam Diacono non praescribi pro Communione percipienda.

Ubi vero. Reversus ad altare, dum Pyxidem cooperit (Cav. *l. c. n.* 28), digitosque abluit (Baldeschi, *n. 11*), vel, juxta Mer., antequam Pyxidem cooperiat, *dicere poterit* etc. Arbitrium, juxta Cav. *n. 29,* limitatur ad solam Antiphonam, ita ut alia quae sequuntur, scilicet, Verss., Respp. et Oratio, sint de praecepto. Et haec sententia videtur

probata dec. 24 Sept. 1842, n. 4801, 3. Forte tamen objici posset decretum istud esse intelligendum conditionate, de casu nimirum quo dicatur Antiphona.

Tempore Paschali, *Alleluia* additur ad Verss. et ad Respp. Cav. *n. 30,* et Mer. *n. 33.* Cs. *Inst. Clem. n. 31.*

Antequam reponat.... abluat. Non dicitur in Rituali, nec inter AA. convenit, utrum Pyxis cooperienda sit ante ablutionem digitorum. Affirmant Mer. *n. 33,* et Baldeschi. Negat vero Cav. *n. 35 et 49,* ideo quod, digitis ablutis, facilius cooperitur, quin velum sit impedimento. — *Saltem in Sacrarium injiciat.* Quod communiter fit, non quidem singulis vicibus, sed quando aqua illa jam non apparet omnino munda. Mer. cum Baruff. Curet Parochus ut tam purificatorium, quam aqua sint semper munda. — *Postea genuflectens,* triplici vice, juxta Merati et Deherdt, *n. 28, V,* scilicet 1° Pyxide super corporale deposita, 2° antequam in tabernaculum collocetur, et 3° antequam idem claudatur. Juxta Cav. *n. 28 et 40,* duplici aut triplici vice: docet enim *n. 40,* genuflectendum non esse aperto tabernaculo, ante introductionem Pyxidis, nisi quando in eo adest aliud vas cum S. Eucharistia. De duabus genuflexionibus, quae a Merati commemorantur 2° et 3°, non videtur posse dubitari: semper enim genuflectitur, quando motum aut movendum est SS. Sacramentum. Quinimo nulla apparet ratio cur genuflexio non fieret deposita Pyxide super Corporale, sicuti fit ante Communionem. Haec tamen non ita communiter requiritur; eam assignant Romsée, Janssens et Baldeschi. Contra 1^am^ et 2^am^, argui non potest ex verbo, *genuflectens:* haec enim vox non restringitur necessario ad unicam genuflexionem, sed in casu habet sensum magis generalem, quasi diceretur: genuflectendo, quando genuflectendum est juxta regulam generalem, id est, quoties movetur S. Eucharistia aut ab ea receditur. Neque novum est ut generatim tantum, vel etiam nullo modo in casu particulari indicentur caeremoniae aliunde praescriptae *(p. 226 sq.)*: sic v. g. in praesenti casu silentio praetermittitur genuflexio agenda tum in accessu ad altare, tum in recessu ab eodem.

Deinde, non Pyxide, sed *manu* benedicit communicatos Ritu sequenti, quem tradunt Mer. *l. c.* Cav. *l. c. d. 76, n. 41,* et Romsée: Stans Sacerdos versus altare (quod non osculatur, dec. 16 Mart. 1833, n. 4558, 6), elevat oculos

versus Crucem, et extendens manus atque jungens, caputque inclinans Cruci inclinatione maximarum maxima, dicit voce clara ordinaria, *Benedictio Dei omnipotentis*, et postea, junctis manibus, convertens se ad communicatos, benedicit manu dextra extenta, posita sinistra infra pectus, dicens, *Patris, et Filii, et Spiritus S.*, ut in Missa, et concludit his verbis, *descendat super vos et maneat semper;* et Minister genuflexus respondet, *Amen.* Cs. dec. 12 Aug. 1854 *in Lucionen. ad 76.*

II. *Communio intra Missam.* Communio, seclusa rationabili causa, fiat intra Missam: sic enim Christifideles perfectiori modo [1] participant Sacrificio cui assistunt, communicando videlicet tam Victimae oblatae, quam precibus [2] quae peculiariter ad Communicantes referuntur, ut sunt v. g. Postcommuniones. Addi potest hujusmodi Communionem omnimode convenire institutioni hujus SS. Sacrificii et exemplo Christi. Cf. Bened. XIV, *Litt. cit. tom. I, Bullar. n. 64, §. 2.*

Occurrere tamen potest causa rationabilis eam ministrandi extra Missam. „Est autem apud AA., inquit Bened. XIV, *de Sacrif. Miss. sect. 2, n. 162*, rationabilis et justa causa, si plurimi adessent Missae, et suspicari possemus ne aliqui eorum taedio caperentur, finem Missae exspectantes, qui finis longe abesse posset, si multi ad Eucharistiam suscipiendam accederent.“ Praeterea ut rationabilis causa, habendum est quodcumque impedimentum quo S. Eucharistiae participatio redderetur communicantibus nimis onerosa et difficilis, ut v. g. si unica Missa, haecque tardiori hora, celebretur; si communicandi, nonnisi post Sacrum, cui jam adfuerunt, sua peccata confiteri valeant: Lex enim Ecclesiae eo tendit ut Eucharistia potius intra quam extra Missam percipiatur, non autem ut omittatur, quando extra eamdem sumi nequit. Tandem rationabilis adest causa, quando Missa celebratur cum paramentis nigris nec habentur Hostiae, nisi praeconsecratae *(p. 320).*

Quod vero attinet ad consuetudinem contrariam, ea haberi non potest ut causa rationabilis. Est enim contra

1) Cf. Bened. XIV, *Litt. Certiores*, 13 Nov. 1742, §. 3, Trid. *sess. 22, cap. 6, de Sacrif. Missae*, et A portu *h. l.*

2) Cf. Cav. *t. 4, d. 59, n. 6 sq.*, S. Lig. *de Euch. n. 249, dub. 1°.* Baruff. *h. l.*

Rubricas, vergit in detrimentum Communicantium, nec praesumi potest unquam a S. Sede approbanda. Itaque non istiusmodi consuetudo attendatur, sed ea, quae a Ben. XIV, *de Sacrif. Miss. sect. 2, n. 162,* referuntur Autorum verba, quibus carpuntur Sacerdotes qui, nullo discrimine et sine rationabili causa, Communionem differunt ad finem Missae: quibus verbis et ipse Pontifex assentitur, addendo quod hac de re habetur in Actis Ecclesiae Mediolanensis, videlicet: „Hoc institutum Parochus servare studeat, ut, quod antiquissimi juris est, inter Missarum solemnia post Sanguinis sumptionem, praebeat Sacram Eucharistiam." Subintelligendum: seclusa rationabili causa.

Itaque Sacerdos. De Ritu, in hac ministratione servando, agitur *p. 314 sqq.* Cf. ibi dicta de genuflexionibus. — *Incipiens a Ministris altaris,* scilicet a Diacono et Subdiacono, et Clericis qui inserviunt. Baruff. Cf. *Rub. 9, p. 325,* et dec. 13 Jul. 1658, n. 1760.

III. *Communio immediate ante aut post Missam.* Rituale loquitur tantum de Communione data post Missam; sed nihil videtur obstare quominus, data causa, idem permittatur ante Missam. Cs. Mer. *tit. 10, n. 33.* Quinimo quandoque convenientius ante Missam ministratur, ut videlicet securius provideatur gratiarum actioni: quod discernere, est prudentis Parochi. Porro Communio, in casu, eodem modo ministratur ac omnino extra Missam, exceptis paramentis sacris. De benedictione omittenda, dicitur infra. Juxta Baruffaldi, Rituale supponit Missam celebrari ad altare SS. Sacramenti: et re quidem vera, non congruit ut Celebrans, Calicem tenens, accedat ad aliud altare, ibi Calicem depositurus, ad Communionem ministrandam cum paramentis Missae. Hoc tamen non proprie adversatur Rituali: unde, data causa, v. g. si Celebrans transeat prope altare SS. Sacramenti, aliquatenus a Sacristia remotum, fieri posse videtur, praesertim si hujusmodi vigeat praxis. Cf. dec. 12 Mart. 1836, n. 4628, 12. De non ministranda Communione in paramentis nigris, vid. dicta *p. 319,* quae hic a fortiori sunt applicanda. Cf. pt. S. Lig. *de Euch. n. 249, d. 3.*

Quaeritur an danda sit benedictio post Communionem immediate ante Missam?

R. 1° Affirmative, *a)* ante Missam Defunctorum; et

b) ante aliam, si communicati sciantur discessuri ante benedictionem dandam in Missa. Omnes consentiunt.

R. 2° Negat Cavalieri, *t. 4, d. 63, n. 3,* si communicati certo dignoscantur adfuturi integrae Missae. Cf. Romsée, *t. 1, p. 2, a. 13, ad VII.* Et ratio allegatur, quia benedictio danda est in fine Missae. At haec ratio, quae in Rituali assignatur pro omittenda benedictione post Communionem infra Missam, absque fundamento applicatur nostro casui; hic enim casus valde discrepat ab altero: *a)* incongruum foret Missam quasi interrumpere ad benedicendum communicatis fere immediate ante benedictionem Missae; quod nequaquam occurrit in nostro casu; *b)* praeterea saepius sciri nequit utrum communicati ante finem Missae recessuri sint, et aliunde, cum benedictio regulariter sequatur Communionem, communicati mirantur et aegre ferunt si omittatur.

Tit. IV. De Communione infirmorum. 1. Hic per Viaticum intelligitur Communio quae datur aegrotis in mortis periculo seu articulo constitutis. Vox autem *Viaticum,* generatim sumpta, idem sonat ac provisio pro via. Unde S. Eucharistia dicitur *a)* generatim Viaticum, quatenus nos sustentat et confortat in itinere ad patriam seu ad Caelum; et *b)* in sensu magis restricto, ut hic, et juxta communem usum, quatenus reficit, sustentat et roborat animam infirmi properantis, imo quasi in transitu ad aeternitatem, viresque confert contra incursus infensissimi inimici, qui tunc praesertim nobis insidiatur, nullo intentato conatu ut nos a via paradisi et aeternae beatitudinis avertat.

2. *Potest quidem Viaticum brevi morituris dari non jejunis.* Rituale non distinguit an de 1ª aut de aliis vicibus agatur. Unde haec dispositio limitanda non est ad unam Communionem, sed intelligenda de omni Communione per modum Viatici facta, id est, in articulo seu periculo mortis, puta, si aeger, sumpto Viatico, aliquot dies vixerit et iterum atque iterum S. Viatico reficiatur. Quare, ut docet Bened. XIV, *de syn. l. 7, c. 12, n. 4,* „potest, et interdum debet Episcopus constituere, ne Parochi renuant SS. Eucharistiam iterato deferre ad aegrotos, qui etiam perseverante eodem morbi periculo, illam saepius, per modum Viatici, cum naturale jejunium servare nequeant, percipere cupiunt." Haec mire consonant cum verbis Ritualis, „pio desiderio Parochus non deerit." Cf. S. Lig. *de Euch. n. 285,* et Cav.

t. 4, dec. 69 sqq. — *Caeteris autem infirmis.* „Non alia differentia interest inter fidelem infirmum communicandum domi, nisi morbus.“ Baruffaldi. De Ritu dandi Viaticum aut Communionem infirmo, dicitur infra.

3. *Deferri debet, superposito mundo velamine.* Pyxis defertur cooperta duplici velo, scilicet proprio, et humerali, ut infra v. *Ubi vero.* Cf. pt. dec. 21 Mart. 1699, n. 3355. — *Honorifice cum omni reverentia.* Unde juxta Baruff. et Cav. *l. c. d. 74, n. 5.* Sacerdos nunquam debet praecipitanter currere. „Non enim, ait Cav. cum Baruffaldo, Viaticum tenetur deferre Parochus ad infirmum moriturum, si timeat fore, ut illud non possit ministrare, nisi valde festinanter currat...“ Cs. Deherdt, *n. 17, 1, 3°.* Vid. tamen S. Lig. *l. c.. n. 242.* — De lumine cf. pt. Bened. XIV, *Const. inter omnigenas,* data 2 Feb. 1744, n. 23, *Bullar. t. 1, p. 136;* item S. Lig. *l. c. n. 241;* et notandum est in Rituali non praefiniri qualitatem luminis; ac proinde in laternis adhiberi posse oleum, aut sebum.

4. *Parochus.* Quando Viaticum solemniter defertur, tunc lumen in laterna non sufficit, sed requiruntur cerei seu intorticia. — *Ubi haberi potest.* Haec verba non sunt referenda ad umbellam, sed ad baldachinum: umbella enim supponitur haberi in qualibet Ecclesia, cum juxta Rituale semper adhibeatur, in defectu baldachini.

5. *Praemoneat.* Juxta Cav. *t. 4, d. 79, n. 13,* si infirmus sit Sacerdos, paranda est stola, ad ejus collum appendenda, ut fit pro communione in Ecclesia (*p. 217*): hoc tamen denegari videtur in dec. 21 Jul. 1855, n. 5085, 10 in Briocen. Vas cum vino non reputatur necessarium a Baruff. *n. 102 et 182 sqq.*

6. *Ubi vero.* Juxta Baruff. *n. 63,* „operiri debet tota Pyxis, ut pulveris et aëris injuriae arceantur, atque ut magis veneratio augeatur in circumstantibus: res enim quae ante oculos patent, facile vilescunt.“ Contra haec, insurgit Cav. *t. 5, d. 74, n. 3,* et juxta ipsum, hic ritus servatur alia de causa, „quia nempe in hac circumstantia temporis, non defertur Sacramentum in triumphum; sed magis Christus, in eo quasi oblitus divinitatis suae prae maxima humilitate, tanquam spiritualis medicus, in subsidium aegrotantis dignatur occurrere.“ — Nudo capite (*p. 198 sq.*)

7. *Praecedat.* Cum in Parochiis hujus Dioecesis desiderentur Clerici, Rituale dioec. *n. 13,* ordinat ut „praecedat

Custos aut alius Minister, decenti veste, et, si fieri potest, superpelliceo etiam indutus, qui laternam praeferat, et campanulam quae identidem pulsetur, ut populus sui moneatur Officii, tum erga Sacramentum, tum erga infirmum."

Noctu autem deferri non debet, nisi urgeat necessitas. Quaeri hic potest, an praeter necessitatem dandi Viaticum, alia possit occurrere necessitas, puta satisfaciendi praecepto Paschali, et servandi jejunium ante Communionem, ut v. g. quando quis detinetur diuturna infirmitate, nec jejunus permanere valet usque ad diem? In casu nempe tria concurrunt praecepta, videlicet: 1) de jejunio servando, 2) de Communione percipienda Tempore Paschali, et 3) de S. Eucharistia noctu non deferenda; et cum tria simul servari nequeant, definiendum est quodnam ex tribus cesset. De hoc consulantur Theologi. Cf. Cav. *t. 4, d. 59,* praesertim *n. 10 et 13,* et Giraldi, *de Offic. et pot. Par. p. 2, c. 20, n. 37 sq.* Si casus occurrat, petatur dispensatio Apostolica ut de die infirmus communicari possit non jejunus: et putamus hoc convenire cum praxi S. Sedis.

De Thuriferario non loquitur Rituale. Juxta Cav. *h. l. d. 80, n. 6,* congruit ut adhibeatur in solemni delatione Viatici. Cs. dec. 21 Jun. 1738, n. 3925. — *Bursa,* juxta Deherdt, *n. 16, II, 4°,* debet esse albi coloris. Quod, si non sit de praecepto, saltem maxime congruit. — *Quod si longius.* Advertendum est cum Gardellini, *n. 4474, II, 1,* nullam in Rituali fieri limitationem aut exceptionem, quoad superpelliceum et stolam. „Quod, inquit, si, quando longius est iter et difficilius, dispensandum Parochum voluisset Rubrica a delatione superpellicei et stolae, hic erat locus apposite id adnotandi." Idem dicendum est de lumine. Cf. dec. 23 Mai. 1846, n. 4890.

8. *Tum depositum Sacramentum,* uno genu flexo adorat. Cav. *t. 4, d. 79, n. 7,* cum Baruffaldi.

9. *His dictis.* Curandum est ut, extra casum necessitatis, aegrotus, priusquam ad ipsum deferatur Viaticum, rite sit confessus: haec enim praxis, quae traditur in Rituali, multum confert ad bonum infirmi, et nata est multa praecavere incommoda. Neque allegetur contraria consuetudo.

10. *Postea.* Textus relatus a Baruffaldi, habet *Misereatur tui;* aliae versiones habent, *Misereatur,* etc. Videtur dicendum *tui* et non *vestri:* omnino enim congruit ut

tota Oratio fiat pro persona in ultimo agone constituta, quemadmodum arguit Cav. *t. 4, d. 79, n. 11.*

11. *Tum Sacerdos.* De omissione formulae, *Accipe Frater,* cf. pt. S. Lig. *n. 285;* sed etiam conferantur dicta de obligatione Ritualis Rom. et de omittenda Or., *Passio* post absolutionem. Clericati, *tom. 1, decis. de Euch. 19, n. 11,* ad haec verba, *Accipe Frater,* sequentia docet: „Quae non sunt omittenda a Sacerdote, Communionem per Viaticum praebente, quia valde sunt proficua ex opere operantis, tanquam ab Ecclesia ordinata. . .“ Quando infirmus S. Particulam deglutire non valet, ei praeberi poterit, non quidem panis in Christi Sanguine tinctus, sed Particula consecrata aut ejus pars immixta aqua vel vino. Cav. *l. c. d. 74, n. 6.* Cf. Deherdt, *n. 15, v. Si timeatur.* Cs. S. Lig. cum multis, *n. 288, de Euch.*

12. *Si vero.* Non constat an Verba, *per modum Viatici,* sumenda sint in sensu strictissimo, aut minus stricto, videlicet vel de communione tantum qua satisfit praecepto suscipiendi Viaticum, vel de quacumque communione facta in periculo mortis: in priori sensu, verba, *Accipe Frater,* semel tantum dicenda sunt in eodem mortis periculo; in posteriori autem sensu quoties communicatur infirmus, in dicto periculo constitutus. Cf. Dens, *de Euch. n. 37, III.* Cum Rituale hunc solum ritum, *Accipe Frater*, assignet mutandum, in communione infirmi qui non versatur in periculo mortis, caeteri, qui communionem ejusdem praecedunt et sequuntur, non videntur omittendi aut mutandi; ac proinde paritas, quam constituit Baruffaldi (supra *n.* 2), inter communionem sani et infirmi, videtur limitanda ad jejunium.

13. *Quod si mors.* Quidam docuit huic exceptioni non posse dari locum; sed refellitur a Baruff. *h. l.* et Cav. *t. 4, d. 79, n. 15.*

14. *Postea abluat digitos,* laudabilius aqua, juxta Baruff. (*p. 499,* 5); aqua vel vino, juxta Cav. *n. 16.* — *Et infirmo detur ablutio*, nisi rationabilis adsit causa secus faciendi. „Quod si aegrotus, inquit Cav. *t. 4, d. 79, n. 16,* ex potione ablutionis, aliquod vel minimum persentire possit incommodum, aut eam quacumque de causa sumere refugiat, cogendus non est ad eam sumendam.“ Cs. Baruff. *n. 186,* Deherdt, *n. 17, 15°.* Autores cit. loquuntur de causa quae se tenet ex parte infirmi; nihilominus etiam admittenda

est quaelibet alia rationabilis causa. Quod eruitur ex ipso Rituali, in quo, de Communione Fidelium extra Missam, sequentia habentur: „Ablutionem vero sumat (Sacerdos), si celebravit, aut iis qui tunc communicarunt sumendam tradat, aut saltem in Sacrarium injiciat.“ Hujusmodi causa occurrere potest, si v. g. parentes infirmi id aegre ferrent. Ablutio autem, quando non sumitur domi, reportatur ad Ecclesiam, in Sacrarium projicienda, aut domi traditur igni. Cav. et Deherdt, *ll. cit.* Sed potest etiam, in abluendis digitis, talis adhiberi modus, ut aqua vasis non pertingat ad partem digitorum quae Hostiam tetigit, ac proinde ea quocumque projici possit, quia non est aqua ablutionis. Qui modus, hic est: purificatorium madefit mediantibus digitis sinistrae, vel, si sit novum, aliquantulum intingitur in aqua; quo, ita madido, abluuntur digiti et deinde exterguntur. Cf. Baruff. *h. l.*

Deinde dicat. Juxta quosdam, omittendus foret Vers. *Dominus vobiscum*, qui hic indicitur dicendus ante Or. *Domine Sancte*, et infra ante Or. *Deus, qui nobis.* Cf. Deherdt, *n. 17, 18° not.* Sed quae allegantur. S. R. C. decreta non agunt de Benedictione hic danda, sed de solemni Benedictione quae datur post Processionem, ac proinde eadem non possunt privata autoritate ad praesentem Benedictionem extendi contra praescriptum Ritualis. S. R. C. perhibetur respondisse de hoc Vers. *Servandum omnino Ritualis praescriptum.* Die 7 Sept. 1850, in Veronen. ad 1.

14. *Deinde annuntiat.* Sufficit, si generatim annuntientur. Baruff. *n. 200.*

Si statim post Viaticum, ministretur Ext. Unctio et impertiatur Indulgentia *in articulo mortis,* bis repetenda erit Confessio, modo non urgeat periculum mortis.

§. IV. DE SACRAMENTO EXTREMAE UNCTIONIS.

Tit. I. Instructio. 1. *In quo.* Extrema Unctio datur post Poenitentiam et Viaticum, quia est Sacramentum exeuntium, et totius vitae christianae consummativum. Giraldi cum Barbosa, *de Offic. et pot. Par. p. 2, c. 22, n. 36.*

2. *Habeat loco nitido,* nimirum in Ecclesia. Decretum 16 Dec. 1826, n. 4474, 3, reprobat usum retinendi domi Oleum infirmorum, et mandat ut „servetur Rituale Rom., excepto tamen casu magnae distantiae ab Ecclesia; quo in casu omnino servetur, etiam domi, Rubrica quoad hone-

statem, et decentiam, tutamque custodiam." Cf. dicta *p. 482 sq., de SS. Oleorum renovatione.* Notandum etiam est nequaquam decere ut vas cum S. Oleo superponatur vasi S. Eucharistiae.

3. *Si quis.* Verba, *ut infra,* supponunt quemlibet ex quinque sensibus inungi sub propria forma. Cf. S. Lig. *n. 710.* Rituale Tornacense, *p. 141, n. 16,* supponit casum urgentioris necessitatis, et inhaerendo doctrinae traditae a Bened. XIV, *de Syn. l. 8, c. 3, n. 5,* sequentem tradit praxim pro casu hujusmodi necessitatis. „Si vero ita in extremis periclitetur, ut timendi locus sit ne ad plures Unctiones tempus deficiat: tunc omissis Orationibus praeviis, ungatur in capite, aut in sensu qui primus se obvium dederit. Illius autem generalis Unctionis haec erit formula: *Per istam sanctam Unctionem ✠, et suam piissimam misericordiam, indulgeat tibi Dominus quidquid deliquisti per sensus, visum, auditum, gustum, odoratum et tactum. Amen.*" In casu, juxta Bened. XIV, *l. c.,* „consultius est ut caput, e quo omnium sensuum nervi descendunt, sub eadem forma universali inungatur."

Deinde, si adhuc supervivat, dicantur Orationes praetermissae. Mentio tantum fit de Orationibus, non autem de Unctionibus praetermissis, quia hae supponuntur peractae. Ideo, si quinque sensus, sub universali forma, fuerint inuncti, cum expresso nomine proprio, nihil essentiale defuisse videtur, nec iterandae sunt Unctiones sub consueta forma: nam per hujusmodi iterationem potius conferretur novum Sacramentum, quam supplerentur omissae caeremoniae. Cf. Dens, *h. l. n. 5, 5,* et Giraldi cum Barbosa, *l. c. n. 35.* Si vero unica et generalis adhibita fuerit Unctio, ut supra, et „aeger huic generali Unctioni supervivat, residuas prosequatur Sacerdos, praetermisso illo sensu in quem collata fuerit Unctio generalis, precesque omissas continuo suppleat." Rit. Torn. *l. c. n. 17.*

3. *Si autem.* Hoc loco, qui S. Oleum defert, superpelliceo induitur ratione S. Eucharistiae, non vero S. Olei. Sequitur Viaticum, ut ab aliis Ministris comitantibus distinguatur. Cf. Baruff.

4. *Quinque.* Ex verbis, *pedes etiam et renes ungendi sunt,* patet hujusmodi Unctiones non posse omitti ad arbitrium. Attamen respectu harum Unctionum, servanda est cujusque Ecclesiae consuetudo. Giraldi cum Barbosa, *l. c.*

n. 29. Cs. S. Lig. *n. 710.* Hujusmodi autem consuetudo videtur habere tantum *vim indirectam*, juxta dicta *tom. I, de reprobatione consuetudinum*, quae Rituali Rom. adversantur.

5. *Dum oculos ... caveat*, etc. Sufficit ut forma non prius absolvatur, quam perunctum sit utrumque membrum. Quare, dum alterum inungitur, continuatur prolatio formae.

Tit. II. Ordo ministrandi Sacramentum Ext. Unctionis. 1. *Sacerdos.* Cav. *t. 3, d. 244, n. 14,* non dubitat, quin benedicta esse debeat candela quae in Commendatione animae accenditur. Cs. Baruff. *de Commend. animae, n. 113.* Praxis itidem habet, ut cereus, qui tenetur accensus infra Unctiones, sit benedictus.

2. *Deinde convocatis.* S. Oleum defertur absque superpelliceo et stola. Cf. pt. dec. 28 Jan. 1606.

3. *Deinde deposito Oleo.* Quaerit S. Lig. *n. 726*, an peccet mortaliter Sacerdos ministrans Ext. Unctionem sine superpelliceo et stola? R. „Si non urgeat necessitas, certum est graviter peccare: dubium est quando urget necessitas." Usus contrarius est abusus, nec potest praescribere contra Rubricam. Cf. dec. 16 Dec. 1826, n. 4474, 2, 2.

4. *Misereatur tui,* etc. Cf. dicta *p. 500, 10,* et Deherdt, *n. 22, 5°.*

5. *Antequam.* Hic agitur de Litaniis, quae *titulo seq.* ponuntur post Psalmos Poenit. scilicet de longioribus. In his, secus ac in brevioribus, positis in Ordine Commendationis animae, non indicatur responsum proprium, *Ora pro eo* vel *pro ea.* Licita tamen etiam hic videtur hujusmodi mutatio: eadem enim militat ratio. Addi potest, hanc precationem esse quasi privatam.

6. *Deinde intincto pollice in Oleo sancto, in modum Crucis ungit infirmum.* „Ex quibus, ait Bened. XIV, oritur obligatio, remota necessitatis causa, sectandi praescriptam ibi methodum: ita ut, qui secus agit, peccati reatum incurrat. At, quoties adsit gravis urgensque necessitas expeditos facilesque inveniendi modos, quibus, pestifero morbo infecti, hujus Sacramenti participes fieri possint, nulla subest justa ratio, quae possit Episcopum removere, ne facultatem faciat Sacerdotibus Extremae Unctionis Sacramentum, superius indicato modo, administrandi." *Lib. 13, de Syn., c. 19, n. 30.* Modus, quem hic commemorat Pontifex, quemque superius, scilicet *n. praec.*, indicavit, consistit in usu virgae oblongae etc. In casu autem attente

curandum est, ut fiat vera Unctio, ac proinde virgula non sit nimis tenuis, ita ut vix capiat Oleum; insuper bene intingatur in Oleo.

Ungit. Suarez aliique, ap. S. Lig. *n. 709, d. 4,* negant sufficere unam guttam Olei; alii autem affirmant. In praxi tutius est tenendum; et si virgula adhibeatur, sedulo servetur monitum mox datum.

7. *Minister vero.* Verba, *post quamlibet Unctionem,* aequivoca sunt, quando agitur de sensu qui duplex habet organum: possunt enim intelligi vel de completa Unctione sensus, id est utriusque organi, vel de qualibet cujusque organi Unctione. Unde alterutrum videtur servandum pro variis circumstantiis, videlicet extersio fiat post Unctionem unius vel utriusque organi, prout habetur vel non periculum ne contactu alterius rei Oleum auferatur ab uno organo, dum aliud inungitur, v. g. altera auris.

Ad aures, in lobulo vel ima auricula, quo facilius abstergi valeat. Baruff.

Ad nares, nempe ad narices, quae sunt nasi alae laterales, ad evitandam sternutationem. Baruff.

Ad os, compressis labiis. Quando tamen infirmus non audit, et est in agone positus, ore hiante, tunc Sacerdos non debet curare, ut labia comprimantur, ne clauso ore respiratio intercludatur, cum magno infirmi periculo; sed sufficit ut labium sive superius, sive inferius, ungatur. Baruff.

Ad manus, in media palma utriusque.

Ad pedes, in parte superiori aut inferiori, pro Ecclesiae consuetudine (dec. 27 Aug. 1836, *p. 476, not.*), aut opportunitate.

Ad lumbos sive renes. Sufficit ut inungantur latera supra summam coxendicem, seu supra os *Ischion,* sed leviter, ne a tactu adeo sensitivae partis, suboriatur, ut facile est, improvisa titillatio, et exinde vel tussis, vel aliud incommodum. Baruff.

Quid agendum sit, quando Sacerdos erravit circa qualitatem Olei, tradit S. Lig. *n. 709, d. II.* — Si Ext. Unctionem immediate sequatur Benedictio *in articulo mortis,* facienda est confessio generalis, quamvis jam facta fuerit pro Ext. Unct. et forte pro Viatico. Quod tamen intelligendum est, juxta propriam Rubricam, seclusa necessitate.

De ordine commendationis animae et de expiratione, advertendum est Sacerdoti omnino esse curandum ut iis,

quae ad hos titulos tradit Rituale, plane instructus sit, quibus utatur in suiipsius atque infirmi utilitatem. Ea bene ruminet, multaque memoriter ediscat. Cf. Manuale Pastorum Dioec. Tornacen.

APPENDIX DE EXEQUIIS.

Tit. I. Instructiones. **1.** *Quod antiquissimi.* De Missa exequiali, cuique fideli procuranda, dicitur *p. 69, 83 sq.* Attente etiam legenda sunt quae de eadem re hic tradit Rituale.

2. *Laici cadaver.* „Quamvis enim deferre mortuos Officium pietatis, et opus misericordiae sit, attamen semper est actus servitutis, quae a Clerico Laicis praestanda non est...“ Baruff. *h. l. tit. 34*, *n. 143.* Cum autem expresse nominetur cadaver Laici, non autem Clerici, „Viros in dignitate constitutos, Canonicos, Parochos, et hujusmodi solent deferre Viri ejusdem ordinis, non in toto itinere Processionis, sed pro prima elevatione, scilicet quando cadaver e domo deducitur per aliquot passus, ut ita appareat fraternae charitatis exemplum.“ *Ibid. n. 145.* Feminae generatim arcentur a deferendo cadavere, etiam feminae. Quod tamen in se non est prohibitum. Cf. Baruff. *l. c.* et Cav. *t. 3, d. 62, n. 3.*

3. *Corpora Defunctorum in Ecclesia ponenda sunt pedibus versus altare majus.* „Generice loquendo, ait Baruff. *n. 147,* sicuti pedes hominis sunt qui praecedunt, dum intrat Ecclesiam, ita pedes semper primi esse debent versus altare. Ultra quam quod esset quaedam irreverentia, si Laicus terga verteret altari.“ Exceptio autem fit pro Sacerdotibus. Nam „istorum cadavera, postquam intraverint Ecclesiam, caput vertunt ad altare, ex privilegio dignitatis Sacerdotalis, per quod fit etiam, ut dum ad altare celebrant, faciem vertant versus populum, et terga altari, etiamsi in tabernaculo claudatur Eucharistia: quos enim salutamus, eis faciem praesentamus.“ *Ibid. n. 148.* Dici etiam potest Sacerdotem hic repraesentari, quasi populum alloqueretur, doceret et adhortaretur.

Quaeritur, an sicuti feretrum, ita et tumulus modo diverso ponendus sit in absolutione Sacerdotis?

R. Negandum videtur. Quamvis enim quaedam paritas allegari posset, quatenus tumulus figurat corpus, nihilo-

minus nulla videtur facienda exceptio pro ponendo tumulo in absolutione Sacerdotis, cum de ista exceptione sileant Rubricae tam Missalis, quam Caeremonialis Episcoporum, nec ea possit jure deduci ex exceptione facta pro corporibus. Cf. Cav. etc. *tom. 3, c. 15, d. 174, n. 7*, et *Append. ad cit. cap. 15;* cs. Janss. *p. 2, II, tit. 13, n. 26.* Secus tamen docet Deherdt *h. l. n. 36, III, 1°* cum Rit. Leod.

Tit. II. Exequiarum ordo. Clericus ita Crucem praefert ut tergum Crucifixi versus se habeat: Christus scilicet praeit tanquam dux victor in Cruce *(p. 436, 8)*, et in signum quod Defunctus obiit in signaculo Crucis. Cf. Baruff. *tit. 36, n. 34,* — *sequitur Clerus,* superpelliceo indutus. Diaconus et Subdiaconus non induunt amictum, Albam, aut Dalmaticam seu Tunicellam: non enim assignantur per Rubricas. Cs. dec. 23 Mai. 1846, n. 4904, *X. Ibidem ad XI,* agitur de Calice et Patena quae ex usu Dioec. Tuden. ponuntur in manibus cadaveris Sacerdotis, dum defertur.

Cum luminibus. His significatur, mortuos fuisse filios lucis, et in lumine fidei expirasse. Romsée, *t. 4, c. 1, a. 4, n. 6.* Lumina etiam adhibentur ad honorandum cadaver, quod fuit habitaculum animae christianae, et ubi peculiariter habitavit Spiritus S. per gratiam, atque Christus Dominus per Eucharistiam, quodque destinatur vitae aeternum beatae. Thurificatur eodem sensu honoris, et propter alias rationes, ut infra.

Deinde cadaver effertur, praecedentibus luminibus. Supponitur efferri in solito feretro: nam si in curru, v. g. ruri, efferatur usque ad fores Ecclesiae, hoc fieri debet absque associatione Parochi, sine Cruce et sine Processione, uti docet Baruff. *tit. 36, n. 97 sq.* Ex observatione Rubricarum, in hoc puncto, sequens etiam exurget bonum: praecavebitur periculum ne in habitu chorali habeantur confabulationes profanae, quae, procul dubio, non parum dedecent in hujusmodi circumstantia, quaeque solent esse scandalo Christifidelibus ac praesertim Defuncti consanguineis.

Ecclesiasticis, non vero Laicis, prohibetur in delatione cadaveris apprehendere fimbrias panni funebris. Dec. 20 Sept. 1681, n. 2831. — Pannus albi coloris non est adhibendus in signum virginitatis, sive ad feretrum, sive ad tumulum. Dec. 21 Jul. 1855, n. 5085, 13. Cf. dicta *p. 182*, 2.

Deposito feretro in medio Ecclesiae, non autem in Presbyterio. Cs. Caer. Ep. *l. 2, c. 28, n. 25.* — *Dicitur Offi-*

cium Defunctorum, Ritu dup., ut ordinat titulus: *Officium Defunctorum.*

Ad finem Officii. In casu Officium terminatur ad normam Ritus duplicis: post Orationem Laudum nihil additur, neque Ps. *De Profundis*, neque Vers. *Requiem*; sed statim dicitur Missa, aut (si haec non celebretur) Oratio, *Non intres.*

Dum in Officio dicuntur Laudes. Oratio, *Absolve*, supponitur dici ab aliquo de Clero, qui est in Choro.

Finita Missa. Juxta Cav. *t. 3, d. 174*, aliosque, Sacerdos ad feretrum aut tumulum procedit capite cooperto, illudque aperit ad absolutionem. Subdiaconus cum Cruce se sistit vel *ad caput Defuncti*, vel *ad pedes tumuli (p. 345)*, prout corpus est praesens vel absens. Missale, et Rituale infra, agit de posteriori casu, Rituale vero *h. l.* de priori; Caeremoniale Ep. *l. 2, c. 11, n. 15*, de utroque. „Acolythi, ait, Ceroferarii, ac Subdiaconus cum Cruce ibunt ad pedes loci, et Subdiaconus cum Cruce collocabit se in medio eorum: nisi fiat absolutio, praesente corpore seu cadavere; quo casu Subdiaconus cum Cruce collocabitur ad caput Defuncti, quicumque ille sit, prout in Rituali Romano.“ Cf. pt. dec. 3 Sept. 1746, n. 4034, 2, et Janss. *de absolutione post Missam, n. 26 sqq.* Relinquenda omnino est sententia opposita quam propugnat Cav. cum aliis *t. 3, d. 174, n. 6 sqq.* Ratio autem cur Celebrans semper se sistat ad pedes feretri, non vero ad pedes tumuli, ea esse potest, quia congruit ut ante se habeat faciem, non terga Defuncti: quae ratio non militat respectu tumuli, ac proinde se sistit statim ac pervenit ad tumulum, facie ad populum conversa.

Non intres. Hic citari possent S. R. C. decreta quibus praescribitur servari Rituale Romanum in recitanda hac Oratione, nimirum absque ulla mutatione in genere, numero aut conclusione. Sed supervacaneum foret haec et alia hujusmodi decreta citare: cum enim praefatae mutationes non indicentur in Rituali, patet, ex dictis de obligatione hujus libri, eas non posse fieri, nec verisimile esse eas unquam fore a Sede Apostolica indulgendas. Cf. pt. dec. ap. Deherdt citata, *n. 36, III, 4°*, de unica absolutione facienda, juxta Rituale Romanum.

Et secreto. Feretrum ter a qualibet parte benedicitur et thurificatur, ut ordinat Rubrica Missalis de absolutione ad tumulum *(p. 345)*. Ex illa Rubrica explicanda et sup-

plenda sunt quae hic vel subobscure, vel generatim tantum traduntur.

De genuflexionibus, notandum est inter Autores non convenire quot faciendae sint infra absolutionem. Ex Rubrica tam Missalis, quam Ritualis, reverentia facienda est altari, necnon Cruci processionali; sed neque in Missali, neque in Rituali singillatim indicatur quae et quot sint faciendae: cujus silentii ratio ea esse potest, quia earum numerus variatur pro circumstantia loci, ubi ponitur cadaver aut tumulus, vel pro modo ponendi caput. Habita autem ratione hujusmodi circumstantiarum, res ita videtur componenda. *a)* Si fiat absolutio ad feretrum Laici, vel ad tumulum, in medio Ecclesiae, ante altare majus positum, sequentes videntur faciendae reverentiae: 1° altari ante aspersionem, 3° Cruci in transitu ante illam, 3° iterum altari, in transitu post aspersionem, 4° iterum Cruci, in transitu, et 5°, ut videtur, altari post thurificationem (cs. Janss. *l. c. n. 39 sqq.*) — *b)* Si vero fiat absolutio ad cadaver seu feretrum Sacerdotis, ibidem positum, tunc duae tantum videntur faciendae reverentiae, nimirum in transitu ante altare infra aspersionem et thurificationem: tunc enim cessat ratio faciendi reverentias enunciatas 1°, 2° et 4° loco: etenim nulla facienda est ante aspersionem, cum Sacerdos nec transeat ante altare, nec ab eo recedat; neque peculiaris reverentia facienda est Cruci processionali, utpote positae inter Sacerdotem et altare, cui fit reverentia. Advertendum est Diaconum semper genuflectere Cruci, Sacerdotem vero Cruci inclinare caput, et tabernaculo SS. Sacramenti genuflectere. De Vers. *Anima ejus,* in fine, dicitur infra, *Titulo de Exequiis, absente corpore.*

Si vero ob rationabilem causam, partim aut integre omittatur Officium Defunctorum, *nunquam omittantur aliae preces et suffragia,* puta Orationem, *Non intres,* et alia quae in absolutione fiunt et eamdem sequuntur.

Tit. III. Officium Defunctorum. Officium Defunctorum traditur in Rituali, Ritu semid.; et quando occurrit recitandum Ritu dup., tunc duplicandae sunt Antiph., et praeterea omittendi Psalmi *Lauda anima* ad Vesperas, et *De profundis* ad Laudes, prout notatur in Brev. ad hoc Officium, et ad 2am Novembris. Quando Laudes recitari non possunt, et unicum cantatur Nocturnum, tunc Ps. *De profundis,* laudabilius recitatur ad preces in fine Nocturni.

Dec. 21 Jul. 1855, *in Briocen.* n. 5085, 5. De genuflexione infra preces ad Laudes et Vesperas, quaeri posset, an omittenda sit quando Officium recitatur Ritu dup.? Negandum est, quia haec genuflexio absolute indicitur, nullaque ponitur exceptio, ita ut censenda sit pertinere ad qualitatem precum potius quam ad Ritum ferialem. Quare, ut docet Cav. *t. 3, d. 18 fin.*, preces nunquam sunt omittendae, et semper dicendae flexis genibus. Equidem genuflexio non indicitur ad Laudes in Exequiis: sed hujusmodi silentium est mere negativum, et applicanda est regula generalis.

Tit. IV. De Officio faciendo in Exequiis, absente corpore Defuncti, et in die 3, 7, 30 et anniversario. Item Ritus hic traditur ac in Missali *(p. 345)*, nisi *a)* quod in Missali, et non in Rituali, indicitur Crucis signum super tumulum in fine, et *b)* vicissim in Rituali, loco Orationis, *Absolve* (si non conveniat), proponitur „Oratio quae dicta est in Missa, vel alia conveniens." In casu autem silentium unius Rubricae supplendum est ex alia, ita ut nunquam omittatur Crucis signum † (cs. Caer. Ep. *l. 2, c. 11, n. 12*), et Oratio, *Absolve* in aliam mutetur pro circumstantiis.

Quaeritur an in absolutione super tumulum, addendus sit Vers. *Anima ejus* etc., sicuti corpore praesente?

R. Negative, uti videre est in Rubrica tam Missalis, quam Ritualis, et Caer. Ep. *l. c.* Vid. resp. ad objectionem.

Objicitur. AA. communiter, etiam recentiores et qui Romae scripserunt, ut Baldeschi, *tom. 3, c. 5, a. 5, n. 29,* docent praefatum Vers. *Anima* etc. esse dicendum in absolutione quae fit ad tumulum, absente corpore, excepta absolutione quae fit in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, aut quacumque generali Commemoratione Defunctorum.

R. Adsunt validae rationes hic recedendi a communi sententia. Haec enim 1° aperte repugnat textui claro Rubricarum Missalis, Ritualis et Caerem. Ep. *l. 2, c. 11, n. 12 et 22,* et S. R. C. dec. 2 Dec. 1684, n. 2924, 11 [1]. — 2° Ista

1) En dubium cum responso, „11. An post absolutionem, quae fit super cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die Anniversario, aut super lecticam, seu castrum doloris in die Commemorationis omnium Fidelium Defunctorum, dicto versiculo, *Requiescant in pace,* subjungi debeat, *Anima ejus, et Animae omnium Fidelium Defunctorum per Misericordiam Dei requiescant in*

communis sententia aliud non videtur habere fundamentum, praeter erroneam lectionem decreti cit., quae [1] exhibetur a Merati, *tom. 1, ser. decretor. n. 447*, Spiridione Talu *n. 593*, et Cav. *tom. 3, dec. 240.* Quod ad Baldeschi attinet, advertendum est Rubricam Missalis ab ipso erronee citari in probationem sui asserti. Loquor de editionibus, quas consului.

Tit. V. De Exequiis parvulorum. 1. *Cum igitur infans.* Infans (a *fari* et *in*) dicitur qui noviter natus est, necdum loquitur; puer vero, qui jam quidem loquitur, sed nondum adeptus est usum rationis. Pueri, seu parvuli „communiter censentur qui septimum non compleverunt annum, nisi malitia aetatem suppleat, quo in casu non parvulorum, sed adultorum exequiae iisdem exhibendae forent." Cav. *t. 3, c. 16, n. 1.* Morum autem simplicitas et innocentia non est titulus sufficiens ut sepultura parvulorum iis tribuatur qui ad usum rationis pervenerunt. Cf. Cav. *l. c. n. 5 sq.*, et dicta *p. 183 sq.*

2. Crux *sine hasta defertur*, „quia, inquit Baruffaldi *tit. 40, n. 12 sq.*, cum Crux quae in processione defertur, significet Ecclesiam in hoc mundo peregrinantem, et militantem cum vexillo Domini et Ducis sui, non omnino hoc verificatur in infantulis, qui per brevissimum temporis spatium militiam, seu peregrinationem in hoc mundo sustinuerunt: ideo brevis est Crux, quia breve fuit eorum iter super hac terra." Ad haec, subjungit Cav. *t. 3, c. 16, n. 18:* „verum quidquid sit de ratione ista, nos crederemus magis, pace, cum de hoc nullam mentionem fecerint Gavantus, et alii Caeremoniales, quod tantum legitur in Rit. Rom. *de exequiis* in fine?"

R. „Ad 11. *Servetur Rituale: at in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, nihil superaddendum.*"

Advertendum est *a)* mentionem peculiarem fieri de absolutione in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, quia de hac silet Rituale, et *b)* per illa verba, *nihil superaddendum,* praefatam absolutionem assimilari ei quae fit in die 3, 7, 30 et Anniversario: et reipsa eadem est ratio.

1) Praefata erronea lectio sic sonat. „In Exequiis post absolutionem, quae fit super cadaver in die obitus, vel supra tumulum in die Anniversario, dicto *Requiescant in pace,* subjungi debet: *Anima ejus, et Animae omnium Fidelium Defunctorum per misericordiam Dei requiescant in pace;* sed super lecticam seu castrum doloris in Commemoratione omnium Fidelium Defunctorum, nihil superaddendum."

quod Crux sine hasta defertur ad denotandum, quod solis Crucis meritis, et nullis eorum propriis parvuli salvi sunt..."

3. De Missa celebranda in Exequiis parvulorum nulla mentio fit in Rituali; unde quaeri potest utrum praeter aut contra Rituale agat qui, in hujusmodi Exequiis, Missam celebrat vel conformem Officio, vel Votivam, quando dies permittit Votivas privatas? S. R. C. dec. 23 Mart. 1709, n. 3651, 1, Resp.: „Servetur Rubrica Ritualis Romani." Juxta Deherdt, *n. 37, 6,* „pro laudabili cujusque Ecclesiae more fieri potest in gratiarum actionem, laudem divinae Providentiae, similesque fines." — De Cereis pariter silet Rituale: nihilominus in his etiam exequiis sunt adhibendi. Cf. Deherdt, *h. l. n. 37, IX et X.*

§. V. DE SACRAMENTO MATRIMONII.

Tit. I. Instructiones. 1. *Moneat Parochus.* In celebratione Matrimonii duo sunt distinguenda, videlicet *a)* ipsa celebratio cum benedictione adnexa, et *b)* solemnis benedictio, quae, Matrimonio contracto, impertitur inter Missarum solemnia. In hoc §. *Moneat,* et in seq. *Caveat,* agitur de solemni benedictione. — Monitum hic a Parocho dandum conjugibus, non excedit limites consilii. Cf. Bened. XIV, *Inst. 80, n. 17 sqq.*

2. *Caveat etiam Parochus.* Generatim prohibitum est secundas nuptias benedicere, id est, non solum impertire solemnem benedictionem, sed etiam celebrare Missam pro sponso et sponsa propriam (dec. 3 Mart. 1761, n. 4150, 4). Cf. Bened. XIV, *l. c. n. 11.* Et ratio congruentiae in eo consistit, quod secundae nuptiae deficiunt a plena Sacramenti significatione, in significanda nimirum unione Christi cum Ecclesia; et praeterea non convenit ut benedictio impertiatur personis, quae eamdem acceperunt. Admittitur tamen, per Rituale, consuetudo contraria quoad virum, non vero quoad uxorem, quia benedictio praesertim cadit super mulierem. — Notandum est benedictionem annuli non comprehendi sub solemni, ac proinde non prohiberi in secundis nuptiis. Cf. dec. 27 Aug. 1836, n. 4631, 2.

3. *Postremo.* Jure communi, omni quidem tempore contrahi potest Matrimonium, et solae solemnitates Nuptiarum prohibentur temporibus feriatis; attamen multis in regionibus ipsum Matrimonium, per eadem tempora, prohibetur decretis synodalibus aut peculiari consuetudine, uti docet

Bened. XIV, *l. c. n. 14.* Quae consuetudo viget et servanda est in nostra Dioecesi. *Rit. Tornacen. p. 222.* — *Ut nuptias benedicere.* Per haec verba excludi videtur benedictio Missalis, ita ut, his temporibus, nec dari possit extra Missam. Cf. Ben. XIV, *l. c. n. 7.* Attamen vid. Cav. *t. 4, d. 257, n. 4.*

Tit. II. Ritus celebrandi Matrimonii Sacramentum. **1.** *His expletis* celebrato nempe Matrimonio, *si benedicendae sint Nuptiae, Parochus* etc. 1° Rituale supponit Matrimonium aliquando contrahi absque solemni benedictione; sed non dicit an hoc fieri possit ad arbitrium, vel solum ex rationabili causa, v. g. quia contrahitur tempore feriarum. „Licet, inquit Cav. *t. 4, c. 15, n. 1,* non defuerint, qui nuptiales benedictiones crediderunt esse solummodo de consilio adhibendas, nunc in adstruendo praecepto, convenit turba Doctorum, cui conformis est communis praxis.“ Cs. Deherdt, *n. 39, II.* Sed communiter in hoc non agnoscitur nisi obligatio levis. Quando Matrimonium contrahitur tempore feriarum, tunc solemnis benedictio non omittitur, sed differtur. Cav. *l. c. d. 254, n. 7.*

2. Rituale pariter supponit benedictionem solemnem non dari extra Missam. Si tamen non possit celebrari Missa *pro Sponso et Sponsa,* benedictio solemnis poterit a Missa separari et extra eamdem impertiri. Dec. 1 Sept. 1838, n. 4694, 2. Juxta Cav. *t. 4, d. 257, n. 2,* intervenire debet dispensatio Episcopi. An autem hujusmodi benedictio dari possit temporibus feriatis, vid. *tit. praec. n. 3.*

3. Missa *pro Sponso et Sponsa* est privilegiata, quatenus celebrari possit in Dup. etiam maj.; manet tamen Votiva privata, dicendaque est cum tribus saltem Orationibus, sine *Gloria* nec *Credo,* cum *Benedicamus Domino,* et Ev. S. Joannis in fine. Diebus prohibitis suppletur per Missam de die, cum Commemoratione pro Sponso et Sponsa. Haec paululum veniunt elucidanda.

1° Ex dec. gen. 30 Dec. 1783, n. 4266, quod in Rituali legitur, haec Missa permittitur in Festo dup. per annum, sive maj. sive min., exceptis diebus Dominicis. Festis de praecepto in foro, et dup. I et II Cl. Ex hoc decreto deducit Gardellini, ad n. 4437, 5, *in Derthonen.* excipiendos etiam esse dies in quibus fieri nequit de Festo dup. II Cl. occurrente vel translato. Hinc S. R. C. *in Derthonen.* cit. declaravit dies sequentes excludere praefatam Missam, nimirum: Octavam Epiph. Vig. Pentecostes et Oct. privile-

giatam SS. Corporis Christi, quatenus privilegium concessum sit ad instar Octavae Epiph. Cujusmodi privilegium (excludendi Dup. II Cl.) habet non tota Octava, sed Octava dies (cs. Gard. n. 4388, 1). Excipienda etiam est, ut patet, tota Octava Pentecostes. Commemoratio autem omnium Fidelium Defunctorum, quamvis excludat Dup. II Cl. (saltem solemnia, *tom. I, p. 435, 4°*), admittere videtur Missam *pro Sponso et Sponsa*. Ap. Falise, *Cérémonial romain p. 463*, res dicitur definita a S. R. C. die 7 Sept. 1850, *in Veronen. ad 4*. Hoc tamen dec. non reperitur in Collect. Auth.

2° Quoad qualitatem hujusmodi Missae, cf. S. R. C. dec. gen. 28 Feb. 1818, n. 4394. Tertia Oratio, quando nulla occurrit Commemoratio, dicitur quae tunc temporis occurrit dicenda 2° loco inter communes *(p. 118 sqq.)*.

3° Diebus impeditis, etiam Dup. I Cl., nullo excepto, dicitur Missa de die cum Commemoratione pro Sponso et Sponsa, sub altera conclusione post Commemorationes speciales, si quae occurrant *(p. 108, 5)*. Cf. dec. 28 Feb. cit. et 20 Apr. 1822, n. 4438, 6, 7 et 8. In hujusmodi Missa nuptiae benedicuntur, ut in Votiva pro Sponso et Sponsa.

De Matrimoniis mixtis. De hujusmodi Matrimoniis, quae quam maxime sunt praecavanda, non agit Rituale, nec procedunt hucusque exposita; de illis sequentia notentur. 1° Quando Matrimonium illicite contrahitur, Parochus nullo modo potest eidem cooperari. Nihil igitur attentet, antequam obtenta fuerit dispensatio Pontificia, omniaque fuerint praestita, quae requiruntur ut licite ineantur istiusmodi Matrimonia.

2° Quod attinet ad proclamationes antenuptiales et assistentiam, generatim ea servanda erunt quae praescribuntur in Litteris Apostolicis et in Institutionibus Episcopalibus [1].

3° In Rescriptis Pontificiis prohiberi solent proclamationes antenuptiales, benedictio nuptialis, omnisque Ritus sacer; et solummodo permittitur nuda Parochi praesentia,

1) Episcopi enim solent normam agendi tradere Parochis, sive generali decreto, sive particulari Epistola, prout ipsi magis expedire judicaverint. »Quare, inquit Bened. XIV, *lib. 6, de Syn. c. 5, n. 4,* in iis locis atque regionibus, ubi hujusmodi Matrimonia aliquando sic contrahi permittuntur, expedit omnino ut Episcopus, ad tuendum Ecclesiae decorem, Ritus in eorumdem connubiorum celebratione servandos opportune prudenterque praescribat.«

haecque extra locum sacrum; haec enim permittitur qua necessaria ad valorem Matrimonii contrahendi in locis, ubi viget lex Tridentina. Cf. Bened. XIV, *lib. 4, de Syn. c. 5, n. 5;* Dens, *de Matrim. n. 31, IV;* D. Feye, *Dissert. canonica de Matrim. mixtis, p. 230 sqq.* Unde Parochus assistit quidem ut testis qualificatus, non vero ut Minister sacer: ac proinde, seclusa peculiari dispensatione, extra Ecclesiam (sub qua in Belgio hic solet [1] comprehendi Sacristia), sine ulla veste sacra, ullove Ritu sacro, omissisque his, vel similibus verbis, *Ego vos conjungo* etc.

Pariter praetermittenda est solemnis illa Partium interrogatio de mutuo consensu, quae pertinet ad assistentiam activam. Hinc Congregatio S. Officii perhibetur respondisse abstinendum esse Parocho, non solum a proferendis illis verbis, *Ego vos conjungo*... sed etiam ab interrogandis Partibus de consensu.

Si contingat praefatam normam non exprimi in Rescripto Pontificio, nec in Ordinatione Episcopali, ea tamen erit servanda, sin minus tanquam regula generalis, quoad omnia, saltem ut praxis conformior menti S. Sedis, multis Rescriptis expressae. Cujus praxeos ratio est, quia Ecclesia istiusmodi connubia nunquam non abhorruit, eisque favere nequit, eaque tantummodo, certis in casibus, tolerat gravibus de causis, et adhibitis cautelis, quibus, quantum fieri possit, praecaveantur et amoveantur mala inde oriri nata. Cf. Ben. XIV, *l. c. n. 3;* D. Feye, *op. cit. pag. 171 sqq.*

De benedictione mulieris post partum. Haec benedictio non praecipitur in Rituali, sed proponitur, tanquam de consilio: *si voluerit.* Solent tamen puerperae christianae eam petere ad imitationem B. M. V. Mulieribus vero quae illegitimam prolem edunt, sive ex fornicatione, sive ex adulterio notorio deneganda est hujusmodi benedictio. Cs. Rit. Torn.

Quaeritur an omittenda sit, quando proles moritur ante benedictionem?

R. Negative: hujusmodi enim exceptio non fit in Rituali, nec eruitur ex fine aliisve circumstantiis benedictionis. *a)* Finis in Rituali expressus, in eo consistit ut puerpera gratias Deo agat pro sua incolumitate, et benedictionem

1) Em. ac Rev. DD. Card. Archiep. Mechlin. quamdam fulminando hujusmodi dispensationem, declarat Sacristiam sub Ecclesia comprehendi.

petat praecipue pro seipsa (ut ex precibus patet). *b)* Nulla obstat circumstantia: et, quamvis mortua sit proles, etiam verificatur ultima Oratio: haec enim verba, *qui Fidelium parentium dolores in gaudium vertisti,* dicuntur in genere, sicque sunt vera quamvis in quolibet partu non verificentur omni sub respectu, ut aliunde facile contingere potest v. g. in benedictione pauperis, quae jam numerosiores habet natos. Praeterea, si infans fuerit ante mortem baptizatus, illa verba bene verificantur respectu piae matris. S. R. C. fertur respondisse 12 Sept. 1857, ad 20, quoad hunc casum, servandum esse Rituale Romanum. Attendantur et consuetudo loci, et puerperae votum.

SECTIO II.

DE BENEDICTIONIBUS.

§. I. REGULAE GENERALES.

1. *Notio.* „Quamvis *Benedictio* seu *benedicere* multipliciter accipi possit, nomine tamen Benedictionum, de quibus agendum est in liturgicis institutionibus, Ritus, formulae, caeremoniae intelliguntur, quae nomine Ecclesiae, et ex autoritate ei a Deo concessa per invocationem divini Nominis a sacris Ministris peraguntur, vel ad postulandum pro hominibus aliquid boni, vel ad conferendum aliquod esse sacrum rei quae benedicitur, ut fiat instrumentum salutis sive animarum, sive corporum, ad quod pertinet illud Apostoli dictum in *Epist. 1. ad Tim. Omnis creatura sanctificatur per verbum Dei et Orationem.*" Fornici, *p. 4, c. 1.*

2. *Divisio.* 1° Benedictiones *ratione Ministri*, in tres dividuntur species: *a)* aliae ita propriae sunt Pontificibus, ut inferioribus Sacerdotibus non delegentur, nisi ex speciali S. Sedis indulto (cf. S. R. C. dec. approbat. 5 Dec. 1851, n. 5026, 3); *b)* aliae sunt quidem reservatae Pontificibus, sed delegari possunt caeteris Sacerdotibus; *c)* reliquae tandem sunt communes, et, per se loquendo, fieri possunt a quocumque Sacerdote *(p. 470)*. Quae non nisi a Pontificibus fiunt, puta benedictio SS. Oleorum Feria V. in Coena Domini, et generatim illae in quibus intervenit unctio S. Chrismatis, aut S. Olei, traduntur in Pontificali. Cf. Bened. XIV, *Inst. 47, n. 38.* Quae autem fieri possunt a simplici Sacerdote, ex proprio aut delegato jure, repe-

riuntur in Rituali. Hae dicuntur fieri posse a quocúmque Sacerdote, quatenus non requiritur Ordo aut delegatio episcopalis; sed addidimus, *per se loquendo*, quia quaedam sunt juris Parochi, ut benedictio domorum, Sabbato Sancto *(S. C., Concilii ap. Cav. t. 4, n. 381)*, et benedictio super campos (dec. 16 Oct. 1686, n. 2975, et 9 Mai. 1705, n. 3573, 1). At benedictio domorum extra Sabbatum Sanctum, juxta Cav. *l. c. d. 383,* non est Parocho reservata.

Juxta Quarti, Fornici et alios, „quaelibet benedictio nec valide nec licite fit, nisi ab eo qui ad tale munus destinatus est ab Ecclesia, ad quam, sicuti pertinet institutio benedictionum, ita, ut vidimus, et designatio legitimi Ministri." Fornici, *p. 4, c. 2.* Sed verba, *nisi ab eo qui ad tale munus destinatus est ab Ecclesia,* ita videntur intelligenda, ut si agatur de benedictione, sine delegatione facta a Ministro qui delegari potest, v. g. de benedictione indumentorum Sacerdotalium a simplici Sacerdote facta, ea sit tantum illicita; si vero de ea, ad quam talis Minister non potest delegari, qualis est v. g. consecratio Calicis a Diacono facta, ea sit non solum illicita sed etiam invalida. Et ratio est, quia in priori, et non in Posteriori casu, Minister est aliquatenus ab Ecclesia destinatus ad tale munus. Cf. dec. 27 Aug. 1707, n. 3626.

2° „*Ratione finis* dividuntur in invocativas et constitutivas, prout a Theologis appellantur. *Invocativae* dicuntur illae, quibus benignitas Dei invocatur, ut personis, seu rebus benedicendis, pro cujuscumque conditione, usu, necessitate, aliquid boni tribuat, easque vindicet a malo, non immutato earumdem statu...; cujusmodi sunt benedictio puerperae post partum, frugum, vinearum, atque omnium esculentorum et poculentorum. *Constitutivae* dicuntur illae per quas personae, seu res, constituuntur in esse permanente rei sacrae et religiosae, adeo ut eum statum deinceps non mutent..." Fornici, *l. c. n. 1,* cum Quarti.

3. *Formulae* benedictionum illae tantum adhiberi possunt quae reperiuntur in Pontificali, Missali vel Rituali, aut approbatae fuerunt a Sede Apostolica *(tom. I, p. 50, d.)*. Unde Rituale ordinat ut, „cum Sacerdos aliquid benedicturus est, habeat Ministrum... cum hoc Rituali Libro, seu Missali." Quoad benedictiones, pro quibus desideratur formula legitime approbata, S. R. C. respondit: „producendum signum Crucis super re benedicenda cum formula,

In nomine Patris, etc.; deinde rem ipsam, absque cereo accenso, cum aqua benedicta, aspergendam.“ 12 Aug. 1854, *in Lucionen. ad 68.*

4. *De vestibus*, Rituale ordinat, ut „in omni benedictione extra Missam, Sacerdos saltem superpelliceo et stola pro ratione temporis utatur, nisi aliter in Missali notetur.“ Dicitur *saltem*, quia in benedictionibus quae fiunt ad altare, Sacerdos utitur etiam pluviali (*p. 186*).

5. *De Ritu.* In Rituali ordinatur ut Sacerdos „stando semper benedicat, et aperto capite.“ Addendum est, cum Deherdt, *p. 5, n. 37, 5⁰:* stet „manibus junctis, eas nunquam disjungendo ad *Dominus vobiscum*, et *Oremus*, sed caput tantum Cruci inclinando ad *Oremus* et ad SS. Nomen *Jesu.* Sacerdos in principio cujusque benedictionis dicit *Adjutorium nostrum* se signando, et *Dominus vobiscum*, sed nunquam se vertendo ad populum. Si benedictio fiat ad altare, omnia recitantur ad cornu Epistolae.“

§. II. DE BENEDICTIONIBUS IN SPECIE.

Post regulas generales, ponuntur benedictiones ad diversa, quarum aliae fieri possunt a quolibet Sacerdote, et aliae, videlicet a benedictione *Sacerdotalium indumentorum*, reservantur Ministro qui habet Ordinem vel delegationem episcopalem. De prioribus nihil hic occurrit dicendum, quia Rubricae peculiares sufficiunt cum iis quae exponuntur supra (*p. 470*), et in Rituali *tit. I;* de posterioribus quaedam veniunt notanda.

Benedictiones ab Episcopis, vel aliis facultatem habentibus, faciendae.

1. De potestate *ordinaria* delegandi simplicem Sacerdotem ad benedictiones hic positas in Rituali. 1⁰ Hujusmodi facultas, in Rituali, expressis terminis tribuitur Episcopo, quoad benedictiones *Primarii lapidis*, *Novae Ecclesiae* et *Novi Coemeterii*, necnon quoad *reconciliationem Ecclesiae* aut *Coemeterii violati.* 2⁰ Quoad alias benedictiones, puta *Sacerdotalium indumentorum* etc., non convenit inter AA. Sententia negans solidum habet fundamentum in ipsa rei natura, in textu Ritualis, et in decretis S. R. C. *a)* Facultas faciendi praefatas benedictiones non spectat ad potestatem jurisdictionis, quae est delegabilis, sed ad potestatem Ordinis, quae delegari non potest. Cav. *t. 4, d. 182,*

n. 1. *b)* Dum Rituale expresse tribuit Episcopo dictam facultatem, quoad quasdam benedictiones, eamdem implicite denegat circa alias. *c)* Eadem sententia confirmatur praxi S. R. C. (cf. *Inst. 21*, Bened. XIV, *n. 10*); imo probatur decreto 16 Mai. 1744, n. 4010, 5. Cf. pt. S. Lig. *de Euch. n. 378, d. 4.*

Notandum est cum Dens, *de Poenit. n. 222, 11*, Episcopos Belgii habere indultum delegandi simplicibus Sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia utensilia ad Sacrificium Missae necessaria, ubi non intervenit S. Unctio, et reconciliandi Ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab Episcopo.

2. Benedictiones Sacerdotalium indumentorum et linteaminum altaris etc. adhibendae sunt in benedictione non solum indumentorum etc., quae certo aut probabiliter debent benedici, sed etiam eorum quae convenit benedicere *(p. 220)*.

3. *In benedictione tabernaculi.* Quaestio non est de tabernaculo, prout solet nunc accipi, sed de tabernaculo, sumpto pro vase in quo asservatur S. Eucharistia. Cf. not. *p. 356*, et Rituale, *tit. de Processione in Festo SS. Corporis Christi.*

4. Datur benedictio pro nuda Cruce, puta absque imagine Crucifixi; et altera, pro Imaginibus J. C. D. N., B. M. V., aliorumque Sanctorum. Non quaelibet benedictio Crucis aut Imaginis est reservata Episcopis, sed tantum benedictio earum quae in Coemeteriis alibive sunt publice exponendae; aliae autem possunt a simplici Sacerdote privatim benedici cum formula tradita in Rituali pro nova Cruce et Imaginibus. Dec. 12 Aug. 1854, *in Lucionen. ad 66*, ad normam praecedentis dec. 12 Jul. 1704, n. 3548, 2.

5. *Ritus benedicendi novam Ecclesiam, seu Oratorium publicum.* 1° Hujusmodi Ritus non datur, nec adhibendus est pro benedicendo Oratorio domestico. „Cum (inquit S. R. C. dec. 11 Mart. 1820, n. 4415, 10), Oratoria privata numquam benedicantur Ritu praescripto in Rituali Romano pro publicis,“ si, prout magis decet, benedicantur, hoc privatim agendum erit, adhibita benedictione domus vel loci. Cf. pt. Gardell. ad cit. dec. — 2° Quamvis Ecclesia non valeat tota circumdari ad extra, nihilominus „potest consecrari, et circumdari per illas partes in quibus est

aditus." Dec. 19 Sept. 1665, n. 2196, 1. Similiter benedici potest.

De benedictione campanarum agit Deherdt *h. l. n. 44.* Sed cum ad Episcopos pertineat et in Pontificali descripta sit, hic silentio praetermittendam esse ducimus. De earumdem pulsatione et benedictione, agit Bened. XIV, *Inst. 47, a. n. 29.* De nomine, vid. not. *p. 208.*

SECTIO III.

DE PROCESSIONIBUS.

§. I. DE PROCESSIONIBUS IN GENERE.

Iis quae in Rituali traduntur, sequentia veniunt addenda. 1. „In Processionibus, in quibus defertur SS. Christi Corpus, vel sanctae Crucis Lignum, tam Clerus quam Saeculares detecto capite incedere debent. In aliis vero Processionibus, in quibus deferuntur Reliquiae, vel Statuae Sanctorum, tunc Saeculares, et Ecclesiastici, qui eas deferunt, detecto capite; alii vero Clerici possunt incedere tecto capite cum birreto." Dec. 2 Sept. 1690, n. 3081. Circa ultimum *alii vero* etc. duo veniunt advertenda. 1° Excipiuntur *a)* Assistens Celebranti et Clerici qui Processionem dirigunt: ex dec. enim 23 Sept. 1837, n. 4466, 9, q. 1, non possunt cooperire caput: *b)* item excipiuntur Thuriferarius, Crucifer et Acolythi, nec non qui vexilla deferunt. Cf. dicta *p. 197 sq.*, et dec. 10 Jun. 1690, n. 3076. — 2° Facultas cooperiendi caput limitatur a Deherdt, *h. l. n. 45, IV, 1*, ad Processiones, quae fiunt extra Ecclesiam. Equidem, excepto Episcopo parato, in Ecclesia caput non cooperitur ad Processiones, quae sunt supplicationes, juxta dec. 17 Jun. 1673, n. 2485, 9. Ibi tamen non agitur de Processionibus quae fiunt Dominica Palmarum et Festo Purificationis: et in his, Celebrans, ut videtur ex Mem. Rit. *n. 5 sq.*, *de Processione* die 2 Feb., caput cooperit etiam in Ecclesia. — Paramenta adhibeantur, juxta Rubricas generales *de colore et qualitate paramentorum*, et juxta peculiares Rubricas, pro qualitate Processionis.

2. Praecedit Thuriferarius vel Crucifer, pro qualitate Processionis, Imagine Crucifixi praeeunte *(p. 436)*. Ministri incedunt a lateribus Sacerdotis, nisi Subdiaconus Crucem deferat, et fimbrias pluvialis sustinent *(p. 431)*. Ordo

autem, inter Clerum, et inter populum, servetur ut in Caer. Ep. *(l. 2, c. 23, n. 5)*, et Rituali, pro qualitate Ecclesiarum et personarum.

Vexillum sacris Imaginibus insignitum. Nihil impedit quin Imagines et Statuae Sanctorum deferantur in Processionibus [1], si excipiantur quae fiunt cum SS. Sacramento: in his enim non possunt deferri. Dec. 23 Mart. 1593, n. 15 *in supplem.*, et 17 Jun. 1684, n. 2910, 1, de Ligno S. Crucis, et de SS. Spinis. Cf. dicta *p. 378.* Si tamen vigeat usus contrarius deferendi scilicet Sanctorum Imagines vel Statuas, id tolerari posse videtur ab Ordinario; sed providendum est ne deferantur prope SS. Sacramentum [2], et ne hujusmodi sint ut Fidelium animos avertant a veneratione SS. Sacramenti.

De modo deferendi SS. Reliquias in Processione, agit Rituale, *tit. de translatione SS. Reliquiarum insignium;* hic sequentia notentur: 1° Jus eas deferendi pertinet ad Episcopum aut ad Celebrantem. Dec. 26 Jan. 1658, n. 1714. 2° Deferuntur detecto capite *(p. praec.)*, et cum duobus saltem luminibus *(App. infra)*. 3° Post Processionem potest, sed non debet, populo impertiri benedictio cum iisdem. Dec. 24 Jun. 1683, n. 2876, 1. De Reliquia S. Crucis, dicitur infra, *append. n. 3.*

3. Generatim Processiones fiunt ante Missam solemnem, uti ordinat Rituale et explicatur *p. 461.* Quod intelligendum est de Processionibus quae Missam habent adnexam; et ita fit quo efficacius, vi Sacrificii, impetretur quod per publicam supplicationem rogatur. Cf. Baruff.

4. *Processiones autem quaedam sunt ordinariae ... quaedam vero extraordinariae.* Episcopi est Processiones indicere,

1) »Si consuetum sit in hujusmodi Processione (Rogationum) portari aliquas SS. Reliquias, et SS. Imagines, servabitur consuetudo: removendi tamen erunt a Processionibus ludicri et indecori actus.« Caer. Ep. *l. 2, c. 32, de Litaniis in Festo S. Marci, n. 2.*

2) Innocentius XI, 20 Mai. 1632, permisit Regularibus Archidioec. Mechlinien. »gestare in publicis Processionibus, cum SS. Eucharistiae Sacramento, Reliquias et Imagines Sanctorum, hoc tamen servato, ut dictae Reliquiae et Imagines portentur in principio Processionis inter prima lumina, ita ut, inter ipsas et SS. Sacramentum, sit rationabilis et competens distantia.« Synod. Belg. *tom. 2, p. 381.* Cf. Epist. Past. 21 Jul. 1700, *pro Archid. Mechlin.* apud Deherdt, *p. 3, n. 27, 4* et Synod. Belg. *tom. 2, p. 446.*

permittere et ordinare, ac insuper invigilare ut honeste fiant, ad tramites Juris, et juxta Rubricas. Cf. dec. 14 Mai. 1672, n. 2433, et 21 Jun. 1670, n. 3052, 1 et 2.

5. Infra Processionem, quae fit sine Venerabili, tam Ministri quam alii; tenentur solitas facere reverentias altari et S. Eucharistiae, quando coram iisdem transeunt: ab hac enim generali regula nullibi eximuntur. Cf. 14 Dec. 1602, n. 33. Et pariter ab omnibus est genuflectendum, quando elevatur Sacramentum in Ecclesia, si tunc forte pulsetur campanula *(p. 273)*.

§. II. DE PROCESSIONIBUS IN SPECIE.

De Processione in Rogationibus, Dominica Palmarum et 2 Feb., vide dicta proprio loco, et quae hic traduntur in Rituali.

I. *De Processione in Festo SS. Corporis Christi.* **1.** Ex declaratione Card. Caprara 21 Jun. 1804, 8°, „Processiones SS. Corporis Christi incipientur in Dominica in qua Solemnitas ejusdem Festi refertur, et in Dominica sequenti finem habebunt.“ *Tom. I, p. 470.* In Dioecesi Tornac. fiunt ubique Dominica infra Octavam. Vid. Ord. div. Officii. Data autem ratione, Episcopus potest eas transferre. Dec. 8 Mart. 1749, n. 4051.

2. *Sacerdos.* Nunc loco tabernaculi, adhibetur Ostensorium seu Remonstrantia *(p. 356, not.)*. — *Veloque operiatur.* Gardellini *ad Inst. Clem. §. 9, n. 4 sqq.* examinat quare juxta Rituale, non autem juxta Caer. Ep. *l. 2, c. 33, n. 19,* SS. Sacramentum cooperiatur, et suam disquisitionem ita claudit: „modo nunquam Sacramentum velo tegitur, nisi in expositionibus illis quae fiunt ex causa privata, scilicet pro infirmo, vel particulari aliqua necessitate.“ Cf. dec. 29 Mart. 1851, n. 5024, 2.

Sacerdos qui celebravit: alius enim Sacramentum deferre non potest. Dec. 23 Mart. 1709, n. 3653, 4, 5, et 22 Mai. 1841, n. 4780. Excipiendus tamen est casus necessitatis, et casus quo Venerabile deferatur ab Episcopo (Caer. Ep. *l. 2, c. 33*).

Pluviali (*p. 186*, dec. 22 Jan. 1701, n. 3426, 5, et 18 Dec. 1784, n. 4270, 1) *indutus,* absque manipulo, incensum ponit etc. Cf. *Inst. Clem. §. 19.*

3. *Deinde.* De velo oblongo seu humerali, albi coloris, vide *Inst. Clem. §. 32 ad calcem h. tomi.*

Qui Sacerdos, genuflexus (Caer. Ep. *l. 2, c. 33, n. 20,* et *Inst. Clem. §. 19*) *in supremo altaris gradu Ostensorium suscipit... Inde*, absque benedictione, *descendit sub umbellam.* Umbella et Baldachinum olim fuerunt nomina promiscua. Modo tamen duas res distinctas significant, quae eidem usui, diversis in circumstantiis, inserviunt. „Certum est, inquit Gardellini, *Inst. Clem. §. 19, n. 17*, quod Sacramentum in Processione *sub Baldachino* deferri debet, et sub *Umbella* in subsidium, ut cum festinanter defertur ad infirmos, aut asportari debet per vias angustas. In nostro autem casu *Umbella*, cujus meminit Rituale, non deservit pro Processione, sed pro descensu Sacerdotis ab altari usque ad *Baldachinum*,.. ne per spatium quod intercedit ab altari ad *Baldachinum*, Sacramentum absque tegminis honore deferatur.“ Cf. *ibid.* dicta de usu non adhibendi praefatam umbellam.

4. *Omnes procedunt.* 1° Cerei, ex Communi sententia et praxi, gestantur manu extima (cf. Mer.), etiam in hac Processione. „Usus tamen in his locis habet, inquit Deherdt, *h. l. n. 45, 4, 7,* ut deferantur dextra ab iis qui sunt a sinistris, et sinistra ab iis qui sunt a dextris, ut proximiores sint Sacramento, in cujus honorem deferuntur.“ Cf. Merati, *p. 4, tit. 12, n. 14, v. Hinc notandum,* ubi excipiuntur octo Capellani, qui a lateribus Baldachini incedunt cum intorticiis, quae, juxta Merati, gestant manu intima. Vid. *Inst. Clem. §. 20.*

2° *Clerus vel Sacerdos.* „Non ita est intelligenda Rubrica illa, quasi indiscriminatim liberum sit primum Hymni versum a Clero vel Sacerdote intonari; verum cum distinctione, ita ut in Ecclesiis quae Clero abundant, intonatio fiat a Clero, id est a Cantoribus, Clero respondente...“ Gardell. *Inst. Clem. §. 19, n. 15.*

3° Celebrans, medius inter Ministros, qui pluvialis fimbrias sustinent *(Inst. Clem. §. 19 et p. 431),* submissa voce cum eisdem recitat Psalmos et Hymnos. „Quae (Processio) si longior fuerit, inquit Caer. Ep. *l. 2, c. 33, n. 22,* poterit Episcopus in aliqua Ecclesia, et super illius altare, deponere SS. Sacramentum, et aliquantulum quiescere; et ibidem, antequam discedat thurificare SS. Sacramentum, et Orationem de Sacramento cantare: quod tamen non passim in singulis Ecclesiis, vel ad singula altaria, quae forsitan per viam constructa et ornata reperiuntur, faciendum

est; sed semel tantum, vel iterum, arbitrio Episcopi." Hisce in regionibus usus invaluit non solum erigendi altaria per viam, sed etiam benedictionem impertiendi cum Venerabili ante discessum ab altari. Qui usus aliquatenus servari potest. Nam S. R. C. 23 Sept. 1820, n. 4424, loquendo de hujusmodi usu respondit „vetustissimam consuetudinem tolerari posse, eo tamen modo, ut saltem servetur regula Caeremonialis, quod non toties pausatio fiat, et benedictio elargiatur, quoties altaria occurrant, sed semel vel iterum; et altaria, per viam extructa, sint decenter ornata, et a probo Caeremoniarum Perito prius autoritate Episcopi visitata."

Si Ministri, propter angustiam loci, non possint incedere a lateribus Celebrantis, procedunt ante Baldachinum, sed a lateribus, Diaconus a dextris, et Subdiaconus a sinistris.

4° Duo Thuriferarii incedunt a lateribus Baldachini, paulo ante, ita ut terga Sacramento non vertant (cs. dec. 10 Jan. 1852, *ad 7, ap. Analecta Juris Pontificii),* „continue SS. Sacramentum per viam thurificantes." Caer. Ep. *l. c. n. 7.* Certis in locis, puellae, incedunt aliquantulum ante Baldachinum, viam floribus sternentes, imo flores quandoque versus ipsum Sacramentum projicientes. Posterius nulla ratione videtur posse cohonestari; neque prius probandum videtur; praeterquam enim quod non congruit ut hujusmodi puellae sic incedant ante Sacramentum, terga ei vertentes, viae non sunt tunc temporis floribus sternendae. Etenim ex Caer. Ep. *l. 2, c. 33, n. 2,* curandum est „ut omnia decenter, et diligenter praeparentur et praevideantur. Nempe ut viae, per quas Processio transire debebit, mundentur, et ornentur aulaeis, pannis, picturis, floribus, frondibusque virentibus secundum posse, et qualitatem loci." Cs. Rituale. Attamen usus spargendi flores per viam, non immediate, sed aliquantulum ante Sacramentum, forte tolerari poterit ab Episcopo, si detur ratio. Deferri prohibentur, in hac Processione, vel Instrumenta Dominicae Passionis, vel aliud repraesentans hujus Mysteria, vel Sanctorum Martyria. Dec. 7 Dec. 1844, n. 4849. De Imaginibus, vide *p. 521.* De modo benedicendi populum cum Sacramento, vid. *p. 370.*

II. *Preces, dicendae in Processione pro gratiarum actione,* non raro dicuntur, partim saltem, in Ecclesia absque Pro-

cessione. 1° Infra Hymnum *Te Deum*, omnes stant; etiam exposito SS. Sacramento (dec. 27 Mart. 1779, n. 4244, 17), si excipiatur Vers. *Te ergo quaesumus*, infra quem omnes genuflectunt in suis locis (Caer. Ep. *l.* 2, *c.* 5). — 2° Non omnes Verss. in Rituali positi, debent cantari; sed ex dec. 11 Sept. 1847, n. 4950, 3, sufficiunt Verss. *Benedicamus Patrem.. Benedictus es... Domine exaudi..*, cum unica Oratione, *Deus cujus misericordiae.* — De colore paramentorum, dicitur *p. 181.*

De Processione in translatione SS. Reliquiarum insignium, solemniter agenda, notandum est Reliquias prius esse recognoscendas ab Ordinario loci aut ejus delegato.

Appendix de cultu et veneratione SS. Reliquiarum.

Cultus et veneratio SS. Reliquiarum partim ad Jus canonicum, partim ad Rubricas pertinent. Imprimis attente legantur quae habet Trid. *initio sess. XXV, de invocatione, veneratione, et Reliquiis Sanctorum, et sacris Imaginibus.* Hic sequentia traduntur quae ad Liturgiam spectant.

1. Ut Reliquiae possint ubique publicae venerationi exponi, satis non est si fuerint Romae adprobatae. „Reliquiae a Rom. Pontifice adprobatae, recognoscendae sunt ab Episcopo loci Ordinario, priusquam venerationi exponantur; non quia denuo ab inferiori adprobandae, sed ut certo constet Romae fuisse adprobatas, nullaque sit dubitandi ratio de earumdem identitate, integritate, fidelique custodia, omnisque removeatur piae fraudis dolique suspicio." Gardell. n. 4392, 8.

Certis in litteris approbationis Reliquiarum, permittitur *ut publice exponi possint, nullatenus tamen exaltari.* Juxta Deherdt, *p. 3, n. 27, I,* dictio, *exaltari,* videtur denotare „Reliquias, praeter consuetum morem specialius et solemnius honorare, uti easdem solemni processione ad Ecclesiam deferre, solemniter in processionibus circumferre, in loco eminenti altaris collocare, etc." Advertendum autem est Reliquias Sanctorum posse deferri in Processionibus quae fiunt sine Venerabili *(p. 521)*, et solummodo prohiberi (dec. gen. 27 Mai. 1826, n. 4471) ne sub Baldachino circumferantur.

2. De modo disponendi Reliquias super altare, vid. *not. p. 209.* Super altare, in quo exponitur SS. Sacramentum non sunt collocandae, nec coram ostiolo tabernaculi

ejusdem. Neque publice exponi possunt absque luminibus, sed „super altare saltem ardeant duo lumina; alias Reliquiae non exponantur.“ Dec. 22 Jan. 1701, n. 3426, 9. De modo eas deferendi in Processione, et de benedictione cum iisdem impertienda, dicitur *p. 521;* de Officio propter insignem Reliquiam, *tom. I, p. 96 et 132;* de symbolo, propter eamdem, supra *p. 141.*

Servari potest usus, quo Sanctorum Reliquiae a Celebrante offeruntur osculandae post Missam privatam, paramentis sacris non exutis. Dec. 16 Mart. 1833, n. 4558. Nulla formula praescribitur dicenda cum SS. Reliquiae exhibentur osculandae; nihil tamen obstare videtur, quin dicantur precationes quas refert Deherdt [1].

3. Sequentia veniunt notanda de cultu S. Crucis. 1° In transitu coram Ligno S. Crucis, unum flectitur genu, aut caput inclinatur, prout palam expositum est, aut reconditum in custodia *(p. 226);* in choro tamen, ubi palam expositum est, caput potest cooperiri. 2° Populus cum eodem benedicendus est in silentio, finita Expositione aut Processione. 3° Data immemoriali, potest sub Baldachino deferri et interim thurificari. 4° „Dum admittitur seu toleratur consuetudo deferendi in Processionibus sub Baldachino Reliquiam Sanctissimae Crucis, id edicitur omnino, ut Reliquia ista seorsim a Reliquiis Sanctorum custodiatur in Reliquiario, atque stricte praecipitur Ordinariis Locorum, ut eliminandis hac etiam in re singulis abusibus serio incumbant, Decreti ipsius observantiam solertissime urgeant, ac pro viribus adlaborent ne deinceps cum Sanctorum Reliquiis in eadem Theca Lignum Sanctissimae Crucis occlusum permaneat.“ 5° Celebrans, illud thurificat stando, et defert capite aperto. 6° Quoad illius expositionem Feria VI in Parasceve, S. R. C. „declaravit servandam esse vigentem consuetudinem tum quoad colorem Pluvialis et Veli

1) „Usus habet, ut dum Reliquiae osculandae praebentur, dicatur: *Per merita et intercessionem Sancti N., concedat tibi* vel *vobis Dominus salutem et pacem;* et ad venerationem Reliquiae S. Crucis: *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos Deus noster:* prior tamen formula omnibus Reliquiis, etiam instrumentis Dominicae Passionis applicari potest, dicendo ad Reliquias S. Crucis, ut in litaniis Sanctorum, *Per Crucem et Passionem suam concedat* etc.; ad Coronam spineam, *Per Passionem suam;* ad Reliquias praesepis Domini, *Per Nativitatem suam* etc.“ *l. c. n. 27, 3.*

humeralis in benedictione: tum quoad modum recitandi Orationem, *Respice quaesumus Domine*, a Sacerdote vel genuflexo vel stante; tum quoad admittendos Fideles ad osculum hujus Sactatissimae Reliquiae: tum demum quoad Sacros Ministros, Diaconum nimirum, et Subdiaconum accedentes ad adorationem Sanctissimae Crucis, siquidem necesse non est ut et ipsi calceamenta deponant.“ 7° In Missa coram eodem palam exposito „genuflectendum est tantum in accessu, et recessu ab altari, et quoties Sacerdos transit per medium altaris, seu de latere ad latus ut in incensatione.“ Haec statuta fuerunt a S. R. C. in variis decretis... summatim subjectis decreto 18 Feb. 1843, n. 4810, *in Cenomanen.* 8° Celebrans, qui illud in Processione defert, non videtur eximi a genuflexione facienda coram tabernaculo SS. Sacramenti.

Quae in praefatis decretis dicuntur de Reliquia S. Crucis, applicari possunt (dec. gen. 27 Mai. 1826, n. 4471) aliis Instrumentis Dominicae Passionis, quae immediato contactu D. N. J. C. sanctificata fuere: eadem enim est ratio de singulis, etsi in gradu diverso, et aequiparantur in prooemio dec. gen. cit.; necnon in voto Assessoris, apposito ad dec. 22 Sept. 1827, n. 4485, *verbo, Posto ciò, ad finem.* Cs. Deherdt, *l. c. n. 27, VIII.*

APPENDIX I.

MEMORIALE RITUUM

PRO ALIQUIBUS PRAESTANTIORIBUS SACRIS FUNCTIONIBUS PERSOLVENDIS IN MINORIBUS ECCLESIIS PAROCHIALIBUS, JUSSU BENEDICTI XIII PONT. MAX. EDITUM [1].

Reverendis Parochis aliisque minorum Ecclesiarum Rectoribus.

Proposito in Sac. S. Congreg. ordinario Conventu habito die 28 Jul. 1821 sequenti dubio, videlicet: *An toleranda sit consuetudo vigens in quibusdam Paroeciis praesertim ruralibus, celebrandi per Parochum Missam lectam Feria V in Coena Domini, quin peragi valeant eadem Feria, et sequenti, caeterae Ecclesiasticae functiones praescriptae, ob Clericorum defectum, vel potius abolendae?* Emm. PP. eidem praepositi nedum consuluerunt Paroeciis praesertim ruralibus, quae Clericis omnino destituuntur; verum etiam soliciti, ut sacrae functiones, quae ex Ecclesiae instituto ad recolendam memoriam Passionis, Mortis, et Resurrectionis D. N. J. C. peragi debent in majori Hebdomada, non omittantur in minoribus Ecclesiis, et signanter Parochialibus, in quibus tres saltem, quatuorve Clerici haberi possunt, excitarunt Episcoporum vigilantiam, qui in id sua conferant studia,

1) Nonnulla veniunt notanda. 1° Textus hujus libri, qui etiam dicitur *Parvum Caeremoniale*, vel *Rituale*, exscribitur ex editione, Romae facta anno 1853 *in* 4°, servatis notis ibi subjectis in fine paginae. 2° Non tamen integer exscribitur textus, sed praetermittuntur Antiphonae quae reperiuntur in Missali, et partes datae supra, *p. 371 sq.* 3° Nonnulla adduntur propria manu, puta vel citatur aliquis locus nostrae Expositionis, vel notulae subjiciuntur. Hae autem notulae, ne confundantur cum notis ipsius *Memorialis*, distinguuntur per litteras. Quando textus non datur integer, de hoc monetur Lector per quaedam puncta... 4° Hic Liber habendus etiam est tanquam fons Rubricarum, *tom. I, p. 13,* partim primarius (pro minoribus Ecclesiis), partim secundarius (pro majoribus Ecclesiis): nam tradit regulam in minoribus Eccl. servandam, et, pro aliis, quandoque supplet silentium Rubricarum Missalis et Caeremonialis Ep. vel, earumdem, ubi sunt obscurae vel aequivocae, explicationem et interpretationem praebet.

sequenti responso. *Affirmative et ad mentem:* Mens est: *ut Locorum Ordinarii quoad Paroecias, in quibus haberi possunt tres quatuorve saltem Clerici, sacras Functiones Feriis V et VI, ac Sabbato majoris Hebdomadae peragi studeant, servata forma parvi Ritualis* [1] *S. M. Benedicti XIII, anno 1725 jussu editi: quoad alias Paroecias, quae Clericis destituuntur, indulgere valeant ob populi commoditatem, ut Parochi* (petita quotannis venia) *Feria V, in Coena Domini Missam lectam celebrare possint, priusquam in Cathedrali, vel Matrice Conventualis incipiat.* Quoniam vero exemplaria parvi Ritualis recol. mem. Pontificis Benedicti XIII jussu editi omnino defecere; ideo iterato illud imprimi curavimus pro earumdem minorum Ecclesiarum praesertim Parochialium commoditate.

Editioni anni 1725 praemittitur sequens monitum. „Ut Ritus, ac Sacrae Caeremoniae visibilia Religionis, ac Pietatis signa, per quae mentes Fidelium ad rerum altissimarum contemplationem excitantur, in minoribus Ecclesiis Parochialibus almae hujus Urbis exacte, ac uniformiter exerceantur; utque hujusmodi Ecclesiarum Rectores ab exsolvendis functionibus illis praecipuis, quibus alma Mater Ecclesia praestantiora nostrae Redemptionis indixit recolenda mysteria, minime vel perstrictus Parochialium Clericorum numerus detineat, vel insuetorum Rituum anfractus deterreat; ex decreto particularis Congregationis, a SS. Dno nostro Benedicto PP. XIII indictae, sub die 4 Decembris proxime elapsi anni 1724 pro nonnullis ad sacram Visitationem Ecclesiarum Parochialium Urbis spectantibus, et a Sanctitate Sua confirmato, Rectoribus ipsis Memoriale hoc Rituum, typis datum, proponitur observandum.

„Exactissimam praescriptorum Rituum, cum perstrictissimo Clericorum numero, exhibet praxim. Ut plurimum tres tantum requirit: vix quartum desiderat. Parocho tamen curae erit, designatos Clericos, quasi manuducens, praecedenter in actionibus peragendis instruere, ut in eis-

1) „5. An Ecclesia Parochialis omnino adigatur ad Functiones Sabbati S. juxta parvum Caeremoniale S. mem. Benedicti XIII, si sufficienti Clero destituatur; et an hujusmodi in casu Missa ordinanda sit ut in praeced. dubiis 3 et 4?"

R. „Ad 5. Affirmative, et servetur in omnibus solitum, juxta parvum Caeremoniale Benedicti Papae XIII." S. R. C. 22 Jul. 1848, n. 4971, 5.

dem attente, et expedite se gerant, neque oscitanter, quo se vertant, nesciant.

„Eosdem insuper Clericos modulari, aequa vocum concordia, ea, quae in Processionibus recitanda praecipiuntur, edoceat: quaeque, ut inoffenso percurrantur pede, suis locis, in ipso hoc Memoriali, per extensum inserere, consonum visum est; ut unus idemque libellus, et quae agenda, et quae recitanda, suppeditet.

„Sex, semel in anno occurrentes, functiones enucleate exponuntur (quas subsequens demonstrabit Index): ex quibus haud difficile erit methodum excerpere pro consimilibus; ut in omnibus custodia Sacrarum Caeremoniarum semper effulgeat."

Habete igitur, RR. Parochi, et minorum Ecclesiarum Rectores, ope hujus Ritualis, certam methodum, qua uti possitis, ut sacrae actiones, si nequeant solemniter, decenter saltem peragantur.

TITULUS I.

DE BENEDICTIONE CANDELARUM IN FESTO PURIF. B. M. V.

Cap. I. *De praeparandis pro Benedictione, Processione et Missa.*

In Abaco, seu Credentia altaris majoris. 1. *Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris albi: ni festum incidat in Dominica privilegiata, quia tunc coloris violacei.* 2. *Planeta, Stola, et Manipulus coloris albi, vel violacei, si in Dominica, ut supra.* 3. *Thuribulum, et Navicula cum thure.* 4. *Vas aquae benedictae cum Aspersorio.* 5. *Pelvis cum medulla Panis, et vasa pro lotione manuum post distributionem Candelarum.* 6. *Manutergium.* 7. *Pelvicula cum ampullis vini, et aquae, et mappula ad manus tergendas.* 8. *Exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in Processione.*

In Altari. 1. *Pallium violaceum faciliter amovibile, et aptatum super aliud albi coloris, si Missa erit de Beata Maria.* 2. *Missale in cornu Epistolae super pulvino violaceo, vel parvo legili.*

Prope cornu Epistolae in plano. 1. *Mensa cooperta mantili albo, et super eam Candelae benedicendae, similiter aliqua mappa munda coopertae.* 2. *Crux Processionalis.*

In Sacristia. 1. *Tria Superpellicea pro Clericis.* 2. *Amictus,*

Alba, Cingulum, Stola, et Pluviale coloris violacei pro Celebrante. 3. *Foculus cum igne, et forcipe.*

Cap. II. *De sacris ritibus in Festo Purificationis B. M. V. absolvendis.*

§. I. *De Benedictione candelarum.* 1. Circa horam diei tertiam, tres Clerici, talari habitu induti, accipiunt Superpellicea in Sacristia, atque disponunt omnia, ut in Cap. praec. 2. Festivo Campanarum sonitu convocetur Populus. 3. Celebrans, facta praeparatione ad Missam, ac lotis manibus in Sacristia, ministrantibus secundo, et tertio Clerico accipit super Cottam, Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, et Pluviale coloris violacei.

Si fuerit dies Dominica, Celebrans sic indutus benedicit Aquam pro Aspersione, ut in Missali. — 4. Interim primus Clericus amovet ab altari vasa florum, et Candelas in eo accendit. 5. Celebrans facta cum Clericis debita reverentia Cruci, vel Sacrae alii Imagini in Sacristia, praecedente primo Clerico manibus junctis, medius inter secundum, et tertium Clericum, elevantes fimbrias pluvialis, tecto capite, procedet ad altare. 6. Ante infimum gradum deponit birretum in manibus primi Clerici, qui, eo reposito, candelas discooperit. 7. Celebrans, facta in plano vel reverentia Cruci, vel genuflexione super infimo gradu, si adsit tabernaculum recondens SS. Eucharistiam, ascendit ad altare, et osculatur illud in medio. *Si facienda sit Aspersio Aquae Benedictae, Celebrans genuflexus in primo gradu inferiori procedit ad Aspersionem, ut in Missali, et deinde ascendit ad altare, ut supra.* 8. Celebrans, osculato altari, accedit ad cornu Epistolae semper medius inter Clericos, ut in num. 5. 9. Ibidem facie ad altare, manibus junctis, in tono feriali, dicit: *Dominus vobiscum*, et postea subjungit, *Oremus*, et Orat. *Domine sancte* etc. cum quatuor aliis Orationibus. 10. Interim primus Clericus ponit ignem in thuribulo, et accipit naviculam. 11. Dum dicitur quinta Oratio, tertius Clericus, qui erat a sinistris Celebrantis, facta genuflexione altari, recedit, et accepto e Credentia Vase Aquae Benedictae, una cum Clerico Thuriferario accedit ad Celebrantem. 12. Celebrans, completa quinta Oratione, ministrante cum osculis consuetis naviculam secundo Clerico qui est a dexteris ejus, imponit cum benedictione incensum in thuribulo. 13. Deinde accepto Aspersorio a secundo Clerico,

ter aspergit candelas, in medio, a dextris earum, et a sinistris, dicens submissa voce Ant. *Asperges me* etc. **14.** Successive similiter triplici ductu candelas adolet incenso, nihil dicens. 15. Completa benedictione, Celebrans facta in medio altaris debita reverentia, sedebit tecto capite super scabello in suppedaneo a parte Evangelii [1] et gravi sermone Populum admonebit de Institutione hujus Solemnitatis, atque Mysteriis et utilitate candelarum benedictarum, utque Populus reverenter accedat ad distributionem.

§. II. *De Distributione Candelarum.* 1. Expleto sermone, primus Clericus accipit e Mensa candelam pro Celebrante, et, *nisi adsit aliquis in Presbyterali ordine constitutus,* eam collocat in medio altaris. 2. Celebrans, facta reverentia in medio altaris, genuflectit super suppedaneo facie ad Crucem. 3. Sic genuflexus accipit ex altari candelam, et eam osculatur, et tradit primo Clerico servandam. *Si adsit aliquis Sacerdos, hic dabit candelam Celebranti stanti facie ad Populum, cum osculo Candelae tantum, et Celebrans similiter candelam* [2] *tantum osculabitur.* 4. Deinde Celebrans accedit ad cornu [3] Epistolae, et alternatim cum suis Clericis alta, et aequa voce, more Clericorum Regularium, recitabit Ant. *Lumen* etc. et Canticum: *Nunc dimittis* etc. 5. Repetita post *Sicut erat in principio* etc. Ant. *Lumen* etc. Celebrans, facta inclinatione Cruci, vertit se ad Populum, et distribuit candelas primo Presbyteris si adsint; deinde Clericis, dispositis seriatim super ora suppedanei, et digniores prope cornu Epistolae: qui omnes genuflexi candelam, et manum Celebrantis osculabuntur. 6. Deinde Celebrans, facta reverentia altari, medius inter suos Clericos accedit ad Cancellos Presbyterii a parte Epistolae. 7. Ibidem incipit distribuere candelas, primo Viris, deinde Foeminis, praebente ei candelas tertio Clerico a sinistris, allatas a primo Clerico. 8. Completa distributione, Celebrans lavabit manus in plano Epistolae, fundente aquam primo Clerico, et aliis duobus manutergium ministrantibus. 9. Celebrans, lotis manibus, accedit ante altare per longiorem, factaque in medio Cruci [4] reverentia, pergit ad

1) Bauldr. *p. 4, cap. 3, art. 3, n. 13.*
2) Bauldr. *p. 4, c. 3, art. 2, n. 13.* Gavant. *in Dom. Palm. n. 14, lit. g.*
3) Bauldr. *loc. cit. art. 4, num. 3.*
4) *Ex* Castald. *lib. 3, sect. 8, cap. 3, n. 7.,* Gavant. *p. 4, tit. 10, lit. g, n. 18.*

librum in cornu Epistolae. 10. Ibi cum suis Clericis, alta voce recitabit Ant. *Exsurge Domine* etc. 11. Deinde stans ibidem subdit: *Oremus,* et si sit post Septuagesimam, et non in die Dominico, subjungit ipsemet, ac genuflectens cum omnibus: *Flectamus genua,* et secundus Clericus primo surgens, respondet: *Levate.* 12. Postmodum Celebrans dicet Orationem: *Exaudi quaesumus Domine,* etc. semper tenens manus junctas, ut supra.

§. III. *De Processione.* 1. Completa Oratione, Celebrans accedit ad medium altaris, ibidem accipit a primo Clerico candelam accensam, et exemplar hujus Memorialis, vel Rituale pro Antiphonis in Processione cantandis. 2. Duo alii Clerici similiter accipiunt candelas accensas, et exemplaria hujus Ritualis. 3. Celebrans vertit se ad Populum, et dicit: *Procedamus in pace,* et Clerici respondent: *In nomine Christi. Amen.* 4. Celebrans incipit recitare Antiph. *Adorna,* etc. ut infra, et alternatim cum Clericis sibi assistentibus reliquas Antiphonas prosequetur. 5. Responso, ut supra: *In nomine Christi. Amen,* primus Clericus accipit Crucem Processionalem; et facta genuflexione altari, vertit se ad Populum, et procedit, juxta consuetudinem, vel extra Ecclesiam, vel intus eamdem, et dirigit Processionem a sua parte dextera, et circuit, et redit ante altare. 6. Subsequitur Celebrans tecto capite [1], medius inter Clericos, recitans cum eis sequentes Antiphonas [2], redactas *(vel in Rituali edition. Pezzana. Venet. 1693)* ad versus, ut commodius cantentur. *Antiphona.* Adorna thalamum..... 7. Ingrediendo Ecclesiam, si extra eam processum fuit, vel in ipso cancellorum Presbyterii ingressu, si Processio intus Ecclesiam peracta fuit, recitatur sequens *Resp.* Obtulerunt Domino... Gloria Patri, et Filio, et Spiritui Sancto. Sicut scriptum est in lege Domini. 8. Clericus cum Cruce, facta ante altare genuflexione, deponit eam in loco suo. 9. Celebrans absolvit Resp.: ante altare.

§. IV. *De Missa post Processionem.* 1. Absoluto Resp. primus Clericus resumit candelas a Celebrante, et Clericis,

1) *Tecto capite.* Cum Rubrica non distinguat, haec verba videntur referri etiam ad Processionem in Ecclesia. Cf. dicta *p. 530.*

2) Agitur hic de Antiphonis quae in ipso Missali habentur; et in hoc tantum differunt, quod in Missali non sunt in versus redactae. Idem advertendum venit de Antiphonis, quae praetermittuntur Dominica Palmarum.

extinguit, et servat in Credentia. 2. Celebrans facta reverentia altari, accedit ad planum Epistolae, in loco ubi alias sedetur in Missa solemni; et per manus secundi, et tertii Clerici deponit Pluviale et Stolam violaceam, et accipit Manipulum, Stolam, et Planetam coloris albi, si Missa erit de Beata Maria; alias, deposito pluviali, accipit Manipulum, et planetam violaceam pro Missa de Dominica. 3. Interim, *si Missa erit celebranda de Festo*, primus Clericus amovet Pallium violaceum ab altari, remanente albo, et apponit Vasa florum inter Candelabra; et successive defert Calicem paratum ad altare, et expanso Corporali, eumdem in medio concinne collocat. 4. Celebrans procedit ad Missam, in qua, si erit de festo, Clerici tenebunt [1] candelas accensas ad Evangelium, et ab Elevatione usque ad Sumptionem. 5. Dum Celebrans legit Ant. *Communio*, primus Clericus amovet Calicem ab altari, et refert ad Credentiam. 6. Completa Missa Celebrans, praecedentibus Clericis, redit, manibus junctis, in Sacristiam. 7. Ibi deponit paramenta Missalia, et gratias agit de more. 8. Clerici ex altari, et abaco reportant omnia in Sacristiam, et quaeque suis locis reponunt.

TITULUS II.

DE BENEDICTIONE CINERUM IN CAPITE JEJUNII.

Cap. I. *De praeparandis pro Benedictione et Missa.*

In Abaco, seu Credentia altaris majoris. *1. Calix paratus pro Missa, cum Velo, et Bursa coloris violacei. 2. Manipulus, et planeta violacea. 3. Thuribulum, et Navicula cum thure. 4. Vas aquae benedictae cum Aspersorio. 5. Pelvis cum medulla panis, et vasa ad lavandas manus post Cinerum distributionem. 6. Manutergium. 7. Pelvicula cum Ampullis vini, et aquae, et Mappula ad manus tergendas.*

In Altari. *1. Altare cum Pallio violaceo, Cruce, et Candelabris cum Cereis, absque vasis florum. 2. Missale in cornu Epistolae super Pulvino violaceo, aut legili. 3. Vas argenteum, vel ex alia pulchra materia, cum Cineribus ex ramis in praecedenti Dominica Palmarum benedictis, combustis, et subtiliter cribratis, et aridis, coopertum vel operculo consimili, vel velo violaceo, inter Missale, et cornu Epistolae.*

1) Gavant. *p. 4, tit. 14, n. 10 et alii.*

In Sacristia. *1. Tria Superpellicea pro Clericis. 2. Amictus, Alba, Cingulus, Stola, et Pluviale coloris violacei. 2. Foculus cum carbonibus accensis, et forcipe.*

Cap. II. *De sacris ritibus in Fer. IV Cinerum persolvendis.*

§. I. *De benedictione Cinerum* [1]. 1. Dispositis omnibus, ut supra, per Clericos indutos superpelliceis, hora congrua, solito Campanarum signo, convocetur Populus ad Ecclesiam. 2. Celebrans in Sacristia, lotis manibus, per manus secundi, et tertii Clerici accipit super Cottam Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, et Pluviale coloris violacei. 3. Primus Clericus accendit candelas super altare, et deinde in Sacristiam redit. 4. Proceditur, facta reverentia Cruci in Sacristia vel Sacrae Imagini, ad altare majus. 5. Praecedit primus Clericus manibus junctis, et subsequitur Celebrans tecto capite, medius inter secundum, et tertium Clericum. 6. Celebrans ante altare deponit birretum in manus primi Clerici, et facit debitam reverentiam altari. 7. Ascendit altare medius inter secundum, et tertium Clericum, et osculatur illud in medio. 8. Interim primus Clericus, deposito birreto, discooperit Cineres. 9. Celebrans accedit ad cornu Epistolae, et ex Missali recitat cum suis Clericis Ant. *Exaudi,* etc. 10. Interim primus Clericus praeparat thuribulum cum igne. 11. Repetita Ant. *Exaudi,* Celebrans stans ibidem, non se vertens ad Populum, dicit in tono feriali, ac manibus junctis: *Dominus vobiscum,* et postmodum subjungit quatuor Orationes. 12. Dum dicitur quarta Oratio, tertius Clericus facta genuflexione altari, accipit vas aquae benedictae, et una cum Clerico Thuriferario accedit ad Celebrantem. 13. Celebrans ministerio secundi Clerici imponit incensum in thuribulo, et deinde aspergit, et thurificat Cineres de more. 14. Expleta Benedictione, vas cum Cineribus ponitur in medio altaris. 15. Celebrans sedens, ut alias in suppedaneo, habet sermonem ad Populum super Benedictione, et Impositione Cinerum in hac feria.

§. II. *De Cinerum Impositione.* 1. Celebrans, *absente alio Sacerdote,* facta reverentia Cruci, genuflectit super suppedaneo in medio. 2. Sic genuflexus sibi ipsi Cineres in modum Crucis imponit in capite, nihil dicens. *Si adsit*

1) In Originali, paragraphus I apponitur absque titulo: hunc supplendum esse existimavimus.

alius Sacerdos, hic sine Stola accedens ad altare, imponit Cineres Celebranti qui stabit capite inclinato, et facie versa ad Populum dicendo: „Memento Homo, quia pulvis es, et in pulverem reverteris.“ 3. Celebrans, acceptis Cineribus, accedit ad Missale in cornu Epistolae, et recitat cum Clericis, ut supra, Antiph. *Immutemur*, etc. usque ad finem. 4. Deinde imponit Cineres omnibus de Clero, dispositis super oram suppedanei, et dignior erit proximior ad latus Epistolae, dicens: *Memento Homo,* etc. 5. Celebrans, facta reverentia altari, medius inter secundum, et tertium Clericum, accedit ad cancellos presbyterii e regione Epistolae, et imponit Cineres primo Viris, deinde Foeminis. 6. Completa impositione Celebrans in plano Epistolae, ministrantibus Clericis, lavat manus cum mica panis, et tergit. 7. Deinde ascendit altare per longiorem, et facta reverentia in medio, pergit ad latus Epistolae. 8. Ibidem facie ad altare dicit manibus junctis: *Dominus vobiscum,* et Orationem: *Concede nobis Domine,* etc. et facta ibidem reverentia altari, descendit ad planum Epistolae.

§. III. *De Missa.* 1. Celebrans in plano Epistolae prope scabellum, adjuvantibus suis Clericis, deponit Pluviale, et accipit Manipulum, et Planetam, et sedet aliquantulum. 2. Interim primus Clericus defert Calicem ad altare, et expanso Corporali in medio ejus, aptat Calicem super illud. 3. Celebrans procedit ad Missam, in qua omnia, ut in Missali. 4. Dum dicitur *Communio*, primus Clericus amovet Calicem ab altari, et defert ad Credentiam. 5. Completa Missa, Celebrans redit praecedentibus Clericis, manibus junctis, in Sacristiam, ubi, depositis paramentis missalibus, Deo gratias agit. 6. Clerici reportant omnia in Sacristiam et recondunt.

TITULUS III.

DE DOMINICA PALMARUM.

Cap. I. *De praeparandis pro sacris actionibus hujus Dominicae.*

In Abaco, seu Credentia altaris majoris. *1. Calix pro Missa cum omnibus ornamentis coloris violacei. 2. Manipulus, et Planeta coloris violacei. 3. Thuribulum, et Navicula cum thure. 4. Pelvis, et Urceus pro lotione manuum. 5. Manutergium. 6. Pelvicula cum Ampullis vini, et aquae et Map-*

pula ad manus tergendas. 7. *Exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in Processione.*

In Altari. 1. *Pallium violaceum.* 2. *Missale in cornu Epistolae super pulvino violaceo, vel legili.* 3. *Rami Palmarum, loco florum, inter Candelabra.*

Prope cornu Epistolae in plano. 1. *Mensa cooperta Mantili albo, et super eam Palmae benedicendae.* 2. *Crux Processionalis tecta velo violaceo, et vitta violacea pro liganda Palma in summitate Crucis.*

In Sacristia. 1. *Tria Superpellicea pro Clericis.* 2. *Amictus, Alba, Cingulus, Stola, et Pluviale violacei coloris pro Celebrante.* 3. *Foculus cum igne, et forcipe.* 4. *Vas aquae benedictae cum Aspersorio.*

Cap. II. *De sacris ritibus in Dominica Palmarum persolvendis.*

§. I. *De benedictione Palmarum.* 1. Omnibus suo loco dispositis, festivo Campanarum sonitu, hora congrua convocatur Populus. 2. Celebrans in Sacristia, adjuvantibus secundo, ac tertio Clerico, induit super Cottam, Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, et Pluviale violaceum. 3. Idem benedicit Aquam, ut in Missali, et interim primus Clericus accendit Cereos in altari. 4. Celebrans, praecedente primo Clerico portante Vas cum Aqua nuper benedicta, medius inter secundum, et tertium Clericum, tecto capite, procedit ad altare, et genuflectit in ejus infimo gradu pro Aspersione Aquae benedictae. 5. Fit Aspersio more solito, post quam primus Clericus reponit Missale super legili in cornu Epistolae altaris. 6. Tertius Clericus accipit e Credentia Manipulum, et illum aptat in [1] brachio sinistro Celebrantis. 7. Celebrans medius inter Clericos, ut in num. 4, ascendit altare, ac illud osculatur in medio, deinde in cornu Epistolae, alta, et aequali voce incipit Ant. *Hosanna,* etc., quam cum Clericis prosequetur. 8. Stans ibidem dicit manibus junctis: *Dominus vobiscum,* et deinde Orationem: *Deus quem diligere,* etc. 9. Subjungit Lectionem, et post eam dicit cum Clericis Responsorium: *Collegerunt,* etc. *In monte Oliveti,* etc. 10. Praemisso eodem loco: *Munda cor meum,* legit Evangelium et osculatur Textum in fine, et postmodum deponit Manipulum. 11. Deinde dicit *Dominus vobiscum,* Orationem, et Praefationem,

1) Bauldr. *p. 4, cap. 6, art. 4, num. 5.*

tenens semper manus junctas, tam ad haec, quam ad subsequentes Orationes. 12. Clerici dicunt *Sanctus, Sanctus,* etc. 13. Celebrans praemisso: *Dominus vobiscum,* subjungit quinque alias Orationes. 14. Interim primus Clericus ponit ignem in thuribulò, et accipit naviculam. 15. Dum dicitur quinta Oratio, tertius Clericus, facta genuflexione altari, accipit e Credentia Vas Aquae benedictae, et una cum Thuriferario accedit ad Celebrantem. 16. Celebrans, ministrante secundo Clerico, imponit incensum in thuribulo cum benedictione, et osculis. 17. Deinde ter aspergit Ramos, dicens submissa voce: *Asperges me,* etc. sine Psal., ac demum eosdem thurificat. 18. Celebrans dicit iterum: *Dominus vobiscum,* et sextam Orationem. 19. Primus Clericus deponit thuribulum, et tertius ad sinistram Celebrantis. 20. Celebrans sedens sermonem habet Solemnitati congruum.

§. II. *De Palmarum distributione.* 1. Primus Clericus accipit e Credentia Palmas pro Celebrante et Clericis, et collocat super altare. 2. Celebrans, facta reverentia Cruci, genuflectit in medio altaris. 3. Genuflexus accipit ex altari Palmam, quam osculatur, et tradit primo Clerico servandam. *Si adsit aliquis Sacerdos, hic dabit Palmam Celebranti, ut dictum fuit de Candela in festo Purificationis.* 4. Celebrans accedit ad cornu Epistolae, et cum suis Clericis recitat Antiphonas: *Pueri Hebraeorum,* etc. 5. Deinde, facta inclinatione Cruci, vertit se ad Populum, et distribuit Palmas, primo Presbyteris, *si adsint,* deinde Clericis, genuflexis in suppedaneo, et Digniores prope cornu Epistolae; qui omnes osculantur prius Ramum, deinde manum Celebrantis. 6. Celebrans descendit ab altari, et facta reverentia, accedit ad cancellos altaris versus cornu Epistolae. 7. Ibi, offerente Palmas a sinistris primo Clerico, Celebrans incipit easdem distribuere Populo, primo Viris, deinde Foeminis. 8. Completa distributione, Celebrans lavat manus in plano Epistolae, Clericis ministrantibus. 9. Accedit per longiorem ad altare, et in cornu Epistolae dicit: *Dominus vobiscum,* et ultimam Orationem. 10. Interim primus Clericus apponit, et firmat vitta violacea unam ex Palmis in summitate Crucis Processionalis. 11. Completa Oratione, primus Clericus porrigit Celebranti, et aliis duobus Clericis Palmas, et Exemplaria hujus Memorialis pro recitandis in Processione.

§. III. *De Processione.* 1. Celebrans, tenens Palmam in manibus, vertit se ad Populum, et dicit in medio altaris: *Procedamus in pace;* et Clerici respondent: *In nomine Christi: Amen:* et Celebrans inchoat: *Cum appropinquaret,* etc. 2. Dirigitur Processio, praecedit primus Clericus cum Cruce: sequitur Celebrans medius inter duos Clericos, recitans alternatim cum eis, alta voce Antiphonas, quae sequuntur, ad Versus aptatas. 3. Proceditur per latus dexterum Celebrantis extra Portam principalem, recitando, ut infra. *Antiphona.* Cum appropinquaret..... *(In reversione Processionis p. 435),* primus Clericus cum Cruce sistit ante portam principalem facie ad eamdem versa, Secundus et tertius Clericus intrant Ecclesiam, et clauso ostio, stantes versa facie ad Processionem, dicunt: Vers. Gloria, laus, et honor tibi sit, Rex Christe Redemptor: cui puerile decus prompsit Hosanna pium. Celebrans extra Ecclesiam, facie ad portam, repetit tecto capite. *Gloria, laus... Hosanna pium. Cler.* Israel es tu Rex [1]... 4. Versibus completis, primus Clericus calce hastilis Crucis percutit imam partem ipsius portae, ita ut fragor audiatur, et duo Clerici, qui sunt intus Ecclesiam portam aperiunt, et sistunt se hinc inde januam. 5. Primus Clericus cum Cruce ingreditur Ecclesiam, et Celebrans subsequendo, incipit Responsorium: *Ingrediente Domino,* etc. 6. Secundus, et tertius Clericus excipiunt Celebrantem, et ponentes illum in medio, prosequuntur cum eo Resp. *Ingrediente...* 7. Terminatur Processio, et Responsorium ante altare majus. 8. Primus Clericus deponit Crucem, et deinde recipit Palmas a Celebrante, et Clericis. 9. Celebrans in plano Epistolae, ubi alias sedetur in Missa, deponit pluviale, et accipit Manipulum, et Planetam, et sedet aliquantulum. 10. Primus Clericus portat Calicem ad altare, et expanso Corporali in medio ejus, illum collocat, et aptat. 11. Celebrans procedit ad Missam celebrandam, in qua Clerici poterunt tenere Palmam in manibus, dum legitur Passio, et in fine Missae legitur Evangelium S. Joannis *In principio,* etc. 12. Dum Celebrans legit Ant. *Communio,* primus Clericus

1) Clerici dicunt Verss. et Celebrans respondet *Gloria, Laus,* etc., ut in Missali. Cum Antiphonae hic non dicantur in cantu, ideo nullus Vers. est praetermittendus. Sed juxta Rubricas Missalis *(p. 435)*, ubi agitur de Functione in cantu peracta, non omnes Vers. debent cantari.

amovet Calicem ab altari, et portat ad Credentiam. 13. Completa Missa, Celebrans redit manibus junctis in Sacristiam, Clericis praecedentibus. 14. Ibi deponit Sacra Paramenta, et gratias agit. 15. Clerici ex altari, et Credentia resumunt omnia, et suis locis recondunt, et modeste recedunt.

TITULUS IV.

DE FERIA V IN COENA DOMINI.

Cap. I. *De praeparandis pro functionibus in hac Feria V persolvendis.*

In Altari. 1. *Altare solemniter ornatum, et cum Pallio albi coloris.* 2. *Crux inter Candelabra tecta velo albi coloris.* 3. *Missale super pulvino albo, sive legili in cornu Epistolae.*

In Abaco, seu Credentia. 1. *Calix pro Missa cum ornamentis coloris albi, et duplici Hostia.* 2. *Alius Calix cum Palla, Patena, Velo albo, et ligula serica albi coloris.* 3. *Pyxis cum Particulis consecrandis ad Communionem Populi, et Infirmorum.* 4. *Pelvicula cum Urceolis vini, et aquae, et Manutergio.* 5. *Schedulae tradendae Communicatis.* 6. *Crux Processionalis cooperta Velo violaceo.* 7. *Thuribulum cum Navicula.* 8. *Velum humerale albi coloris.* 9. *Mappa oblonga extendenda super Cancellos in Communione Populi.* 10. *Baldachinum hastatum, vel Umbella pro Processione, extra Cancellos.* 11. *Crotalum pro signo Salutationis Angelicae.*

In Sacristia. 1. *Tria Superpellicea pro Clericis.* 2. *Amictus, Alba, Cingulus, Manipulus, Stola, et Planeta albi coloris.* 3. *Pluviale Album.* 4. *Stola violacea.* 5. *Foculus cum igne, et forcipe.* 6. *Funalia, sive Candelae pro Processione.*

In Sacello parato pro Repositione Sanctissimi Sacramenti. 1. *Locus ipse ab altari majori distinctus, et decenter velis pretiosis, non tamen nigris, et luminibus, ac floribus ornatus, sine Reliquiis, aut Imaginibus Sanctorum.* 2. *Supra altare ibidem erectum Capsula elegans clave firmata, pro Calice servando.* 3. *Corporale stratum intra Capsulam.* 4. *Aliud Corporale super altare.* 5. *Scabellum graduatum pro repositione Calicis in Capsula.*

Cap. II. *De sacris ritibus Fer. V in Coena Domini peragendis.*

§. I. *De Missa usque ad Processionem.* 1. Sonus harmonicus Campanarum pro convocatione Populi. 2. Clerici

induti Superpelliceis disponunt omnia suis locis, ut supra. 3. Rector interim excipit Confessiones suorum Parochianorum. 4. Hora congrua Rector Ecclesiae celebraturus induit se paramentis Missalibus albi coloris. 5. Primus Clericus accendit candelas in altari majori, et aptat Calicem in medio ejus, et retro illum Pyxidem cum particulis. 6. Celebrans, praecedente primo Clerico, et post eum secundo cum tertio manibus junctis, procedit tecto capite ad altare pro Missa. 7. Incipit Missam omisso in Confessione Psalm. *Judica me Deus*, etc. et *Gloria Patri*. 8. Ad *Gloria in excelsis* pulsantur Campanae: quae deinde silent usque ad Sabbatum Sanctum. 9. Ultra Hostiam consuetam consecratur et alia, et particulae pro Communione Fidelium et pro infirmis. 10. Dicitur, ut alias, *Agnus Dei*, licet in Missa solemni non sit danda Pax. 11. Dum Celebrans dicit Orationes ante Communionem, primus Clericus portat ex Abaco ad altare Calicem vacuum cum Palla, Patena, et Velo albi coloris. 12. Celebrans sumpto Sanguine, et cooperto Calice, ex quo sumpsit, alterum Calicem ponit in medio Corporalis, et detegit. 13. Genuflectit, et alteram Hostiam consecratam reponit in Calice, cooperit Palla, et Patena inversa, et Velum desuper expandit, et genuflectit. 14. Accipit Pyxidem, et ponit eam ante Calicem velatum: discooperit, et facta genuflexione, retrahit se in cornu Evangelii [1] versa facie ad cornu Epistolae. 15. Clericus genuflexus in cornu Epistolae, omnibus similiter de Clero, et Populo genuflectentibus, dicit: *Confiteor Deo*, etc. et Celebrans subjungit: *Misereatur*, etc. et *Indulgentiam*, etc. ut alias. 16. Celebrans accedens ad medium genuflectit, et accepta Pyxide, vertit se ad communicandos, et dicit de more, ter: *Ecce Agnus Dei*, etc. 17. Fit Communio Clericorum apud altare, deinde Virorum, et Mulierum ad Cancellos, expansa Mappa ante pectus eorumdem. 18. Peracta Communione, Celebrans ad altare cooperit Pyxidem, et eam servat in tabernaculo. 19. Deinde dicto: *Quod ore*, etc. se purificat, et facta genuflexione, abluit digitos super Calicem, et super altare de more: et reaccedens ad medium, genuflectit, et sumit ablutionem digitorum. 20. Calix Missae defertur ad Credentiam: accenduntur Cerei in Sacello Sepulchri: disponitur Baldachinum, sive Umbella et distribuuntur Cerei

1) Caer. Ep. *l. 2, c. 29.* Bauldr. *p. 3, c. 11, art. 10, n. IV.*

pro sodalibus, si adsint, vel cultioribus de Populo. 21. Celebrans prosequitur Missam [1],...... 22. Celebrans completa Missa, accedit ad medium, genuflectit, et per breviorem descendit ad planum Epistolae. 23. Ibi per manus Clericorum deponit Planetam, et Manipulum, et accipit Pluviale albi coloris.

§. II. *De Processione SS. Sacramenti ad Sacellum.* 1. Celebrans accedit ante altare, et facta genuflexione in plano, orabit genuflexus in inferiori gradu. 2. Primus Clericus accipit thuribulum cum igne, et naviculam cum thure, et accedit ad Celebrantem. 3. Celebrans surgens, imponet thus in thuribulo, sine benedictione, ministrante naviculam secundo ex Clericis sine osculis. 4. Celebrans ascendit gradus altaris, et genuflexus in suppedaneo incensat SS. Sacramentum in Calice. 5. Deinde accipit Velum humerale, et surgens accedit ad Mensam Altaris: genuflectit, surgit, *et ad cautelam firmat velum Calicis ligula serica albi coloris.* 6. Accipit Calicem sinistra per nodum, submittens eam Velo, et dexteram ponit supra Calicem, supra quam secundus Clericus extendit extremitates ambas Veli humeralis. 7. Celebrans cum Calice vertit renes altari, et incipit Hym. *Pange lingua,* etc. 8. Proceditur ordine sequenti ad Sacellum Sepulchri.

1. Vexillum consuetum in delatione SS. Viatici. 2. Sodales, vel pii Viri cum luminibus. 3. Crux Processionalis delata a tertio Clerico. 4. Primus Clericus cum thuribulo fumigante. 5. Celebrans sub Baldachino, vel sub Umbella, et a sinistris ejus secundus Clericus elevans vestis anterioris ejus extremitates, dum descendit gradus, vel ascendit, recitantes Hymn. *Pange lingua,* etc. 9. Ad Sacellum omnes se disponunt per duas partes ita ut Thuriferarius, et Celebrans sub Baldachino possint transire per medium illorum. 10. Deferentes Labarum, et Crucem sistent e regione Sacelli. 11. Celebrans ascendit altare Sacelli, et deponit Calicem supra altare: genuflectit, descendit primum gradum, et genuflexus in suppedaneo deponit Velum humerale. 12. Interim deferentes Baldachinum asportant illud ad locum congruum. 13. Celebrans surgens imponit iterum incensum in thuribulo sine benedictione, et sine osculis: et genuflexus super suppedaneo Sacramentum incensat,

1) Rubricae hic praetermissae, reperiuntur *p. 371 sq.*

et Clerici recitabunt Vers. *Tantum ergo Sacramentum*, etc. **14.** Deposito thuribulo, Celebrans surgit, ascendit ad altare, genuflectit, et accipiens Calicem, illum recondit in Capsula, admoto per secundum Clericum Scabello graduato, si opus erit. **15.** Iterum genuflectit, et postea claudit Capsulam: genuflectit, et descendit in plano Sacelli. **16.** Celebrans genuflectit in gradu infimo altaris, et post aliqualem Orationem surgit, et facta genuflexione ambobus genibus in plano, praecedente Cruce, medius inter Clericos revertitur ad altare tecto capite.

§. III. *De Pyxidis asportatione.* **1.** Cum omnes pervenerint ad altare, Crux deponitur loco suo, et secundus, et tertius Clericus accipiunt Cereos accensos. **2.** Celebrans, facta genuflexione, ascendit altare, extrahit e Tabernaculo Pyxidem cum particulis: collocat eam super Corporale, et genuflectit. **3.** Descendens genuflectit in suppedaneo, et accipit a primo Clerico Velum pro humeris. **4.** Ascendit altare, genuflectit, et manibus velatis, accipit Pyxidem, et praecedentibus Clericis cum Cereis accensis, portat Pyxidem ad altare Sepulchri, et collocat super Corporale, et postea genuflectit. **5.** Deinde descendens, genua flectit in suppedaneo, ubi per manus Clerici deponit Velum: iterum ascendit, et genuflectit; aperit Capsulam, et recondit in ea Pyxidem, retro Calicem. **6.** Genuflectit, et claudit Capsulam, et facta Oratione in infimo gradu, genua flectit in plano, et revertitur, tecto capite, in Sacristiam. **6.** Ibi deponit Pluviale, et Stolam albi coloris, et sumit Stolam violaceam tantum, aptatam in modum Crucis.

§. IV. *De altarium denudatione.* **1.** Celebrans paratus, ut supra, associatus a Clericis manibus junctis, accedit ad altare. **2.** In plano, apud quod stans, inchoat alta voce Antiph. *Diviserunt sibi,* quam prosequitur cum Psalmo *Deus, Deus meus*, *respice in me,* etc. recitans illum cum Clericis. **3.** Interim Celebrans ascendit altare, quod denudat, amovendo Tobaleam superiorem, et alias. **4.** Clerici recipiunt Tobaleas, et amovent ab altari Vasa florum, Pallium, Tapete etc. adeo ut in altari non remaneant nisi Crux, et Candelabra cum candelis extinctis. **5.** Celebrans, denudato altari majori, procedet ad denudationem reliquorum altarium, si plura adsint. **6.** Denudatis altaribus, Celebrans redit ante altare majus: ubi post ultimum versum Psalmi, repetita Antiphona, genuflectit ad signum meri-

dianum Salutationis Angelicae. 7. Clericus cum Crotalo dat signum Salutationis Angelicae, ad quod omnes genuflectunt. 8. Surgit deinde Celebrans, et facta reverentia Cruci *quia paratus*, Clericis genuflectentibus, revertitur in Sacristiam. 9. Ibi paramenta deponit, et, gratiis de more peractis, jubet, ut omnia suis locis reponantur. 10. Primus Clericus amovebit a Cruce altaris majoris vestem coloris albi, remanente consueta veste violacea. 11. Curabit Parochus, ut assidue adsint, qui orent ante SS. Sacramentum in Sacello Sepulchri, utque decens numerus Cereorum in eo colluceat.

TITULUS V.

DE FERIA VI IN PARASCEVE.

Cap. I. *De praeparandis pro Officio hujus Feriae.*

In Altari Majori. 1. *Altare ipsum undequaque nudum cum sex Candelabris habentibus Cereos extinctos cerae communis.* 2. *Crux lignea in eodem, cooperta Velo, quod facile solvi, et removeri possit.* 3. *Pulvinar violaceum in secundo gradu ejusdem altaris.*

In Abaco, seu Credentia altaris majoris. 1. *Mantile lineum planitiem Abaci non excedens.* 2. *Mappa unica plicata pro altari ad mensuram Mensae.* 3. *Legile cum Missali.* 4. *Bursa nigri coloris cum Corporali, Palla, et Purificatorio.* 5. *Thuribulum, et Navicula cum thure.* 6. *Velum nigrum pro Calice in fine Officii.* 7. *Pelvicula cum Ampullis vini, et aquae, et Manutergio.* 8. *Lanx argentea pro oblationibus.*

Prope Abacum. 1. *Tapete, Pulvinar violaceum, et Velum album serico violaceo contextum.* 2. *Crux Processionalis.*

In Sacello Sepulchri. 1. *Corporale stratum super altare.* 2. *Velum humerale album.* 3. *Baldachinum, sive Umbella albi coloris.* 4. *Intortitia, et Cerei pro Processione.*

In Sacristia. 1. *Tria Superpellicea pro Clericis.* 2. *Amictus, Alba, Cingulus, Manipulus, Stola, et Planeta nigri coloris.* 3. *Foculus cum igne, et forcipe.*

Cap. II. *De sacris ritibus in hac Feria VI in Parasceve persolvendis.*

§. I. *De principio Officii usque ad denudationem Crucis.*
1. Hora competenti datur signum cum Crotalo, et Cele-

brans, et Clerici accipiunt Superpellicea in Sacristia, et disponuntur omnia, ut supra. 2. Celebrans, lotis manibus, accipit Amictum, Albam, Cingulum, Manipulum, Stolam, et Planetam nigri coloris. 3. Praecedentibus Clericis, manibus junctis accedit ad altare majus tecto capite. 4. Detecto capite genuflectit in plano altaris, et procumbit super Pulvino posito in secundo gradu, et orat spatio unius *Miserere.* 5. Primus Clericus, accepta Mappa, illam extendit per longum super Mensam Altaris, adjuvante secundo Clerico non explicando eam per latitudinem; ita ut duplicatio sit versus medium altaris et partes explicandae versus frontem ejusdem Altaris. 6. Tertius Clericus collocat Legile cum Missali in cornu Epistolae. 7. Celebrans surgit a procubitu, et amoto per Clericum pulvinari, ascendit altare, et osculatur illud in medio. 8. Accedens ad cornu Epistolae legit primam Lectionem cum Tractu. 9. Deinde dicit: *Oremus*, et, genuflectens cum omnibus: *Flectamus genua*, et secundus Clericus primo surgens dicit: *Levate,* et Celebrans subjungit Orat. *Deus a quo,* etc. 10. Deinde legit secundam Lectionem, et Tractum, ac successive Passionem. 11. Dicto ibidem: *Munda cor meum,* etc. prosequitur eam partem, quae cantaretur in tono Evangelii. 12. In fine non osculatur librum, sed immediate (nisi sit habendus sermo de Passione) incipit in eodem cornu Epistolae Monitiones, et Orationes, ut in Missali. 13. Ante singulas Orationes, octava excepta, Celebrans genuflectens, prout faciunt et caeteri, dicit: *Flectamus genua*, et secundus Clericus, surgens ante omnes, dicit: *Levate.* 14. Circa finem Orationum, primus Clericus, adjuvante tertio, extendit ante gradus altaris, vel Presbyterii Tapete, et super primos ejus gradus Pulvinar violaceum, et Velum album serico violaceo contextum expandunt per longum.

§. II. *De Crucis denudatione et adoratione.* 1. Completis Orationibus, Celebrans stans in eodem cornu Epistolae deponit Planetam tantum [1]. 2. Deinde genuflectit in medio altaris, et accipit Crucem, et primus Clericus accipit Missale. 3. Celebrans accedit ad angulum posteriorem cornu Epistolae, facie versa ad Populum, et Clericus sustinebit Missale ante illum. 4. Celebrans manu dextra detegit summitatem Crucis usque ad transversum illius

1) Vid. S. R. C. dec. 15 Sept. 1737, n. 3906, 4, et *ibid.* notata.

exclusive, et Crucem ambabus manibus aliquantulum elevans, gravi voce legit: *Ecce lignum Crucis:* et Clerici eadem voce prosequuntur: *In qua salus mundi pependit.* Et genuflectentibus omnibus, praeter Celebrantem, Clerici subjungunt: *Venite adoremus,* et deinde surgunt. 5. Celebrans in anteriori parte cornu Epistolae discooperiens brachium dexterum Crucis, et caput Crucifixi, et magis elevans Crucem, et vocem, secundo dicit: *Ecce lignum Crucis.* 6. Clerici prosequuntur: *In quo salus mundi pependit,* et successive: *Venite adoremus;* et genuflectunt omnes, ut prius. 7. Celebrans tandem in medio altaris totam discooperiens Crucem, ac altius manum, et vocem elevans, dicit tertio: *Ecce lignum Crucis.* 8. Clerici tertio presequuntur, respondent, et genuflectunt, ut supra. 9. Tertius Clericus ponit Lancem a latere sinistro pulvinaris, et primus reponit Missale super Legile, et discooperitur Crux Processionalis, et aliae omnes per Ecclesiam. 10. Celebrans descendens per latus Evangelii portat devote Crucem ambabus manibus elevatam ad locum praeparatum. 11. Ibi genuflexus collocat Crucem super velum pulvino superpositum, et firmat eam chordulis. 12. Surgit et facta genuflexione, vadit ad planum cornu Epistolae, ibique sedens in scabello, deponit calceamenta, Clericis adjuvantibus. 13. Celebrans excalceatus procedit ad adorationem Crucis, quam primo, secundo, et tertio cum debita distantia, adorat, offert pecuniam, et osculatur Crucem. 14. Surgit, et facta genuflexione Cruci, redit ad scabellum in plano Epistolae, et calceamenta resumit. 15. Clerici deponunt et ipsi calceamenta, et post Celebrantem, ante omnes alios de Populo, adorabunt Crucem, eodem modo, quo Celebrans, et reversi ad sua loca, calceamenta resumunt. 16. Post Clericos adorabunt Sodales cum saccis, si adsint, deinde Viri, ultimo Mulieres: omnes bini, devote, ac graviter. 17. Interim primus Clericus assistit adorantibus, et secundis et tertius Clericus accedunt ad Celebrantem, et alta, et clara voce [1] recitant cum eo Improperia, ut hic.

Improperia recitanda a Celebrante cum secundo, et tertio Clerico. — *Prima pars.* Cel. Vers. Populc meus, quid feci tibi? aut in quo contristavi te? responde mihi. Vers. Quia eduxi te de terra Aegypti: parasti Crucem Salvatori tuo.

1) Bauldr. *p. 4, cap. 10, art. 5, n. 6.*

II Cl. Resp. Agios o Theos. III Cl. Sanctus Deus. II Cl. Agios ischyros. III Cl. Sanctus fortis. II Cl. Agios athanatos eleison imas. III Cl. Sanctus immortalis, miserere nobis [1]... 18. Circa finem adorationis primus Clericus accendit Cereos altaris, et tertius amovet Legile cum Missali ab altari. 19. Deinde secundus, et tertius Clericus accedunt per planum ad altare: alter ad cornu Evangelii, alter ad Epistolae, et explicant Tobaleam altaris. 20. Successive secundus Clericus portat ad altare Bursam cum Corporali incluso, et super eam Purificatorium: extrahit, et explicat Corporale, et prope illud in parte Epistolae extendit Purificatorium. 21. Tertius Clericus collocat Missale cum Legili super altare in cornu Evangelii apertum, et inversum, ut in Missa. 22. Completa adoratione, Celebrans reportabit Crucem ad altare cum debitis genuflexionibus. 23. Clerici amovent tapete, pulvinar, velum, et lancem, et apponitur ignis in Thuribulo. 24. Celebrans apud scabellum in plano Epistolae resumit planetam, et, aperto capite, accedit ante altare.

§. III. *De Processione ad Sacellum, et regressu ad altare cum SS. Sacramento.* 1. Celebrans ante altare: et imponit sine benedictione, et sine osculis incensum in Thuribulo. 2. Dirigitur Processio ad Sacellum, ubi asservatur SS. Sacramentum, hoc ordine. Vexillum Viatici. Sodales, sive pii Viri. Thuriferarius. Crux Processionalis denudata, et delata a tertio Clerico. Celebrans cum planeta, habens ante ipsum a sinistris secundum Clericum. 3. Ad Sacellum: Labarum, et Crux e regione altaris: Procedentes hinc inde Sacellum in duas lineas, et juniores prope Labarum, seniores propinquiores erunt altari. 4. Celebrans, facta genuflexione in plano Capellae, genuflectit in primo gradu altaris, et orat parumper cum omnibus. 5. Surgit, aperit Capsulam, genuflectit, descendit primum gradum, et stans imponit Incensum in Thuribulo sine benedictione, et sine osculis: accenduntur Cerei pro Processione, et disponitur Baldachinum, sive Umbella. 6. Celebrans genuflexus in Suppedaneo incensat Sacramentum in Capsula: surgit, et facta genuflexione, extrahit e Capsula Calicem, et ponit super altare. 7. Genuflectit, claudit Capsulam, in qua remanet Pyxis cum Particulis: iterum genuflectit, et descendit

1) Sequuntur alia improperia, ut in Missali, et versus assignantur recitandi a Celebrante, responsoria vero a Clericis.

primum gradum. 8. Genuflexus in Suppedaneo accipit Velum humerale, surgit, et facta genuflexione, stans accipit, ut heri, Calicem, et secundus Clericus Velo cooperit. 9. Celebrans vertit renes altari, et facie ad Processionem, inchoat alta voce Hymnum *Vexilla Regis prodeunt,* etc. quem cum' secundo Clerico prosequitur ut infra... 10. Revertitur Processio ad altare, ordine sequenti. Vexillum Viatici. Sodales, sive pii Viri cum Cereis accensis. Crux Processionalis. Thuriferarius continue Thuribulum agitans. Celebrans sub Baldachino, habens secundum Clericum ante se a sinistris. 11. In Sacello remanent quatuor Candelae accensae. 12. Vexillum reponitur extra Cancellos; Crux Processionalis prope Credentiam. 13. Sodales, et pii Viri remanent extra Cancellos: ibique dispositi, Cereos usque ad Officii finem in manibus tenebunt. 14. Baldachinum, sive Umbella deponitur ante Cancellos, et loco congruo collocatur. 15. Celebrans ascendit altare, et Calicem ponit super Corporale: deinde genuflectit, surgit, et descendit primum gradum altaris. 16. Deponit Velum, et stans imponit Incensum in Thuribulo sine benedictione, et sine osculis; deinde genuflexus in Suppedaneo Sacramentum incensat.

§. IV. *De reliquo Officio, et Ritu hujus Feriae.* 1. Celebrans surgens accedit ad altare, et genuflectit; deinde solvit, et amovet Velum a Calice, et deponit Patenam super Corporale. 2. Accepto Calice, deponit ex eo Sacram Hostiam super Patenam; deinde ambabus manibus Patenam ipsam accipiens, collocat Hostiam super Corporale, nihil dicens, neque signans, et Patenam ponit ubi alias, sed super Corporale, non subtus. 3. Celebrans facta genuflexione, accipit Calicem, et accedit versus cornu Epistolae, et Calicem sinistra tenens, ponit in eo Vinum, et Aquam sine benedictione, et nihil dicens. 4. Calix non abstergitur; sed ponitur in latere Corporalis. 5. Celebrans accedit in medio, et facta genuflexione, reponit Calicem in loco solito sine signo Crucis, et cooperit Palla. 6. Ibidem... [1]... 13. Non respondetur, *Suscipiat.* 14. Celebrans junctis manibus ante pectus, in tono feriali, dicit: *Oremus: Praeceptis salutaribus,* etc. et cum dicit: *Pater noster,* etc. extendit manus. 15. Clerici respondent: *Sed libera nos a*

1) Numeri 6—12 traduntur *pag. 372.*

malo, et Celebrans: *Amen* sub silentio; et adhuc tenens manus extensas subjungit in priori tono feriali: *Libera nos*, etc. et Clerici in fine respondent: *Amen*. 16. Celebrans genuflectit, surgit, discooperit Calicem, supponit Patenam Hostiae, et tenens manu sinistra Patenam super altare, elevat dextra Hostiam, ut ab omnibus videri possit. 17. Celebrans declinat Hostiam immediate super Calicem jam discoopertum, et statim dividit eam in tres partes, more solito, nihil dicens, quarum ultimam immittit in Calicem, pariter nihil dicens, nec signans. 18. Cooperto Calice, genuflectit, et postmodum surgens, manibus junctis super altari, et inclinatus, dicit secreto *Perceptio Corporis*, etc. omissis duabus aliis Orationibus. 19. Celebrans iterum genuflectit, deinde, accepta Patena cum Hostia, ut alias, dicit: *Panem caelestem*, etc. *Domine non sum dignus*, etc. more solito ter, percutiens pectus. 20. Hostia se signat, dicendo: *Corpus Domini nostri*, etc. et se communicat. 21. Facta brevi meditatione, discooperit Calicem, et genuflectit. 22. Surgit, et collectis de more fragmentis, accipit ambabus manibus Calicem, nihil dicens, nec se signans, et sumit reverenter ex eo Particulam Hostiae cum Vino. 23. Celebrans, omissa consueta Calicis purificatione, more solito, abluit digitos super Calicem cum Vino, et Aqua. 24. Surgunt interim omnes, et Cerei extinguuntur. 25. Celebrans, sumpta in medio ablutione, Calicem tergit, Velo parvo nigro cooperit, atque componit; et inclinatus, manibus junctis ante pectus, dicit secreto: *Quod ore sumpsimus*, etc. 26. Primus Clericus Calicem defert ad Credentiam. 27. Celebrans descendens in plano altaris, et facta cum Clericis genuflexione Cruci, cooperto capite, revertitur in Sacristiam. 28. Ibi deponit paramenta missalia, et super Cotta accipit Stolam albi coloris.

§. V. *De Pyxidis Repositione*. 1. Celebrans, praecedente primo Clerico cum Velo, et duobus aliis cum Cereis, vadit ad Sacellum, ubi Pyxis remansit. 2. Facta genuflexione in plano, genuflectit in primo gradu inferiori, et orat parumper. 3. Surgit, ascendit altare, aperit Capsulam, genuflectit, accipit Pyxidem, et eam collocat super Corporale, et iterum genuflectit. 4. Descendens primum gradum genuflectit in Suppedaneo, et accipit a primo Clerico Velum pro humeris. 5. Ascendit altare, genuflectit, et manibus velatis accipit Pyxidem, et praecedentibus Clericis cum

Cereis accensis, reportat Pyxidem, servandam in tabernaculo posito super altare alicujus remotioris Capellae in Ecclesia, vel *(quod congruentius)* in Sacristia. **6.** Debitis genuflexionibus Pyxidem servat: et ante eam lampas continuo ardeat. 7. Reposita Pyxide, omnes genuflectunt, et datur signum meridianum Salutationis Angelicae cum Crotalo. 8. Tandem extinguuntur Cerei altaris, et omnia suis locis reportantur. 9. Si autem non adsit Sacristia, vel Capella remotior, ut supra; tunc Pyxis remaneat in loco[1] ubi Calix repositus erat, et lampas ardens jugiter adsit.

TITULUS VI.
DE SABBATO SANCTO.

Cap. I. *De praeparandis pro omnibus functionibus, in hac die persolvendis.*

Extra portam principalem. *1. Mensa cum mantili albo, et super eam: 2. Legile parvum cum Missali. 3. Patera argentea cum quinque globulis Incensi. 4. Thuribulum, et Navicula cum thure. 5. Vas Aquae benedictae cum Aspersorio. 6. Manipulus, Stola, et Dalmatica albi coloris. 7. Laterna cum Candela. 8. Item prope Mensam, Tripes cum foculo, in quo carbones accendendi pro novo Igne. 9. Forcipes ferreae. 10. Arundo ornata cum tribus Candelis in summitate.*

In Altari Majori. *1. Altare cum Cruce, et Candelabris festivis. 2. Duplex in eo Pallium, album subtus, et violaceum desuper. 3. Pes ligneus, vel basis marmorea in latere Evangelii pro firmanda Arundine. 4. Legile pro Praeconio. 5. Cereus benedicendus, aptatus in Candelabro magno a latere Evangelii, cum ellychnio concinnato ad prompte flammam recipiendum, cum quinque foraminibus in modum Crucis. 6. Lampades compositae.*

In Abaco Altaris Majoris. *1. Mensa mantili albo cooperta. 2. Missale pro Praeconio, et Missa. 3. Calix cum ornamentis coloris albi. 4. Pelvicula cum Urceolis vini, et aquae, et Manutergio.*

In Sacristia. *1. Quatuor Superpellicea pro Clericis; Amictus, Alba, Cingulus, Stola, et Pluviale coloris violacei, Manipulus, Stola, et Planeta violacea. 2. Manipulus, Stola, et Planeta coloris albi. 3. Velum pro humeris albi coloris. 4. Cerei pro asportatione Pyxidis.*

1) Bauldr. *p. 4, cap. 10, art. 5, n. 11.*

In Baptisterio, si adsit. *1. Mensa cooperta albo mantili pro Abaco. 2. Manutergia num. duo. 3. Vas pro Aqua benedicta, et Aspersorium. 4. Vasa ad extrahendam Aquam e Fonte. 5. Ampullae Oleorum Chrismatis, et Catechumenorum. 6. Vasa ad lavandas manus cum mica panis. 7. Bombacium ad manus inunctas tergendas.*

Pro Baptismo, si ministrandus. *1. Rituale Romanum. 2. Pelvicula cum Sale. 3. Vasa Oleorum Catechumenorum, et Chrismatis cum Bombacio. 4. Stola, et Pluviale albi coloris. 5. Linteolus ad abstergendum caput Infantis. 6. Alius Linteus aptatus pro Veste candida. 7. Cereus accendendus.*

Cap. II. *De sacris ritibus Sabbato Sancto peragendis.*

§. I. *De Principio Officii, usque ad Benedictionem Cerei.* 1. Extra Ecclesiam excutitur novus Ignis e silice, et accenduntur carbones in foculo. 2. Hora competenti, *quatuor Clerici* accipiunt Superpellicea in Sacristia, et disponunt omnia suis locis. 3. Dato signo cum Crotalo, Celebrans, lotis manibus, accipit supra Cottam, Amictum, Albam, Cingulum, Stolam, et Pluviale coloris violacei. 4. Proceditur ad Portam principalem, hoc ordine. Primus Clericus manibus junctis. Tertius Clericus cum Cruce Processionali. Celebrans inter Clericos secundum et quartum. 5. Extra portam Clericus cum Cruce sistit in limine Portae, renes eidem vertens, facie Crucifixi versa ad Celebrantem. 6. Celebrans ante Mensam collocatam inter ipsum, et Crucem. 7. Ibidem stans, et ex Missali super Legile, legens, benedicit Ignem tribus Orationibus; deinde unica Oratione Grana Incensi. 8. Dum Celebrans benedicit Incensum, primus Clericus accipit forcipe novum Ignem benedictum, et ponit in Thuribulo. 9. Celebrans imponit cum benedictione, et osculis Incensum in Thuribulo; deinde aspergit Ignem, et Grana, dicens Antiph. *Asperges me,* etc. et eadem thurificat. 10. Thuriferarius recepto Thuribulo, ponit alium novum Ignem in eo. 11. Celebrans, deposito Pluviali ac Stola coloris violacei, accipit Manipulum, Stolam in humero sinistro, more Diaconorum, et Dalmaticam albi coloris. 12. Interim secundus Clericus accendit candelam de novo Igne, et recondit in Laterna, et quartus accipit pateram cum granis Incensi. 13. Celebrans iterum ponit Incensum in Thuribulo cum benedictione, et osculis, et postea accipit Arundinem. 14. Proceditur ad benedictionem

Cerei, ordine sequenti. Clericus cum granis Incensi a dexteris, et Thuriferarius a sinistris. Tertius Clericus cum Cruce. Celebrans cum Arundine, et secundus Clericus cum Laterna a sinistris ejus. 15. Clerici cum Granis, Thuribulo, et Cruce ingrediuntur Ecclesiam, et sistunt quando Celebrans ingressus fuerit januam Ecclesiae. 16. Celebrans ingressus Ecclesiam inclinat Arundinem, et accensa ex Laterna una ex tribus candelis per secundum Clericum, genuflectit, genuflectentibus omnibus, excepto tantum Clerico portante Crucem. 17. Celebrans genuflexus, clara voce dicit: *Lumen Christi:* tum surgit, surgentibus omnibus, et Clerici respondent: *Deo gratias.* 18. Proceditur usque ad medium Ecclesiae, ubi secundo fiunt omnia, ut supra, accensa secunda candela; praeter modulationem vocis, quae alta esse debet. 19. Proceditur tandem ante gradus altaris, et accensa tertia candela, tertio fiunt antedicta cum altiori voce.

§. II. *De Benedictione Cerei.* 1. Responso pro tertia vice, post *Lumen Christi,* a Clericis *Deo gratias,* surgunt omnes, et formant rectam lineam cum Celebrante in medio eorum ante altare. 2. Secundus Clericus secedens deponit Laternam super Credentiam, et accipit Missale pro Praeconio, et tradit illud Celebranti, qui vicissim dat illi Arundinem. 3. Celebrans, tenens Missale in manibus, genuflectit in infimo gradu altaris, et non praemisso: *Munda cor meum,* dicit tantum *Jube Domine, benedicere. Dominus sit in corde meo, et in labiis meis, ut digne, et competenter annunciem suum Paschale Praeconium. Amen.* 4. Deinde surgens, ac facta cum omnibus genuflexione altari, accedit ad Legile paratum in plano Evangelii pro Praeconio hoc ordine. Thuriferarius habens a dextris quartum Clericum cum Granis Incensi. Tertius Clericus cum Cruce habens a sinistris secundum Clericum cum Arundine. Celebrans cum Missali. Cum pervenerint ad Legile, supradicti sic apud illud se disponunt recta linea, et vertentes faciem sicut Celebrans.

1. Celebrans ponit Missale super Legile. 2. Clericus cum Cruce a dextris Celebrantis. 3. Thuriferarius a dextris supradicti cum Cruce. 4. Clericus cum Arundine a sinistris. 5. Clericus cum Granis a sinistris Arundinis. 6. Celebrans accedente Thuriferario incensat Missale apertum super Legile, et incipit Praeconium: *Exultet,* etc. clara,

et hilari voce. 7. Ad verba: *Curvat imperia,* infigit grana Incensi, hoc ordine:

1

4 2 5

3

8. Quartus Clericus deponit in Credentia pateram, ubi erant grana Incensi, et accipit virgam cum Candelula superinflexa, et redit ad [1] pristinum locum a sinistris Clerici cum Arundine. 9. Ad verba: *Rutilans ignis accendit,* Celebrans ex Arundine Cereum accendit. 10. Ad verba: *Apis mater eduxit,* quiescit donec quartus Clericus ex Cereo, per Candelulam in virga, lampadem, vel lampades accendat. 11. Finito Praeconio Celebrans claudit Missale: secundus Clericus firmat Arundinem in sua basi a latere Evangelii; tertius deponit Crucem in latere Epistolae. 12. Deinde, praecedentibus Thuriferario cum Clerico de granis a sinistris, ac secundo, et tertio Clerico, facta genuflexione altari, revertitur in Sacristiam. 13. Ibi depositis paramentis albis, accipit Manipulum, Stolam, et Planetam coloris violacei.

§. III. *De Prophetiis.* 1. Celebrans paratus, ut supra, praecedentibus Clericis, procedit ad altare. 2. Facta reverentia Cruci, ascendit ad altare, osculatur illud in medio, et accedit ad cornu Epistolae. 3. Ibi alta voce legit duodecim Prophetias, Orationes, et Tractus: genuflectens cum omnibus, dum ante Orationes, excepta ultima, dicit: *Flectamus genua:* et Clericus surgens respondet *Levate.* 4. Completa ultima Oratione, Celebrans, facta ibidem reverentia Cruci, descendit ad scabellum in plano Epistolae et deponit Planetam, et Manipulum. 5. *Si Ecclesia habuerit Fontem Baptismalem, Celebrans accipit Pluviale violaceum, et sedet. Si autem Fontem non habet, accedit sine Casula ante altare pro Litaniis, ut infra §. VI.* 6. Procedamus nunc ad Benedictionem Fontis, ne aliquid in hoc Memoriali desideretur.

§. VI. *De Benedictione Fontis.* 1. Sedente Celebrante, ut supra, primus Clericus amovet Cereum accensum e Candelabro, et accedit ante altare. 2. Tertius Clericus accipit Crucem, et similiter venit ante altare. 3. Duo alii Clerici accedunt ad Celebrantem. 4. Celebrans surgens incipit

1) Bauldr. *p. 4, cap. 11, art. 3, n. 7.*

alta voce Tract. *Sicut Cervus,* etc. ut infra, quod lente prosequetur cum suis Clericis. 4. Inchoato Tractu, dirigitur Processio ad Fontem, facta reverentia altari, hoc ordine. Clericus cum Cereo. Clericus cum Cruce. Celebrans medius inter Clericos, recitans, tecto capite, Tractum. Vers. Sicut Cervus desiderat ad fontes aquarum: ita desiderat Anima mea ad te, Deus. Vers. Sitivit Anima mea ad Deum vivum: quando veniam et apparebo ante faciem Dei? Vers. Fuerunt mihi lacrymae meae panes die, ac nocte, dum dicitur mihi per singulos dies: ubi est Deus tuus? 6. Ante cancellos Fontis sistunt omnes, et Celebrans, facie versa ad Crucem, expleto Tractu, dicit: *Dominus vobiscum,* et Orationem: *Omnipotens sempiterne Deus,* etc. sustinente librum quarto Clerico. 7. Clericus cum Cereo, et deferens Crucem ingrediuntur Cancellos Baptisterii, si loci capacitas sinat: stabunt vero semper ante faciem Celebrantis. 8. Celebrans accedit prope Fontem, et dicit secundam Orationem, et Praefationem, ut in Missali, tenens semper manus junctas. 9. Intra Praefationem, juxta proprios Rubricae locos, haec peragit.

1. Post verba: *Gratiam de Spiritu Sancto:* dividit Aquam manu dextera in modum Crucis, et immediate tergit. 2. Post verba: *Non inficiendo corrumpat:* tangit Aquam manu, et deinde tergit. 3. Post verba: *Indulgentiam consequatur,* facit tres Cruces supra Fontem manu dextera. 4. Post verba: *Super te ferebatur,* dividit manu dextra Aquam, et effundit versus quatuor Mundi partes, Orientem, Occidentem, Aquilonem, et Austrum, hoc modo:

1

3 4

2

5. Post verba: *In nomine Patris,* etc. mutat vocem in modum lectionis. 6. Post verba: *Tu benignus adspira:* halat ter in Aqua in modum Crucis. 7. Post verba: *Purificandis mentibus efficaces:* immittit aliquantulum Cereum in Aquam, dicens *Descendat in hanc plenitudinem,* etc. et extrahit. Immittit secundo profundius, et tono aliquanto altiori repetit: *Descendat in hanc,* etc. et pariter extrahit. Immittit tertio usque ad fundum, et altiori adhuc voce repetit: *Descendat,* etc. et non extrahit. 8. Ter sufflat immediate in Aquam in formam Tridentalem, juxta figuram

in Missali, et prosequitur: *Totamque hujus Aquae*, etc. **9.** Post verba: *Foecundet effectu:* extrahit Cereum, qui panno abstergitur. **10.** Prosequitur Praefationem, quam concludit humiliori voce, dicendo: *Per Dominum nostrum*, etc. et Adstantes respondent: *Amen.* **11.** Secundus Clericus accipit Vas pro Aqua benedicta, et cum eo haurit Aquam ex Fonte. **12.** Celebrans, accepto aspersorio intincto in Aqua Fontis, aspergit se, et circumstantes; deinde, medius inter Clericos, aspergit omnes per Ecclesiam de dicta Aqua, et revertitur ad Fontem. **13.** Extrahitur Aqua benedicta pro Fontibus lustralibus, Benedictionibus Domorum, et Esculentorum, ac Aspersione in crastinum. **14.** Celebrans accedens ad Fontem, infundit in Aquam Oleum Catechumenorum in modum Crucis, dicens: *Sanctificetur*, etc. **15.** Deinde similiter Chrisma, dicens: *Infusio Chrismatis*, etc. **16.** Tandem infundit simul utrumque Oleum, pariter in modum Crucis, dicens: *Commixtio Chrismatis*, etc. **17.** Miscet manu sua Olea infusa cum Aqua, et spargit per omnem Fontem. **18.** Abstergit manum Bombacio: deinde lavat manus cum mica panis.

§. V. *De Baptismo Parvulorum. Duo potissimum* (verba sunt Ritualis Romani) *ex antiquissimo Ecclesiae Ritu, sacri sunt dies, in quibus solemni caeremonia hoc Sacramentum administrare maxime convenit, nempe Sabbatum Sanctum Paschae, et Sabbatum Pentecostes, quibus diebus Baptismalis Fontis Aqua rite consecratur.* Ad parvulorum igitur Baptismum, solemniter administrandum, Celebrans, expleta, ut supra, Fontis Benedictione, ordine, ut infra, procedat.

1. In fine Benedictionis Fontis disponuntur Baptizandi cum eorum Patrinis extra limen Ecclesiae. **2.** Celebrans, lotis manibus, praecedente Clerico cum Cruce, et remanente apud Fontem alio Clerico cum Cereo, accedit cum aliis duobus Clericis ad limen Ecclesiae. **3.** Ibi Celebrans procedit, ut in Rituali ad Catechismum etc., usquè ad introductionem Infantis in Ecclesiam, pro qua, **4.** Celebrans imponit super Infantem extremam partem Stolae, *pendentem a suo humero sinistro*, et introducit eum in Ecclesiam, dicens: N. *Ingredere in Templum Dei*, etc. **5.** Deinde, dicto *Credo et Pater noster*, versis renibus ostio cancellorum Baptisterii, dicat Exorcismum: tangat saliva aures, et nares Infantis: eumdemque Oleo Catechumenorum ungat in pectore, et inter scapulas. **6.** Stans ibidem extra cancellos

Celebrans deponit Pluviale, et Stolam coloris violacei, et sumit Stolam, et Pluviale albi coloris. 7. Praecedente Cruce ingreditur Baptisterium, in quod ingrediuntur Patrini cum Infantibus. 8. Celebrans ad Fontem interrogat: N. *Credis,* etc. N. *Vis baptizari?* 9. Responso a Patrinis: *Volo,* Celebrans procedit ad Baptismum, vel per Immersionem, si in Baptisterio sit tantummodo unicus Fons continens Aquam benedictam, vel per infusionem, si habeatur duplex Fons: Alter cum Aqua benedicta, et alter vacuus, qui per foramen excurrere faciat in Sacrarium Aquam baptismalem, profluentem e capite Infantis baptizati super eumdem Fontem vacuum. 10. *Si baptizet per Immersionem:* Celebrans, accipiens Infantem, ac ipse solus eum sustinens, caute caput ejus immergit, et trina mersione baptizat, et semel tantum dicit: N. *Ego te baptizo,* etc. et Infantem, completa forma, statim tradit Susceptoribus. 11. *Si vero per Infusionem:* tunc Patrino, vel Matrina, utroque Infantem tenente super altero Fonte vacuo sine aqua, Celebrans vasculo accipit Aquam Baptismalem ex altero Fonte, et de ea ter fundit supra caput Infantis in modum Crucis, et simul verba proferens, semel tantum, distincte et attente dicat: N. *Ego te baptizo,* etc. 12. Absterso capite Infantis, Celebrans dicens: *Deus omnipotens,* etc. Sacro Chrismate inungit summitatem capitis Baptizati. 13. Deinde, data Veste candida, et Candela accensa, et dicto, N. *Vade in pace,* etc. Patrinos admonet, et Parentes Infantis admoneri curat, ut in Rituali. 14. Celebrans lavat manus, et depositis Pluviali, ac Stola albis, resumit Stolam, et Pluviale violaceum.

§. VI. *De Litaniis, et Missa cum Vesperis.* 1. Praecedente Clerico cum Cereo, et Cruce Processionali, Celebrans subsequitur cum suis Clericis, et redit ante altare. 2. Cereus figitur proprio Candelabro et Crux deponitur in cornu Epistolae. 3. Celebrans, stans ante altare, deponit Pluviale tantum. 4. Idem genuflexus, omnibus similiter genuflectentibus, recitat Litanias ex Missali, posito super scabello ante seipsum. 5. Clerici respondent, et repetunt omnia, quae Celebrans dicit. 6. Ad vers. *Peccatores,* tollitur Pallium violaceum ab altari: accenduntur Candelae, et vasa florum inter candelabra apponuntur. 7. Celebrans prosequitur Litanias, usque ad *Christe exaudi nos,* inclusive. 8. Surgit Celebrans, et praecedentibus Clericis, accedit in Sacristiam; ubi, deposita Stola violacea, accipit

Manipulum, Stolam, et Planetam albi coloris. 9. Celebrans comitatus a Clericis, ut supra redit ad altare, ante cujus gradus facit Confessionem de more, cum Psal. *Judica me,* etc. et *Gloria Patri.* 10. Ascendit altare, completaque Oratione: *Aufer a nobis*, etc. in ejus medio, dicit immediate *Kyrie eleison,* ut alias, cum non legatur Introitus. 11. Ad *Gloria in Excelsis,* pulsantur Campanae (vid. *p.* 458), quae usque ad hanc horam siluerant. 12. Post Epistolam Celebrans dicit ter *Alleluia,* elevando gradatim vocem, et Clerici, post quamlibet vicem, in eodem tono repetent illud, et Celebrans prosequetur Vers., et Tractum. 13. Non dicitur *Credo,* et post *Dominus vobiscum,* non legitur Offertorium: Non dicitur *Agnus Dei,* neque datur hodie osculum Pacis. 14. Loco Antiph. *Communio,* dicuntur Vesperae, ut in Missali, videlicet. 15. Celebrans in cornu Epistolae dicit Ant. *Alleluia*, etc. et cum Clericis prosequitur Psal. *Laudate,* etc. et in fine repetitur *Alleluia.* 16. Deinde subdit: Ant. *Vespere autem,* etc. cum Cantico *Magnificat.* 17. Repetita Ant. *Vespere,* etc. Celebrans accedit ad medium altaris, osculatur illud, et versus ad Populum dicit: *Dominus vobiscum*, et postea Orationem in solito cornu Epistolae. 18. Post: *Ite Missa est,* additur *Alleluia, Alleluia.* 19. Completo Evangelio S. Joannis, revertitur in Sacristiam, et Missalia paramenta deponit.

§. VII. *De Reportatione Pyxidis.* 1. Celebrans accipit super Cottam, Stolam albam, et praecedentibus Clericis cum Cereis, et alio cum Bursa Corporalium, et Velo humerali, accedit ad locum, ubi asservatur Pyxis cum Particulis. 2. Ibi, adhibitis debitis genuflexionibus, accipit velatis manibus Pyxidem, quam portat in solito tabernaculo servandam. 3. Revertitur in Sacristiam, in qua, depositis Sacris Vestibus, legit Ant. *Trium puerorum*, etc. cum *Alleluia,* et Canticum, et Psalmum, et Orationes pro gratiarum actione. 4. Interim per Clericos extinguuntur Cerei altaris. 5. Item tres candelae in cuspide Arundinis, quae amplius non accenduntur, et Arundo ipsa amovetur omnino. 6. Item extinguitur Cereus Paschalis; qui tamen, remanens in suo Candelabro, accendetur in Missis in omnibus Dominicis, ac festis Domini, et Sanctorum de praecepto; et usque ad Evangelium inclusive in die Ascensionis Domini; quo dicto, Cereus extinguitur, et completa Missa, removetur e Cande-

labro, et servatur accendendus in Vigilia Pentecostes ad Benedictionem Fontis.

Sanctificato hucusque, Sacris Ritibus, Sabbato, Paschalibus initiato mysteriis; aequali Religionis cultu properetur ad Dominicae Resurrectionis diem. Dies, *Nobilitas*[1] *Anni, Mensium Lux, Alma Dierum, Horarum splendor.* Dies, quam fecit Dominus. Exultemus igitur, et laetemur in ea, suffulti meritis, et intercessione praecelsae Genitricis Dei Mariae, quam cum S. Methodio experiamur[2]: *Gaudium nostrum ineffabile. Amen.*

APPENDIX II.

INSTRUCTIO CLEMENTINA PRO ORATIONE XL HORARUM.

1. Hanc Instructionem Commentati sunt Merati, *tom. 1, p. 2, tit. 14,* Cav. *tom. 4, c. 8,* Tetam, et novissime Gardellini, S. R. C. Assessor, *tomo VI* suae Collectionis. Hic in suo prooemio disserit de Origine, de antiquitate Orationis et Expositionis XL Horarum, atque de vi hujus Instructionis. „A Clemente XI, primo ejus Autore, hujusmodi Instructio *Clementina* dicitur, et in vulgum prodiit die 21 Jan. 1705; dein vero ab ejusdem Successoribus, *Innocentio XIII, Benedicto XIII, Clemente XII* fuit confirmata, ac post integri saeculi fugam in viridi est observantia... Quaedam ea continet, quae cum sint generalia, et ad essentiam pertineant Cultus Sacrae Eucharistiae debiti, nedum Romae in sola Oratione quadraginta horarum, sed etiam alibi, et in aliis omnibus expositionibus, quae per annum fiunt, servanda omnino sunt. Quod quidem procedit non ex praescripto Instructionis, quae unam respicit Orationem XL Horarum pro Ecclesiis Urbis; verum ex Ecclesiae instituto ac disciplina, et ex Sacrar. Congregationum decisionibus. Caetera vim legis habent quoad Urbem, sed ad alias Eccle-

1) *Ex Hymnario S. Gregorii.*
2) *In Homil. de Purific. B. M.*

ias non extenduntur, licet laudabile multum sit, ut ubique serventur *(p. 360)*, quemadmodum respondit S. R. C. n *Patavina*, die 12 Jun. 1749, n. 4054....." Ita Gardel. *c. n. 9.* Deinde, *n. 10 sqq.*, evertit sententiam Cavalerii t Tetami, qui volunt Instructionem vim legis ubique habere.

2. Cum ad solas Urbis Ecclesias dirigatur, non editur b ipso Sum. Pontifice, sed ab ejusdem Vicario, et quilem italico sermone, ex quo hic redditur in latinum, juxta extum qui refertur a Gardellini. Quo autem fidelius sensus reddatur, vertitur, quantum fieri potest, de verbo ad verbum. Et ne cum textu confundantur notulae, quas interdum subjicimus, eas extra eumdem apponimus in fine paginae. Sequitur textus, demptis §§. 28, 33 et 37.

INSTRUCTIO ET MANDATA

servanda in Oratione continua XL Horarum cum expositione SS. Sacramenti pro necessitatibus S. Ecclesiae, juxta piam mentem Summorum Pontificum, confirmata, et de novo publicata de mandato D. N. Papae Clementis XII.

Prosperus, S. R. E. Cardinal Marefoschi tituli S. Sylvestri in capite, Vicarius Generalis Sanctitatis D. nostri, etc.

§. 1. A tempore, quo introducta est Expositio SS. Sacramenti pro Oratione continua XL Horarum, editae fuerunt diversae ordinationes, spectantes ad decorem dictae functionis: ut eaedem accurate serventur, removeaturque omnis abusus aliquibus in Ecclesiis introductus, de mandato expresso Sanctitatis Domini Nostri, dato Nobis oraculo vivae vocis, ordinamus et praecipimus, ut in omnibus Ecclesiis hujus Civitatis, tam Patriarchalibus, quam Collegiatis, et Parochialibus, necnon in qualibet altera Ecclesia, sive Saecularium, sive Regularium, quomodolibet privilegiata, et speciali mentione digna, in qua fiet supradicta Oratio XL Horarum, inviolate servetur quidquid praescribitur in praesenti novissima Instructione, sub poenis infrascriptis.

§. 2. Ponetur supra januam Ecclesiae, ubi erit Expositio, signum SS. Sacramenti, sertis ornatum, sicut etiam a capite viae vicinae, ut transeunti innotescat ibi haberi expositionem SS. Sacramenti.

§. 3. SS. Sacramentum exponendum erit in altari majori (exceptis Basilicis Patriarchalibus, in quibus solet exponi

super aliud altare), et cooperietur Imago, aut Statua, ibi sita; sic etiam parietes suggestus, et quae vicinae sunt altari (nisi ibi adsint ornamenta fixa) pannis cooperientur, cavendo ne apparatus contineant Historias, resve profanas.

§. 4. Super altare non ponantur Reliquiae Sanctorum, aut Statuae eorumdem (non excluduntur tamen Statuae Angelorum, in formam candelabrarum confectae), et multo minus ibi ponantur figurae animarum Purgatorii, cujuscumque sint materiae; quod prohibetur etiam in omnibus expositionibus particularibus, et in illis quae interdum fiunt in suffragium illarum animarum *(p. 361)*.

§. 5. Super dictum altare, in situ eminenti, adsit tabernaculum aut Thronus cum Baldachino proportionato coloris albi, et super ejus basim adsit Corporale super quod collocetur Ostensorium aut Custodia, cujus circulus circumducetur radiis; a cujus anteriori parte nullum aderit ornamentum, quo impediatur aspectus SS. Sacramenti *(p. 361)*.

§. 6. Continuo super altare ardeant saltem viginti *(p. 345)* lumina, id est, sex candelae unius librae, tres ad quodlibet latus Crucis, et octo candelae a parte superiori, cum aliis quatuor a lateribus Ostensorii, coram quo nullum omnino ponatur lumen, et denique duo grandiora candelabra cum duabus majoribus candelis, quarum unaquaeque trium saltem erit librarum. Idem numerus luminum adsit etiam tempore noctis, clausa Ecclesia; vespere apponantur lumina in numero sufficienti ad vitandam confusionem, quaeque accensa maneant, donec claudantur portae Ecclesiae. Poterunt etiam per diem velari fenestrae vicinae altari expositionis, ut in Oratione recolligatur mens Fidelium.

§. 7. Nullus Saecularis, etsi sacco vestitus cujusvis Societatis, audeat ad altare accedere ad accommodanda lumina aliudve peragendum; sed hujusmodi ministerium adimplendum erit per Sacerdotem, aut saltem per Clericum in Cotta; pro quo et ipsi Regulares, cujusvis Religionis, debebunt Cottam superimponere propriae vesti. Advertendum insuper est quemlibet, cujuscumque conditionis et ordinis, per decretum Sacrae Cong. Rituum *Urbis* 19 Aug. 1651, in accessu coram SS. Sacramento exposito, aut in recessu ab eodem, teneri ad faciendam reverentiam, flexis duobus genibus. Quod vero attinet ad Sacerdotem, qui

Missam privatam celebrat, sciatur dari decretum ejusdem S. Cong. *Urbis* 7 Sept. 1638 [1], ex quo dictus Sacerdos, in transitu ante altare, in quo expositum est SS. Sacramentum, facta adoratione flexis genibus, capite aperto, surgit caputque cooperit.

§. 8. Durante expositione, appendatur ad Ecclesiae portam, a parte interiori aut exteriori pro majori commoditate, tapetum, ita dispositum ut a lateribus pateat ingressus, et tamen nunquam possit a via prospici SS. Sacramentum.

§. 9. Continuo adsint unus aut duo Sacerdotes, vel saltem qui in alio Ordine Sacro sint constituti, Cotta, in quantum poterit, induti (etiam si sint Regulares), genuflexi ante aliquod scamnum, coopertum tapeti, aut decenti panno rubro, alteriusve coloris, prope infimum gradum altaris, nunquam vero super genuflexoria, et per vices orent die noctuque. Ubi aderit aliqua Confraternitas, assistant, etiam per vices, duo saltem confratres, ante scamnum coopertum panno viridi aut alterius coloris decentis, sed extra Presbyterium, remoti a supradictis Ecclesiasticis; orabuntque cum omni devotione in aedificationem adstantium, et quidem voce submissa, ne sint aliis causa distractionum.

§. 10. In Sacristia adsit horologium, saltem pulveritium, et uniuscujusque vicis signum, qualibet hora, detur campana majori, tam in die, quam in nocte.

§. 11. Vespere, ante diem expositionis, dato signo ad *Ave Maria*, solemniter pulsentur campanae ad monendum populum; pariter etiam mane, initio diei, et post omnia alia signa pro *Ave Maria*, durante expositione; similiter de more, triplici vice pulsentur ante Missas solemnes.

§. 12. Ad altare, ubi expositum est SS. Sacramentum, non celebretur alia Missa, praeter Solemnes pro Expositione et Repositione: quibus duabus diebus (Expositionis et Repositionis), ultra Conventualem (in Ecclesiis ubi habetur obligatio eam cantandi), celebrabitur, post Nonam, Missa SS. Sacramenti votiva pro re gravi, exceptis tamen omnibus Dominicis I aut II Cl., et omnibus diebus, in quibus ratione Calendarii universalis, aut particularis Ecclesiae, fit Officium etiam I aut II Cl.; excepta etiam Feria IV Cinerum, et Feriis II, III et IV Hebdomadae Sanctae;

1) Forsan agitur de dec. 24 Jul. 1638, n. 939. Cf. *p. 224 sq.*

item omnibus diebus Octavae Paschatis et Pentecostes, Vigiliis Natalis Domini, Pentecostes, et Octava Epiphaniae (*p. 59, 3°*): in quibus Dominicis, aliisque diebus et Feriis exceptis, cantabitur Missa Conventualis addita Oratione Sacramenti *sub unica conclusione* (vid. *p. 127 sqq.*). Et haec omnia inviolate servabuntur in omnibus Ecclesiis tam Saecularium, quam Regularium.

§. 13. Die media, ultra Missam Conventualem, debebit cantari, post Nonam, Missa votiva pro pace, aut altera imperata a Domino Nostro, prout expressum fuerit in elencho XL Horarum: exceptis tamen diebus supradictis, servataque eadem regula, quoad Orationem.

§. 14. In Ecclesiis non Collegiatis, et ubi non est obligatio cantandi Missam Conventualem, debebit, dicta die media, solemniter cantari Votiva supradicta, sub exceptione et regula supra praescriptis in Missa Sacramenti: ea tamen debebit cantari ad altare in quo non fiat expositio, neque habeatur tabernaculum cum Sacramento incluso; et in Ecclesiis quae obligantur ad Missam Conventualem, haec etiam cantabitur ad aliud altare, ut dictum est.

§. 15. Expresse mandatur ut, diebus expositionis, media, et repositionis, Missae cantentur cum Ministris paratis, et non aliter, etiam in Ecclesiis Regularium, non obstante quolibet ipsorum usu, aut praetensa consuetudine in contrarium.

§. 16. In Missis privatis, quae celebrantur durante expositione, non pulsentur campanulae ad elevationem, sed tantum [1] ad egressum Sacerdotis e Sacristia detur leve signum cum solita campanula.

§. 17. Non celebrentur Missae *de Requiem*, tempore quo durat Oratio XL Horarum: et Missae de Sanctissimo, quae celebrabuntur diebus a Rubrica permissis, erunt mere Votivae sine *Gloria* et *Credo*. In aliis Missis privatis currentibus addetur, post Orationes praescriptas a Rubrica, Oratio Sacramenti, ita mandante Sanctitate Domini Nostri.

§. 18. Celebrans delaturus Sanctissimum in Processione, indutus erit pluviali albo, nisi celebraverit cum paramentis alterius coloris; quo in casu retinebitur color Missae. Velum tamen humerale erit coloris albi [2] in quolibet casu,

1) Patet pulsationem, infra Missas privatas, esse omnino omittendam, puta ad *Sanctus*, etc. Vid. *p. 234 et 273.*

2) In Caerem. Ep. *l. 2, c. 33, n. 14,* inter praeparanda pro

quo deferatur SS. Sacramentum, non excepta Feria VI in Parasceve; et paramenta Ministrorum sacrorum erunt coloris, quo utitur Celebrans, ut supra. Pariter Pallium altaris, ubi fit Expositio, erit semper coloris albi, quamvis Missa solemnis ibi celebretur in alio colore. Similiter et Baldachinum pro Processione debet esse ejusdem coloris albi.

§. 19. Finita Missa solemni pro Expositione, Celebrans et Ministri, factis Sacramento debitis reverentiis, recedunt extra cornu Epistolae, ubi Celebrans, sicut et Ministri, deponit Manipulum; et exuta Casula, assumet Pluviale, imponet incensum in duobus thuribulis, absque illius benedictione, et deinde in medio, genuflexus cum Ministris, tribus vicibus incensabit Sanctissimum: ordinata processione (quae incipiet, facta elevatione Sanctissimi, aut ante, prout erit magis aut minus numerosa), Diaconus, tempore congruo, facta genuflexione in suppedaneo, sumet Sacramentum, illudque, stando, dabit celebrandi genuflexo, et statim genuflectet; Celebrans, illo accepto, manibus coopertis extremitate veli humeralis, surget. Incoepto autem a Cantoribus Hymno *Pange lingua*, etc., accedet sub Baldachino, Psalmos et Hymnos submissa voce recitando cum Ministris, fimbrias Pluvialis elevantibus.

§. 20. Processio componetur ex toto Clero Ecclesiae; et crucifer in hac functione non erit paratus habitu subdiaconali, sed Cotta indutus. Omnino requiruntur *(Vi interverranno onninamente)* octo Sacerdotes, qui, Cotta induti, cum intorticiis accensis prae manibus, incedant ante Baldachinum a lateribus *(p. 524)*: et post illos sequentur duo Acolythi cum thuribulis, Sacramentum continuo incensando per viam; et, durante Processione, solemniter pulsabuntur campanae.

§. 21. Processio fiet intra Ecclesiam, vel ad majus per plateam, si id exigat angustia Ecclesiae; et, casu quo exeat, curandum est ut platea sit bene mundata, et officina, si qua ibi reperiatur, debebit teneri clausa, durante Processione.

§. 22. Si habeantur Confraternitates Saecularium, earum Guardiani, Officiales et confratres, in unum corpus collecti, sint necne sacco induti, una incedent ante Clerum

Processione in Festo SS. Corporis Christi, recensetur „Velum sericum album, amplum, auratum, seu perpulchre ornatum, ponendum super humeros Episcopi, dum Sacramentum portabit.“

saecularem aut regularem, cui semper cedere debebunt locum digniorem: insuper expresse mandatur ut Guardiani, aut alii Officiales, non audeant, sub quocumque praetextu consuetudinis, aliove, sequi Baldachinum, sub poena viginti quinque scutatorum... Bene autem possunt dicti Officiales sustinere hastas Baldachini: Officium valde honorificum, de quo dicit Caer. Ep. *l. 2, c. 33: Deputentur nobiles viri, Barones*, etc.

§. 23. Insuper supradicto Clero, Saeculari et Regulari, mandamus ut non permittant aliter fieri in propriis Ecclesiis, et quidem sub poenis comprehensis in edicto 1689... Insuper...

§. 24. Regressa Processione in Ecclesiam, cum Celebrans pervenerit ad infimum gradum altaris, Diaconus genuflexus recipiet Sacramentum a Celebrante (qui statim genuflectet, velum humerale deponens), illudque collocabit in throno, et, factis debitis reverentiis, redibit ad suum locum. Cantores devote et cum mora cantabunt Vers. *Tantum ergo*, etc., et ad Vers. *Genitori, Genitoque*, etc., Celebrans, surgens cum Ministris, stans in medio, ponet incensum sine benedictione, et genuflexus, tribus vicibus, incensabit Sacramentum: finito Hymno, omisso Vers. *Panem de caelo*, etc., cantabuntur a supradictis Cantoribus Litaniae positae in libro edito pro Oratione XL Horarum (qui liber absque ulla mutatione adhibendus erit in qualibet alia expositione Sanctissimi particulari). Dictis precibus, Celebrans surgens (Ministris librum ei sustinentibus), absque nova genuflexione, cantabit, manibus junctis, Vers. *Dominus vobiscum*, etc., cum Orationibus; quibus finitis, genuflexi brevem instituent Orationem. Deinde recedent, capite aperto usque ad rationabilem distantiam a Sacramento *(p. 225)*. Et hac ratione incipit Oratio XL Horarum.

§. 25. Celebrans non debet uti sede cubiculari, juxta dec. S. Cong. Rituum, sed scamno (quod nec habeat brachia), cujus dorsum ornetur panno rubro, aut alterius coloris decentis, et super illud sedebit una cum Ministris sacris. Multo minus unquam utentur sedibus cubiculariis in Ecclesiis Guardiani, Deputati et Officiales Confraternitatum, Societatum et Congregationem laicalium; sed sedebunt super scamnum cum dorso, sine brachiis a lateribus, et sine ullo cussino, necnon absque gradibus aut genuflexorio praepositis; quod scamnum cooperiendum erit panno, non autem

serico; ponendumque omnino extra Presbyterium, si assistant Missis et Vesperis solemnibus, aut in Presbyterio celebretur a Clero aliqua sacra functio....

§. 26. Si tamen pro Ecclesiae structura non reperiatur congruus locus extra Presbyterium, in tali casu necessitatis ad Nos recurratur [1]...

§. 27. Expresse prohibetur viris et feminis cujuscumque status et conditionis (exceptis Personis Regiis, quando ibi adsint), ne, sub quolibet praetextu, Presbyterium, seu septa altaris, ubi expositum est Venerabile, ingrediantur ad orandum: debet enim hujusmodi locus occupari a solis Ecclesiasticis, ad divinum exercendum Ministerium, aut Orationi vacandum. Quod servabitur non solum in Ecclesiis, ubi recurrit expositio ordinaria, sed etiam in omnibus aliis, ubi ex indulto Apostolico, aut ex alia legitima facultate, contingit fieri expositionem, etsi per breve tempus.... Insuper ordinamus et praecipimus Rectoribus et Superioribus tam Saecularibus quam Regularibus cujusvis Ecclesiae ne, durante dicta expositione, audeant mandare quascumque sedes cuilibet personae...

§. 29. [2] Monemus, ut finis non detur Orationi in una Ecclesia, nisi incoepta fuerit in alia; hocque servabitur in quacumque Ecclesia, etsi Basilica, et Collegiata, aut quolibet modo privilegiata.

§. 30. Finita Missa repositionis, Celebrans sumet Pluviale (servando respective Ritum supra descriptum post Missam expositionis), genuflectet cum Ministris super infimum altaris gradum, in medio ante SS. Sacramentum. Statim Cantores incipient Litanias, continuando usque ad Vers. *Domine exaudi Orationem meam*, inclusive. Tunc Celebrans, surgens cum Ministris, ibi ponet incensum sine illius benedictione, et genuflexus incensabit tribus vicibus SS. Sacramentum, assumetque velum humerale. Post thurificationem, debitis cum reverentiis, accipit Sacramentum e Throno et statim, ipse stans, illud Celebranti genuflexo

1) „Ex qua sanctione magis, magisque confirmatur, quod nullus est casus, ob quem liceat intus Presbyterium locari scamnum pro laicis.“ Gardell. *h. l.* Cf. not. *p. 201.*

2) In §. 28, hic silentio praetermisso, ad evitandam fidelium distractionem, tempore expositionis, interdicitur eleemosynarum collectio, sive mediis lancibus, sive personis in Ecclesia stantibus, aut eam percurrentibus.

consignabit, ac deinde genuflectet; caeterum servatur respective, quod, in expositione, dictum est de caeremoniis, et Ritu Processionis etc.

§. 31. Finita Processione, et Celebrante ad infimum gradum altaris regresso, Diaconus genuflexus recipit Sacramentum a Celebrante stante, qui statim genuflectit et deponit velum humerale. Diaconus illud collocat supra corporale in medio altaris, revertiturque ad suum locum: Celebrans ad Vers. *Genitori, Genitoque,* etc., surgens cum Ministris, ponit, ut supra, incensum sine illius benedictione, et thurificato Sacramento, Cantores dicunt Vers. *Panem de caelo,* etc. (cui adjungitur *Alleluia,* solo tempore Paschali et infra Octavam Festivitatis corporis Domini, in qualibet expositione). Celebrans surgens, sine nova genuflexione, librum sustinentibus Ministris (sine Vers. *Dominus vobiscum,* juxta Dec. S. Cong. Rit.), cantat Orationes, junctis manibus: quibus finitis, genuflexus induit velum humerale, et ascendendo solus ad altare, factis debitis reverentiis, manibus coopertis, ut dictum est, extremitate veli humeralis, accipit Ostensorium, et cum eo benedictionem dat populo; reposito Sacramento super corporale, descendit, genuflectit ad suum locum. Statim Diaconus, vel Sacerdos cum stola, factis debitis reverentiis, includit Sacramentum in tabernaculum, quod ad hunc finem retinendum erit ad altare Expositionis; Hostia vero consecrata consumenda erit in Missa *(p. 318)*, sive eodem mane, sive sequenti; quibus absolutis, recedunt, finemque habet Oratio XL Horarum.

§. 32. Tempore, quo durat eadem Oratio, expresse prohibitum est concionare *(p. 364)*; et si post Vesperas placuerit institui aliquam brevem concionem ad excitandam in fidelibus devotionem erga SS. Sacramentum, licentia et benedictio petenda erit vel a Nobis, vel a D. nostro Vicesgerente: quod servandum etiam est in Ecclesiis Regularium, et quomodolibet privilegiatis, et non solum in expositione XL Horarum, sed in quacumque alia: haec autem licentia dabitur in scriptis. Porro concionem habiturus, saltem sit constitutus in Ordine Diaconali; induat Cottam, etiam si sit Regularis, sed non stolam *(p. 191)*, sitque capite aperto, et in loco vicino altari, ubi exponitur Sanctissimum, ita ut circumstantes non inducantur ad actus irreverentiae, humeros vertendo SS. Sacramento.

In §. 33, statuitur hora claudendi Ecclesias, ubi habetur Oratio XL Horarum, moneturque ne interrumpatur Oratio, januis clausis.

§. 34. In qualibet Urbis Ecclesia, affixus servabitur in loco patenti elenchus XL Horarum, ad informandos fideles devotos.

§. 35. Pariter in omni Ecclesia cui assignata est expositio, affixa in Sacristia continuo retinebitur praesens Instructio, adeo ut nemo possit allegare ignorantiam regularum et praeceptorum, quae in ea continentur.

§. 36. Extra ordinem assignatum in elencho XL Horarum nullus Rector, Curatus, aut Sacristanus audeat, sub quolibet praetextu aut consuetudine, SS. Sacramentum exponere pro ulla gravi causa, nec pro infirmis, absque speciali Brevi Sanctitatis Suae, aut saltem licentia a Nobis signata vel a D. Nostro Vicesgerente, et subscripta a Deputato XL Horarum. Qua obtenta, exponetur Venerabile in altari, aut Capella, cum velo ante ipsum posito, et cum supradicto numero 20 luminum, et adamussim servabitur tempus, in praedicta licentia assignatum pro duratione expositionis, sub poenis infrascriptis et privatione Officii [1].

In §. 37 et ultimo, stricta praecipitur observantia praedictarum Ordinationum, constitutis poenis contra trangressores; et verbo facto de Magistris Caeremoniarum, praescribitur ut sint saltem in sacris, tam pro hac, quam pro alia quacumque functione solemni, juxta Caer. Ep. *l. 1, c. 5.* Sequuntur data et subscriptio.

Datum a nostra residentia, *hac die* 1 Sept. 1730.

P. card. Vicarius.
Carolus Guazzuglia, Deputatus.
Nicolaus Antonius Canonicus Cuggio, Secret.

1) Prae oculis habendum est, praesentem Instructionem non esse juris communis, sed particularis, prout dicitur *p. 558*. Quoad expositiones SS. Sacramenti, in Ecclesiis praefatae Instructioni non subjectis, vide dicta *p. 355 sqq.*

APPENDIX III.

SERIES CHRONOLOGICA DECRETORUM.

Quae praenotantur *tom. I, p. 446,* ad sequentem seriem sunt etiam applicanda.

1632. 27 Nov. n. 821. Perusina.

„S. C. respondit, *Aspersionem aquae benedictae in diebus Dominicis fieri debere per ipsum Celebrantem, etiam quod sit prima, vel alia Dignitas; non obstante contraria consuetudine, quae potius corruptela, quam consuetudo dici debet, cum sit contra Rubricas Missalis Romani, et Caeremonialis lib. 2, cap. 30. Et ita in Cathedrali Perusina servari* mandavit."

1662. 5 Aug. n. 2031. Decretum. Vid. *p. 76.*

1665. 31 Jul. n. 2198. Nullius dioecesis...

R. „6. *In die, quo celebratur Festum duplex etiam translatum, prohibetur Missa de Requiem, nisi si praesens Cadaver. Anniversarium potest anteferri, imo debet: et in feriis majoribus, debent omnino cantari duae Missae.*"

„11. Declaravit: *Assistentiam duorum Choristarum deambulantium per Chorum cum baculo argenteo, et caeremoniam annuntiandi per unum eorum Hymnum Angelicum Celebranti esse contra usum Ecclesiae Romanae.*"

1669. 31 Aug. n. 2339. Conversanen.

„Capitulum Collegiatae Rosigliani Dioecesis Conversanen. exposuit in S. R. C. Nicolaum Francesium in ejus, sub quo decessit, Testamento reliquisse ejus Bona dicto Capitulo, cum onere celebrandi Missam quotidianam, et singulis diebus Veneris de Passione, et cum onere, terminata Missa post Evangelium *In principio erat Verbum* etc., recitandi ipsam *Passionem secundum Joannem.* Et proinde, cum dicta dispositio sit contra Ritus Ecclesiasticos, supplicavit pro declaratione: An dicta Passio recitanda sit post dictum Evangelium alibi per Celebrantem?

Et S. eadem C. censuit: *Recitandam esse post finem*

Missae, exutis vestibus sacerdotalibus, et cum sola Cotta in altari, vel in Sacristia."

1672. 3 Sept. n. 2450. Conchen.

„S. R. C., ad preces Magistri Caeremoniarum Ecclesiae Cathed. Conchen. declaravit, ut infra, videlicet:

„3. *In renovatione, quae quolibet Octavo die fieri debet de augustissimo Eucharistiae Sacramento, consumi debet tum Hostia, tum etiam Particulae, quae existunt in tabernaculo post sumptionem Sanguinis ante Purificationem; illa vero verba, quae habentur in Missali cap. 10, num. 5, nempe:* Si vero adsint hostiae consecratae etc. *possunt intelligi de hac renovatione aeque, ac de nova confectione Sacramenti reservandi pro alia die.*"

1675. 18 Mai. n. 2580. Jadren.

„1. An Fratribus Dominicanis (prout moderni in Civitate Jadren. praetendunt), dum Crucem in processionibus deferunt, liceat id agere Crucifixi Imagine ad sese versa?"

R. „Ad 1. *Non licere.*"

1676. 14 Nov. n. 2653. Rituntina.

Ad 6. „S. C. respondit: *Episcopus tum cappa, tum Pluviali indutus assistens Missarum solemniis debet a dexteris Celebrantis non Episcopi cum eo confessionem explere, et Celebrans eidem uti Minister respondere usque ad versum,* Deus tu conversus etc. *exclusive, quos Episcopus debet explere cum Diaconis assistentibus, et Celebrans cum Ministris Sacrificii. Hi vero post Episcopum, et Celebrantem stantes inter se confessionem ipsam absolvent medii inter canonicos assistentes, si Diaconus, et Subdiaconus fuerint Canonici: sin minus, a sinistro latere simul stantes post Episcopum, et Celebrantem.*"

1677. 16 Jan. n. 2659. Hispalen.

„8. In Missis majoris Hebdomadae canitur aliquando *Passio* non solum a Subdiaconis, verum et a Laicis, et multoties ab uxoratis contra Caeremoniale Rom. *lib. 2, c. 21,* ubi praecipitur: Passionem canentes indui debere Amictu, Alba, Cingulo, et stola: quae omnia ad Diaconum dumtaxat spectant..."

„Et S. C. respondit: *Consuetudines, seu, ut melius dicam, abusus omnes expositi in 1... et 8 dubio, uti repugnantes Rubricis, et expositorum opinionibus, tolli omnino debent. Non*

sunt enim laudabiles, imo scandalosae iis maxime, qui amant observantiam bonorum Rituum; et ita declaravit..."

1678. 9 Jul. n. 2715. TAGGEN.

„6. An in 3 Dominica Mensis, in qua juxta statuta, et consuetudinem societatis Corporis Christi fit processio, cantata Missa Solemni de Dominica cum Commemoratione Sanctissimi Sacramenti, Celebrans, et Ministri debeant uti paramentis coloris dictae Missae convenientis.. "

„7. An Pallium altaris debeat esse coloris Officio, aut Missae convenientis, dum est expositum Sanctissimum Sacramentum, an vero tam Pallium, quam Conopeum debeat esse albi coloris, non obstante, quod illa die Ecclesia utatur alio colore?"

„8. Et quid si Pallium sit nigrum ob Commemorationem Defunctorum, aut Anniversarium generale solemne?"

R. „Ad 6. *Quando in casu proposito cantatur Missa de Dominica cum Commemoratione Sacramenti, Celebrantem, et Ministros uti debere paramentis dictae Missae coloris convenientis; et etiam posse in Processione, sed albo utendum super humeros velo.*"

„Ad 7, 8 et 9. *Post expositum Sacramentum, Pallium, et Conopeum colore albo esse debere, et numquam nigro colore utendum in expositione, et processione Sacramenti.*"

1684. 2 Dec. n. 2924. ORD. CAN. REGULAR. LATERANEN.

„6. An in Missa privata de Sancto semiduplici, vel simplici, seu votiva, vel de infra Octavam, sive de feria non privilegiata, dici possit collecta pro particulari defuncto, puta, *Inclina*, etc., vel *Deus qui nos Patrem*, etc., et similia. Et an ob istam omitti possit aliqua ex assignatis pro tempore, puta, *A cunctis,* etc., vel *Ecclesiae,* etc."

R. „Ad 6. *Posse in penultimo loco, nec omittendam ullam ex collectis pro tempore assignatis.*"

1686. 4 Mai. n. 2961. CANONICOR. REGULAR. LATERANEN.

„1. Declaratum fuit per hanc S. C. in una Novarien. die 22 Nov. 1664, n. 2157, Anniversaria, et Missas *de Requiem* relictas ex dispositione testatorum quotannis die ipsorum obitus, etiam in Festo duplici majori contingentes cantari posse, nec comprehendi in decreto fel. rec. Alexandri VII, die 5 Aug. 1662 de non celebrandis Missis privatis *de Requiem* pro Defunctis in Festis duplicibus.

Nunc quaeritur: an Anniversaria, sive Missae quotidianae cantatae *de Requiem* relictae ex depositione testatorum pro certis diebus, iisque impeditis die Dominico seu alio Festo de praecepto, cantari possint in diebus subsequentibus, seu antecedentibus, in quibus occurrunt Officia de Festo duplici majori, non tamen de praecepto praecipue de Sanctis propriis Ordinis?"

R. „Ad 1. *Indulgeri posse, non relicta tamen Missa in cantu de Festo dup. minori occurrente, quatenus adsit obligatio cantandi.*"

1698. 27 Sept. n. 3344. Leodien.

„1. An Parochus, seu alius Missam Dominicalem celebraturus possit offerre Domino Temporali loci aquam benedictam manu ejusdem ex Aspersorio sumendam, an vero teneatur ipse illum aspergere, non obstante contraria consuetudine?"

„2. An Sacerdos Missam Dominicalem celebraturus in Ecclesiis Collegiatis possit offerre aquam benedictam Diacono et Subdiacono manu eorum Aspersorio capiendam: an vero ipsas aspergere debeat, non obstante contrario usu?"

„3. An dictus Sacerdos debeat aspergere Decanum, Canonicos, ac reliquum Clerum, quavis contraria consuetudine pariter non obstante?"

„4. An dictus Sacerdos debeat aspergere Decanum, et singulos Canonicos singillatim, reliquum autem Clerum, et Populum non singillatim, sed quolibet ictu Aspersorii plures simul?"

R. „Ad 1. *Dentur Decreta.*" — „Ad 2. *Negative..*" — „Ad 3. *Affirmative.*" — „Ad 4. *Decanum, et singulos Canonicos Affirmative, et Reliquos de Clero, si sint in parvo numero, pariter Affirmative: si vero in magno numero, Negative, et omnes unico ictu quasi in gyrum aspergendos; Populum demum a Sacerdote ter, in medio, a dexteris, et a sinistris aspergendum.*"

1700. 19 Jun. n. 3416. Curien.

„10. Utrum ex privata devotione Parochianorum petentium saepius per annum Anniversaria pro Defunctis parentibus, fratribus, amicis et aliis Defunctis, Missa solemnis in ruralibus Ecclesiis cantari possit *de Requiem* in Festo duplici minori, altera Missa cantata de Festo, ubi adsunt plures vel saltem duo Sacerdotes?"

R. „Ad 10. *Affirmative, dummodo sermo sit de die vere Anniversaria a die obitus.*" Cf. *p. 73.*

1701. 1 Jun. n. 3437. Tertii, Ord. S. Francisci.

„1. An Fratres diebus, quibus propria Officia celebrant sub Ritu duplici, celebrantes in alienis Ecclesiis possint celebrare Missas cum dictis Officiis concordantes, vel possint celebrare de aliis, conformando se Ritui earumdem Ecclesiarum, ac etiam *de Requiem?* Et quatenus Affirmative quoad I partem, quid quoad colores paramentorum?"

„2. An Sacerdotes exteri confluentes ad ipsorum Ecclesias, ut supra, et celebrantes de Sanctis Ordinis, servatis servandis, possint in Missis se uniformare cum Fratribus quoad *Credo*, et quoad numerum Orationum more Duplicium?"

„3. In diebus dominicis, quibus tam Fratres, quam exteri celebrant de Dominica, possint exteri coloribus uti paramentorum, quibus utuntur Fratres ratione alicujus Octavae, et Fratres celebrantes in alienis Ecclesiis uti coloribus juxta Ritum earumdem?"

„4. Et an tam exteri in Ecclesiis Fratrum, quam Fratres in alienis, possint apponere Commemorationem Octavae, ut supra occurrentis, servata Rubrica de duplici Oratione habenda in Dominica infra Octavam?"

R. „Ad 1. *Quoad I partem dubii, Negative, quando Festum celebratur cum Solemnitate, et concursu populi: et quoad secundam partem jam provisum.*" — „Ad 2. *Ut ad proximum.*" — „Ad 3. *Posse.*" — „Ad 4. *Posse.*" Cf. *p. 33.*

1702. 18 Mart. n. 3473. Neapolitana.

„2. An Cappellani Servitio Ecclesiae ipsarum Monialium addicti, debeant celebrare Missam de Sancto, de quo Moniales recitant Officium, juxta proprium Calendarium, licet sit inferioris Ritus Sancti, de quo Cappellanus privatim, ad tenorem Calendarii Dioecesani Officium recitat?"

R. „Ad 2. *Affirmative, dummodo utantur Missali Romano.*"

1706. 15 Sept. n. 3605. Urbis et Orbis Novum Missale.

„1. An cum in Festis principalibus Ordinum Religiosorum, et per eorum Octavas dicatur *Credo*, dici etiam debeat a Sacerdote ejusdem Ordinis alibi celebrante, ut Missa conveniat cum Officio?"

„R. *Nihil immutandum.*"

1721. 15 Mart. n. 3796. Pistorien. et Praten.

Episcopus Pistorien. et Praten. quaerit a S. R. C. „An usus sit permittendus, ut simplices Sacerdotes Civitatis, et Dioecesis Pistorien., et Praten. praeter Diaconum, et Subdiaconum adhibeant in Missa solemni Presbyterum assistentem?

„Eadem S. C., inhaerendo aliis Resolutionibus in similibus editis: *Praefatum usum nequaquam permittendum, sed omnino tanquam abusum prohibendum esse* mandavit.“

1736. 15 Sept. n. 3906. Toletana.

„4. In adoratione Crucis Feriae VI in Parasceve, an debeant Celebrans, et Ministri deponere etiam manipulum?“

R. „Ad 4. *Affirmative* „Decretum non definit quidem an manipulus deponendus sit ante Crucis denudationem, vel solum ante ejus adorationem. Sed nulla apparet ratio, cur infra denudationem servaretur manipulus, deposita casula. Cf. tamen Mem. Rit. *h. l. n. 1.*

1738. 8 Mart. n. 3923. Ulixbonen. Occident.

„5. An ad verba Invitatorii: *Venite adoremus, et procidamus ante Deum* etc.: ad verba Symboli Credo: *et incarnatus est*, et alia similia genuflexionem requirentia, sit genuflectendum etiam a Cantoribus ad ambonem, aut Chorum regentibus, dum ea proferuntur actualiter, et alii genuflectunt, vel post finitum versum, qui ab ipsis cantatur, et aliorum tunc actu non cantantium levationem?“

R. „Ad 5. *Serventur Rubricae Missalis, Breviarii, et Caeremonialis Episcoporum, sic tamen, ut quando mora genuflexionis est brevis, haec fiat dum verba, quae cantantur genuflexionem exquirant. Quando autem mora est longa, ne plurium vocum unisona modulatio inflectatur, genuflexio peragatur sub finem verborum.*“

1744. 21 Mart. n. 4004. Bergomen.

„4... Quaeritur: An Imagines SSrum debeant habere inclusas SSrum Reliquias, juxta Quarti, *part. 3, tit. 4, de Introitu Missae,* et Merati, *tom. 1, part. 2, tit. 4.*“

„5. Cum in Missali ultra primum in principio, detur et altera Rubrica in ordine, et Canone Missae, et inter has videtur aliqua discrepantia praecipue in inclinationibus, et manuum junctionibus; quaenam sequenda?“

R. „Ad 4. *Non esse de necessitate in sculptis SSrum Imaginibus in altare dispositis sacras includere Reliquias ad hoc, ut incensata Cruce, valeant illae a Celebrante thurificari.*" — „Ad 5. *Pari forma sequendas esse tum Rubricas generales, tum particulares Missalis Romani ad Caeremonias in inclinationibus, et manuum junctione, rite peragendas.*" Cf. dicta *p.* *243*, *4*, et *p.* *281* *sq.*

1744. 16 Mai. n. 4010. Tirasonen.

Episcopus Tirasonen. varios exponit usus in sua Dioecesi vigentes, quoad benedictionem sacrorum Vasorum etc... „Et quod ad campanas attinet, jam usus invaluit ab immemorabili, ut eas absque Sacro Chrismate benedicant simplices Presbyteri cum facultate ab Episcopis delegata, juxta Rituale Caesaraugustanum, in quo benedictio, quam simplicem, et privatam dicunt, reperitur, et est eadem cum solemni in Pontificali Episcoporum tradita, Chrismatis unctione dempta."

„1. An liceat Abbatibus, aliisque Pontificalia ex privilegio exercentibus, benedicere campanas, vasa sacra, et alia, quae Sacro Chrismate liniuntur, nec non vestes sacras, et in quorum benedictionibus Chrismatis unctio non requiritur?"

„5. An idem Episcopus utendo ordinaria facultate, possit aliis in Dignitate constitutis delegare potestatem benedicendi Sacra Indumenta, et alia, in quibus juxta Rituale Romanum Sacrum Chrisma non adhibetur seu potius hanc delegationem idem Episcopus etiam ad campanarum benedictionem ampliare valeat?"

R. „Ad 1. *Quoad primam partem non licere, nisi habeant S. Sedis privilegium; quoad secundam partem licere.*" — „Ad 5. *Non posse.*" Cf. *p.* *518.*

1746. 7 Mai. n. 4032. Varsavien.

„9. Cum in insigni Regia Ecclesia Varsaviensi quotidie cantetur in Capella Crucifixi Missa votiva de SSma Trinitate cum expositione SSmi in Pyxide, ac in aliis etiam Ecclesiis contingat saepius cantare, seu legere Missas votivas, seu de die, etiam ante SSmum expositum in Pyxide; utrum in his Missis debeat fieri Commemoratio de SSmo? Item in dicta Capella Crucifixi, durante expositione Sanctissimi in Pyxide, an permittente Rubrica, possint in Ecclesia vel aliis Capellis celebrari Missae *de Requiem?* Item

transeundo circa SSmum expositum in Pyxide, uno, an utroque genu ante illud genuflectendum sit?"

„10. Cum in Polonia frequenter fiant expositiones SSmi publice in majori altari, et praeter Missam solemnem dicantur etiam Missae privatae ad idem altare majus, et ad alia altaria minora, durante expositione SSmi, an debeat fieri Commemoratio de eodem Sanctissimo Sacramento?"

„13. An Sacerdotes, qui recitant Officium de Festo duplici, confluentes ad Ecclesias sive Regularium, sive aliorum, ubi dicitur Officium de Semiduplici, possint ibi dicere Missas privatas Defunctorum? Item recitantes Officium de Martyre, et celebrantes in Ecclesiis, ubi dicitur de Confessore, utrum debeant se conformare in colore illis Ecclesiis, etiamsi nulla ibi sit solemnitas?"

R. „Ad 9. *Commemoratio de SS. Sacramento in Missis privatis poterit fieri, quando ejus expositio fiat ex publica causa. Missae de Requiem extra altare, ubi est expositum SS. Sacramentum, poterunt celebrari, dummodo tamen Oratio coram Sacramento non sit ex publica causa: quoad genuflexiones vero, utroque genu sunt faciendae a transeuntibus ante illud, etiamsi fuerit in Pyxide patenter expositum.*"

„Ad 10. *Poterit fieri Commemoratio de SS. Sacramento, durante expositione.*" Cf. *p. 129, 3.*

„Ad 13. *Negative quoad primam partem, Affirmative quoad secundam, etiam quoad Missam, quae non poterit celebrari de Sancto Confessore, si color fuerit rubeus.*"

1755. 12 Apr. n. 4103. Lucana.

„Ad 3. *Qui vero ante Fontis benedictionem Olea sacra recipere non potuerunt, illa subinde privatim, ac separatim in aquam mittere poterunt.*"

1761. 3 Mart. n. 4150. Aquen.

„12. Sunt quaedam Ecclesiae, ubi Anniversaria Defunctorum celebrantur undecimo mense a die obitus. Si die illa occurrerit Officium duplex non festivum, poteritne cantari Missa *de Requiem,* ac in ipsa die Anniversaria obitus?"

„14. Tandem, dicendo Missam privatam de die occurrente, satisfitne cuilibet obligationi Missae privatae, sive fundatae, sive a fidelibus petitae, oblato manuali stipendio, sive ipsa pro Defunctis, sive in honorem alicujus Sancti petita fuerit, modo Sacerdos non expresse promiserit, se illam de Sancto, aut in paramentis nigris celebraturum?

Id quidem ab Alexandro VII definitum fuit pro diebus Duplicibus; at in diebus Semiduplicibus, et feriatis estne licitum; et satisfitne debito? Ea est persuasio et praxis nonnullorum Sacerdotum, et nisi hoc liceat, vix umquam Missa conveniret cum Officio in praedictis diebus non Duplicibus: quae enim postulantur a privatis fidelibus, vulgo petuntur pro Defunctis, aut in honorem alicujus Sancti. Aliunde sic citius Defunctis subvenitur, idque videtur exigere commoditas, et securitas Sacerdotis. In re tanti momenti, et quotidianae occurrentiae quid praestandum, dignetur Sacra Congregatio declarare, ac statuere."

R. „Ad 12. *In Ecclesiis, in quibus Anniversaria celebrantur undecimo mense a die obitus, si die illa occurrat Officium duplex non festivum, potest cantari Missa de Requiem, ac in ipsa die Anniversaria, dummodo dies illa vel ex locorum consuetudine, vel ex Testatorum dispositione stata, et fixa sit pro celebrandis dictis Anniversariis.*"

„Ad 14. *Diebus, quibus dici possunt Missae votivae privatae, vel Defunctorum, Sacerdos ad illas obligatus ratione fundationis, vel accepti manualis stipendii, propriae obligationi non satisfacit, dicendo Missam de die occurrente: expressa enim voluntas Testatorum, vel postulantium, dummodo sit rationabilis, debet adimpleri.*" Cf. *p. 74 sq.*

1779. 18 Dec. n. 4246. Ord. Min. S. Franc.

„7. An Regulares in Festis principalibus suorum Ordinum, et maxime in Festo Fundatoris, seu Patriarchae possint addere Symbolum in Missa celebranda extra proprias sui Ordinis Ecclesias?"

„21. An in Missa conventuali absque Diaconis cantata, adsistentibus tantum Thuriferario, et Ceroferariis, et praesente Clero, seu Communitate, adhiberi possit thus tam in principio Missae, quam in Evangelio, et Offertorio?"

R. „Ad 7. *Affirmative.*" — „Ad 21. *Negative.*" Cf. *p. 263.*

1784. 18 Dec. n. 4270. Salutiarum.

„1. An Canonicus deferens SSmum Sacramentum in Processione, quae fieri solet cum magno concursu populi qualibet tertia Dominica cujuslibet mensis, debeat incedere indutus Pluviali, et an sufficiat simplex stola super cappam?"

R. „Ad 1. *Affirmative ad primam partem. Negative ad secundam.*"

1793. 26 Jan. n. 4298. Bahien. seu Ord. Min.

„2. An in Sabbatis, in quibus occurrit B. Mariae Virginis quaevis Festivitas, aut infra Octavam ejusdem celebrari debeat Missa ejusdemmet Festivitatis, aut Votiva, vel non Votiva, an vero semper Missa *Egredimini* etc., ut in Brevi assignatur?"

R. „Ad 2. *Affirmative ad primam partem, nempe celebrandam Missam Festivitatis, aut de infra Octavam, tanquam non Votivam, si de eadem Octava recitetur Officium; si vero recitetur Officium alterius Festi, celebrandam esse pariter Missam de infra Octavam, sed more Votivo; Negative ad secundam partem.*"

1793. 26 Jan. n. 4299. Santanterien.

„7. An iis in locis, ubi una tantum celebratur Missa diebus Dominicis et festivis per annum (non tamen solemnioribus) dum aliquis mane sepelitur, et Missa dicitur ante sepulturam, corpore praesente, debeat haec Missa dici *de Requiem,* ut in die obitus, vel potius tanquam Missa conventualis, cui populus assistit, debeat cantari de die, et Missa *de Requiem* transferri ad primam diem non impeditam?"

R. „Ad 7. *Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*"

1808. 8 Apr. n. 4357. Compostellana.

„1. An dici possit Missa *de Requiem* corpore praesente, diebus primae Class. cum multo apparatu, et pompa exteriore celebratis, licet non festivis de praecepto; et quatenus festivi sint de praecepto: An praedicta Missa dici possit in aliis Ecclesiis, quae talem non habent exteriorem Solemnitatem?"

„4. Utrum in Duplicibus secundae Class. locum habeat Oratio. S. simplicis, cujus ad Laudes fit Commemoratio in omnibus Missis cantatis cum Sacris Ministris, vel sine ipsis, aut omittenda solummodo sit in solemni Missa conventuali?"

R. „Ad 1. *Affirmative ad primam partem, dummodo non sit Titularis, et ad secundam partem, Affirmative.*" — „Ad 4. *In Missa quocumque modo cantata de Festo duplici secundae Classis omittitur Commemoratio Simplicis, quae, juxta Rubricam, fit in Missis privatis tantum.*"

1816. 7 Sept. n. 4374. DECRETUM GENERALE.

S. R. C. declaravit: „*Stolam non esse adhibendam, praeterquam in collatione, et confectione Sacramentorum, ideoque consuetudinem in contrarium esse abusum per locorum Ordinarios omnino eliminandum.*" Cf. *p. 193.*

1816. 7 Sept. n. 4376. TUDEN.

„22. Utrum Oratio, praecepta a Superiore necessitatis publicae tempore, locum habeat in diebus primae, et secundae Classis?"

„23. An praedicta Oratio dici debeat sub distincta conclusione?"

„36. An Sacerdos dicere debeat in Missa solemni *Ite Missa est, Benedicamus Domino,* et *Requiescant in pace,* vel dicantur tantum a Diacono?"

„37. An die magni concursus ad Indulgentiam plenariam, vel Jubilaeum possit ministrari Sacra Eucharistia fidelibus aliqua hora ante auroram, et post meridiem?"

„40. An fieri debeat inclinatio capitis cum pronunciatur nomen SSmae Trinitatis, sicut et cum profertur nomen Jesus?"

R. „Ad 22 et 23. *Si Oratio praecepta sit pro re gravi, dicenda erit in Dup. I Class. sub unica conclusione; et in Dup. secundae Class., sub sua conclusione; si non sit pro re gravi, omittenda in Dup. I Class.; in Dup. vero secundae Class. arbitrio Sacerdotis.*" Sed vid. dec. 16 Apr. 1853. n. 5047, 15, et dicta *p. 130, II.*

„Ad 36. *Quoad* Ite Missa est, *Negative: Quoad* Benedicamus Domino, *et* Requiescant in pace, *Affirmative.*" Cf. *p. 329, 1.*

„Ad 37. *In casu de quo agitur, Affirmative a tempore ad tempus, quo in illa Ecclesia Missae celebrantur, vel ad formam Rubricae, vel ad formam Indulti eidem Ecclesiae concessi.*"

„Ad 40. *Ut ad praecedentia 38 et 39.*" Id est: „*Congruere, ut fert praxis universalis, praesertim Urbis.*"

1817. 22 Mart. n. 4383. ORD. S. FRANC. REFORM.

„1. An Sacerdotes, sive saeculares, sive regulares diversorum Ordinum accedentes ad Sacrum faciendum in Capella Tertiorum prope, vel intra eorum Ecclesiam contenta, teneantur se conformare tam in Missa, quam in colore Calendario Fratrum, et Missam celebrare juxta Ritum ser-

vatum in Ecclesia Regulari Fratrum, cum talis Capella non sit de jurisdictione ordinaria, et Tertiarii existant sub regimine Praelatorum Ordinis?"

„2. An talis Capella Tertiariorum uti debeat Calendario Romano, vel Franciscano?"

R. „Ad 1. *Affirmative, quatenus Capella fuerit intra Ecclesiam, iis tamen solum diebus, quibus Festum cum Solemnitate, ac populi frequentia peragitur, et color ab Ecclesia servatus secundum Rubricas non congruit Celebrantium Officio, Missali tamen Romano ab exteris Sacerdotibus adhibito: Quatenus vero Capella fuerit prope, sed extra eamdem Ecclesiam, pariter Affirmative, si eadem Capella ad Tertiarios professos pertinuerit; sed Negative, si memorata Capella Tertiariorum saecularium fuerit, nisi hi gaudeant Indulto extensionis Privilegiorum, ut decisum fuit in Bracharen. 27 Aug. 1707, in responsione ad Dub. 5, et in Alerien."* Die 1 Sept. 1708. (3625. ad 5, 3643.)

„Ad 2. *Provisum in primo."*

1820. 23 Sept. n. 4424. Calaguritana et Calceaten.

„Parochus in casu necessitatis periclitantem puerum stola violacea indutus domi baptizavit, eique Sacrum Chrisma, et Oleum Sacrum, quod secum detulit, imposuit, prout in Rituali Romano. Quaeritur an bene, vel male se gesserit in casu unctionis extra Ecclesiam?"

R. „*Juxta votum*, nimirum, *Parochum male se gessisse, baptizando cum stola violacea, et liniendo puerum periclitantem extra Ecclesiam Oleo etiam catechumenorum. In casu enim necessitatis, juxta Ritualis praescriptum, omnia sunt omittenda, quae Baptismum praecedunt, quaeque postmodum supplenda sunt in Ecclesia, ad quam praesentandus est puer cum convalescit."*

1820. 23 Sept. n. 4424. Volaterana (pag. 524).

1821. 28 Jul. n. 4433. Vid. pag. 528.

1822. 17 Sept. n. 4440. Dubiorum.

„3. An Presbyter assistens Episcopo in Solio, vice scabelli, uti possit sede camerali, vel simpliciter lignea, vel imbuta, et corio cooperta, renovanda toties, quoties inepta evasit ad usum? Et quatenus negative?"

„4. An saltem toleranda sit immemorialis consuetudo eamdem adhibendi?"

„6. An in eodem scamno Canonici celebrantis apponi possit pulvinum sericum, vel potius laneum?"

„7. An tolerandus sit abusus, qui nimium invaluit, adhibendi in Missis solemnibus pro Celebrante, loco scamni cooperti tapete, sedes camerales serico damasceno ornatas, et pro Ministris scabella; vel potius reprobandus, atque damnandus?"

„8. An, et quibus remediis removendus sit abusus collocandi parvam Crucem vix visibilem vel supra tabernaculum, vel supra aliquam minorem tabulam sitam in medio altaris, loco Crucis collocandae inter candelabra, ut Rubrica praescribit?"

R. „Ad 3 et 4. *Negative in omnibus.*"

„Ad 6. *Servandam esse praefati Caeremonialis dispositionem, sed adhibendum pulvinum vel laneum, vel corium.*"

„Ad 7. *Negative ad primam partem; affirmative ad secundam.*"

„Ad 8. *Reprobandum abusum, et ubi invaluit, Ordinarius loci provideat juris, et facti remediis; quod si ob aliquam causam accidentaliter removenda sit Crux sita inter candelabra, alia, tempore Sacrificii, apte apponatur inferius, sed visibilis tam Celebranti, quam Populo.*" Et stricte praecipitur Locorum Ordinariis ut omnimodam decreti observantiam urgeant.

1823. 12 Apr. n. 4444. PANORMITANA.

„IX. Quaestio saepe exorta est, utrum in Missa *de Requiem* cum paramentis nigris celebrata, post Communionem Celebrantis administrari possit Fidelibus adstantibus Eucharistia cum Particulis praeconsecratis; asserentibus nonnullis posse 1. quia in operibus Ferdinandi Tetami decretum S. C. diei 2 Sept. 1741, tamquam apocryphum habendum esse dicatur 2. quia affirmativum fuit responsum Josephi Dini Apostolicar. Caeremoniar. Magistri sententiae innixi Benedicti XIV in suo opere de Sacrificio Missae: ut autem omnis hac de re tollatur scrupulus, quaesitum fuit:"

„*An pro certa tenenda sit Sententia affirmativa Benedicti XIV et Tetami, vel supradictum decretum sub die 2 Sept. 1741?*"

R. „Ad 9. *Dilata, et videatur particulariter ex Officio.*" Cf. decreta n. 4604 et 4666, infra; et advertendum est cum Gardellini, ad hunc n. 4444, decretum 2 Sept. 1741, n. 3970, 4, neque revocari, neque suspendi per responsum,

Dilata. „Satis nobis est, inquit, quod dubitari nequeat de authenticitate decreti (2 Sept. 1741). Quamobrem istud, usque dum alio posteriori revocatum, aut declaratum non fuerit, dat regulam servandam.“ Cf. notata *p. 319.*

1826. 6 Mai. n. 4471. Decret. Generale.

Em. PP. S. R. C. praepositi, attentis quaestionibus pluries sibi propositis, die 6 Mai. coadunati, „fuerunt in voto: Dandum esse decretum generale, quo juxta alias resoluta caveatur, et per modum regulae ubique servandae, praefiniatur, ne in posterum alicubi per quoscumque, quolibet sub praetextu Solemnitatis, devotionis, pietatis, privilegii, indulti, concessionis, tolerantiae, consuetudinis licet immemorabilis, quam abusum non ferendum declararunt, liceat umquam Sanctorum Reliquias processionaliter sub Baldachino circumferre: tolerari tamen posse, et permitti, quod Lignum SSmae Crucis aliaque Instrumenta Dominicae Passionis, peculiari horum attenta veneratione, habitaque ratione fere universalis consuetudinis, deferantur sub Baldachino, dummodo tamen id fiat seorsim, et disjunctim a Sanctorum Reliquiis, quibus distinctivum hoc honoris omnino non convenit, et ad me Secretarium cum SSmo. Sanctitas Sua Sacrae Cong. sensum adprobavit, confirmavit, jussitque promulgari... Locorum Ordinariis stricte praecipiens, ut eliminandis abusibus, qui irrepserint, incumbant, et decreti hujus observantiam solertissime urgeant. Die 27 Mai. 1826.“

1826. 16 Dec. n. 4474. Gandaven.

„II. 2. An Sacramentum extremae Unctionis cum stola tantum administrari possit?“

„IV. Facti species: Sacra Olea in Coena Domini benedicta transmittuntur ad Decanos Foraneos, qui ea distribuunt Pastoribus suorum Districtuum. Quaeritur, an Decani distributionem differre possint usque post Dominicam in Albis?

„V. Facti species: Multi Pastores accepta Sacra Olea apud se deponunt in domibus suis usque in sequentem diem Dominicam; et tunc cum solemni Processione, videlicet cum Cruce, cum candelis ardentibus sub Baldalchino a toto Clero in habitu portantur ad Ecclesiam, exponunturque in aliquo altari cum Hymnis, et eadem solemnitate portantur ad Fontem Baptismalem, eique infunduntur. Quaeritur 1. An Pastores recte retineant Sacra Olea in domibus

suis usque in Dominicam receptionem eorumdem subsequentem? — 2. An SS. Olea cum tali Solemnitate introduci possint in Ecclesiam? — 3. An cum tali Solemnitate infundi possint Fonti Baptismali, cui non potuerunt infundi in Vigilia Paschatis, cum tunc necdum haberi potuissent?"

R. „Ad 2 II Quaesiti: *Negative*, *ut ad proximum*." Nimirum „*eliminata consuetudine, servetur Ritualis Romani praescriptum*." — „Ad IV. *Negative*." — „Ad dub. 1. Quaesiti V. *Jam provisum in responsione ad Quaesit. III (p. 502)*." — „Ad 2 ejusd. Quaesit. *Tollendam esse inductam consuetudinem, et servandas Ritualis Rubricas*." — „Ad 3 ejusd. *Jam provisum in praecedenti*."

1828. 16 Dec. n. 4497. MEDIOLANEN.

„Permulta sunt Missarum onera, quae incumbunt Ecclesiae Coenobii S. Mariae *Ara Caeli* nuncupatae, Ordinis Fratrum S. Joannis de Deo, Civitatis Mediolanen., quae satisfieri necesse est per Saeculares Sacerdotes, quoniam penes ipsos Fratres solus reperitur Aedituus, quorum multi Ritum sequuntur Ambrosianum, propptereaque cum ejusdem Ecclesiae Calendario convenire nequeunt..."

R. „*In casu, a Sacerdotibus Ritus Romani servetur decretum in Varsavien. diei 7 Mai. 1746, nec licere sese conformare Ecclesiae, si in ea celebretur Missa votiva, et ipsi celebraverint Officium sub Ritu duplici; a Sacerdotibus vero Ritus Ambrosiani servandus ipsorum Ritus*."

1831. 12 Nov. n. 4520. MARSORUM.

„15. Dum Episcopus Missae per alium cantatae assistens Missam cum Celebrante incipit ante infimum gradum altaris, Presbyter assistens, et Diaconi assistentes ubi stare, et quid agere debent?"

„31... Quaeritur 1, quae Missa celebranda sit a Sacrum facientibus in aliena Ecclesia vel Oratorio privato? 2. An Patronus nominandus in Oratione *A cunctis* intelligi debeat Patronus principalis loci, et quid si plures sint principales Patroni? 3. Qui nominandus sit ad litteram N. si Patronus vel Titularis jam nominatus sit in illa Oratione, aut de eo celebrata sit Missa?"

„32. Rubrica Missalis titulo 8 postquam num. 9 dixit quod Subdiaconus ante medium altaris sustinere debeat Patenam, num. 11 praescribit ut ad *Sanctus* accedere debeat cum Diacono ad altare ad dicendum *Sanctus* etc. An

tolerandus usus earum Ecclesiarum, in quibus Subdiaconus non accedit?"

R. „Ad 15. *Presbyter assistens cum aliis Canonicis, Diaconi vero assistentes a tergo Episcopi, et Celebrantis.*"

„Ad 31. *Ad Quaestionem 1. Servetur decretum in una Varsavien. diei 7 Mai. 1746, nimirum Missam concordare debere cum Officio quod quisque recitavit, dummodo cum colore Ecclesiae, in qua celebrat, aptetur. In Oratorio autem privato semper concordare debet. Ad Quaestionem 2. Nominandus Titularis Ecclesiae. Ad Quaestionem 3. Si jam fuerit nominatus, omittenda nova nominatio.*"

„Ad 32. *Servetur cujusque loci consuetudo.*"

1833. 16 Mart. n. 4558. Veronen.

„5. Utrum Sacerdos in Missa privata Sacris indutus paramentis possit Cineres distribuere, et Sanctorum Reliquias deosculandas praebere, uti mos est in Veronensi Dioecesi, expleta Missa? Et quatenus affirmative, an possit sibimet Cineres prius imponere genuflexus coram altare nihil dicens?"

R. „Ad 5. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*"

1835. 23 Mai. n. 4597. Namurcen.

„1. q. 3... Citatur sequens decretum ad Episcopum Tuden. In Hispania 7 Sept. 1816. Si Oratio praecepta sit pro re gravi, dicenda erit in Duplici primae Classis, in Duplici vero secundae Classis arbitrio Sacerdotis. Inde animi fiunt ancipites, quum praesertim Superior non soleat praecipere Orationem, nisi pro re gravi. Postulatur decisio. — 4. Ex titulo quinto Rubricarum generalium Missalis nonnullis diebus facienda est Commemoratio generaliter pro Defunctis in Missa de die; haec Commemoratio, seu Oratio, *Fidelium*, videtur ponenda penultimo loco ex decreto diei 2 Dec. 1684; si vero praecipiatur ab Ordinario Oratio pro re gravi, v. g. *Deus refugium*, an Oratio *Fidelium* dicenda est penultimo loco, seu immediate ante Orationem praescriptam a Superiore, vel antepenultimo loco, seu ante ultimam Orationem a Rubrica indicatam?"

„14... q. 10. Dicitur sequens responsum ab Eminentissimo Cardinale Caprara pro tempore Legato a Latere datum fuisse Dubiis propositis a Camberiensi Episcopo. 1. „Si in unam, eamdemque Dominicam incidat Solem-

nitas translata tum Anniversarii dedicationis, tum Patroni, ea Solemnitas celebranda erit de digniori, scilicet de dedicatione, translato minus digno, id est Festo Patroni ad primam Dominicam non impeditam juxta Rubricas.“ 2. „Si Dominica ad quam juxta Indultum reductionis Festorum diei 9 Apr. 1802 tranferenda esset Solemnitas Patroni sit dies propria Sancti Joannis Baptistae, tunc Solemnitas Patroni transferenda erit ad primam Dominicam non impeditam juxta Rubricas, ne scilicet (quum Festum Sancti Joannis Baptistae sit ejusdem Ritus, nec transferri possit) duplex Solemnitas primae Classis eadem die in una Ecclesia peragatur.“ An praefatum responsum sit authenticum, et applicandum similibus casibus?“

R. „Ad 1... q. 3. *Detur Decretum Regni Hispaniarum diei 15 Mai. 1819* [1], *nimirum: Negative in Duplicibus primae Classis, ut alias Responsum fuit: quoad Duplicia vero secundae Classis, ad libitum Celebrantis legi, vel omitti poterit Collecta imperata in Missis privatis tantum; in Conventuali, et Solemni omittenda: quaest. 4. Diebus a Rubrica praescriptis secundo loco etiam in Missa Conventuali juxta Rubricas: in Missis privatis quando est semiduplex, vel simplex ad libitum Sacerdotis pro aliquo Defuncto penultimo loco ante Collectas juxta recensitum decretum Sanminiaten. die 2 Dec. 1684.*“ — Oratio pro Defunctis, quae aliquando dicitur in Missa conformi Officio, generatim ponitur penultimo loco; penultimus autem locus non est absolute sumendus, sed determinandus est pro variis casibus. Illa videlicet Oratio dicitur vario sub respectu, vel qua Commemoratio Defunctorum per Rubricas praescripta *(p. 80 sqq.)*, vel qua Oratio communis, per Celebrantem electa pro Oratione *ad libitum (p. 120)*, vel qua Oratio votiva, ex devotione Celebrantis *(p. 121, 123 sq.)*. In 1° et 2° casu, ponitur penultimo loco, relate ad Commemorationes, aut ad Orationem communem 3° loco dicendam; in 3° autem casu, de quo agere non videtur praesens decretum, spectata regula generali *(p. 109, Rub. 5)*, praefata Oratio ponenda est inter Votivas, et quidem, ad mentem Rub. 6 *(p. 111)*, penultimo loco, si plures habeantur.

„Ad 14... q. 10. *Juxta Instructionem a Cardinale Legato a latere Episcopo Camberiensi datam.*“

1) Quaestio est de decreto 15 Mai. 1819, n. 4410, *Assisien.* 2.

1835. 23 Mai. n. 4604. Veronen.

„... An in Missa *de Requiem* cum paramentis nigris liceat unquam Sacram Synaxim administrare cum Particulis praeconsecratis? Et Emi. ac RR. PP........ perpendentes alias sancitum fuisse in iisdem Missis Defunctorum seu in paramentis nigris ministrandam non esse Eucharistiam per modum Sacramenti extrahendo Pyxidem a Custodia, ac posse tantum ministrari per modum Sacrificii cum Particulis intra eamdem Missam consecratis, proposito Dubio rescribendum censuerunt. *Negative juxta decreta in una Congregationis Montis Coronae diei 22 Jan. 1701 in Ordinis Capuccinorum diei 22 Nov. 1701 et in Aquen. diei 2 Sept. 1741.*" Cf. notata ad Dec. cit.

1836. 12 Mart. n. 4628. Tridentina.

„2. An iis in Ecclesiis, in quibus ob Sacerdotum defectum Celebrans in Hebdomada majori decantare cogitur partem Passionis, illam decantare debeat in Cornu Evangelii?"

„12. An toleranda sit, vel eliminanda consuetudo inveterata, Sacerdotem, qui ad altare aliquod ad celebrandum accedit, vel ab eo recedit, sic Sacris Vestibus Sacrificii indutum, et jam prae manibus Calicem tenentem, ascendere in transitu altare, in quo adest Sanctissima Eucharistia, ut ibi Sacram Communionem Fidelibus distribuat? et quatenus non sit toleranda, utrum depositis planeta, et Manipulo in Sacristia, accedere possit cum Alba, et Stola?"

„13. An stola pro ministranda Sanctissima Eucharistia extra Missam semper esse debeat coloris Officio illius dei convenientis, ut praescribit Rituale Romanum, vel potius esse debeat alba prout valde conveniens Sacramento Eucharistiae, ut multi censent Doctores?"

R. „Ad 2. *Affirmative.*" — „Ad 12. *Si adsit necessitas posse tolerari.*" — „Ad 13. *Juxta Ritualis Romani Rubricam debet esse coloris Officio convenientis.*"

1836. 27 Aug. n. 4633. Veronen.

„VII. Utrum in Missis quotidianis Defunctorum pro Oratione assignata primo loco, alia subrogari valeat, puta pro matre, offerente eleemosynam etc."

„XII. Utrum ad benedictionem Sacerdotis in fine Missae solemnis, sive cum cantu, Ministri, et alii de Choro stare, vel genuflectere debeant?"

R. „Ad 7. *Quoad primam Orationem, servetur ordo Missalis, quoad secundam, detur decretum Aquen. diei 2 Sept. 1741, ad dub. IV.*" Cs. dec. 12 Aug. 1854, n. 5072, 10.

„Ad 12. *Stare Canonicos se profunde inclinantes, alios genuflectere.*"

1837. 11 Mart. n. 4660. Veronen.

„.... Utrum verbum *deinde*, in forma absolutionis in nonnullis editionibus rubro charactere impressum, omittendum sit?"

R. „*Nihil esse innovandum.*" Vid. *pag. 489.*

1837. 23 Sept. n. 4666. Mutinen.

„I. Quum ex Rubrica Feriae quintae in Coena Domini pateat omnes de Clero dicto die Communionem sumere debere de manu Celebrantis, nihilominus nonnulli Sacerdotes non dubitant asserere haec dicta esse ob merum consilium, non vero de praecepto; hinc quaeritur: An revera omnes de Clero inservientes Missae Pontificali, et praesertim Sacerdotes, Diaconi, et Subdiaconi Sacrorum Oleorum consecrationi adsistentes teneantur Sacram Communionem sumere de manu Celebrantis?"

„II. Quum Orationes tam praecedentes, quam subsequentes Communionem Missae Sabbati Sancti loquantur in numero plurali; hinc quaeritur: Utrum liceat, in eadem Missa post Communionem Celebrantis, Eucharistiam ministrare fidelibus, et praesertim cum particulis in eadem Missa consecratis?"

„III. Perdurat adhuc in quibusdam Ecclesiis mos communicandi in Missa Defunctorum cum particulis praeconsecratis, propterea quod decreta Sacrae Congregationis hac super re edita non censentur a multis authentica, aut saltem revocata. Hinc quaeritur: 1. An idem mos possit permitti, vel saltem ab Episcopo prohibendus, adeo ut solum liceat communicare in dictis Missis cum particulis in ipsis consecratis? — 2. An saltem toleranda consuetudo celebrandi praedictas Missas in paramentis violaceis ad hoc ut possit praeberi Sacra Communio cum particulis praeconsecratis?"

„X. 1. Quisnam Sanctus nominandus sit in Oratione *A cunctis* Littera N. a Sacerdote celebrante: Patronusne principalis loci, vel Dioecesis, aut potius titularis Ecclesiae, Oratorii etc. in quibus celebrat?"

R. „Ad I. *Affirmative, seu jam provisum per generale decretum diei 12 Sept. 1716 et dentur decreta in Seguntina diei 19 Sept. 1654, et 19 Mart. 1675.*" — „Ad II. *Negative, nisi adsit consuetudo.*" — „Ad III. Quoad 1. *Dilata, et servetur Rescriptum in Panormitana diei 12 Apr. 1823 ad dubium IX.*" — „Quoad 2. *Serventur Rubricae.*" — „Ad X. Quoad 1. *Titularem tantum nominandum esse, et detur decretum in Santandrien. diei 19 Jan. 1797.*" Lege 26 Jan. 1793, n. 4299, 15.

1837. 23 Sept. n. 4672. Oriolen.

„Perdurantibus belli civilis calamitatibus in Regno Hispaniarum accidit ut Reverendissimus Oriolen. Episcopus superiori Anno 1836 Olea Sacra Feria quinta in Coena Domini consecrare nequiverit pro solemni benedictione Fontium Baptismalium Parochialibus in Ecclesiis peragenda insequente Sabbato Sancto, neque eadem Olea a vicinioribus Episcopis Parochi habere potuerint..... I. An talis benedictio (Fontis Baptismalis in Sabbato Sancto) fieri debeat cum Chrismate, et Oleo praecedentis anni, an potius omittenda sit infusio Chrismatis, et Olei usque dum accipiantur recenter consecrata?"

R. „Ad I. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*"

1838. 1 Sept. n. 4693. Mechlinien.

„Praxis III. Per decretum datum pro Dioecesi Mechliniensi die 23 Aug. 1809, concessa est facultas celebrandi Festum Sacratissimi Cordis Jesu Dominica immediate sequenti Octavam Solemnitatis Sanctissimi Corporis Christi cum Officio proprio ac Missa die 11 Mai. 1765, pro Regno Poloniae, et pro Archiconfraternitate in Urbe erecta adprobatis. Quum autem in illa Missa, cujus introitus est, *Miserebitur secundum multitudinem miserationum suarum, Thren. III,* non assignetur Tractus pro Missis votivis post Septuagesimam, nec *Alleluia* cum Vers. pro tempore Paschali; hinc dubitatum est quid in casu occurrente sit faciendum, quum alii ad Missam votivam de Sanctissimo Sacramento, alii ad Votivam de Passione Domini recurrant?"

R. „Quoad 3 praxim, *Tractum et Graduale post Septuagesimam et* Alleluia *cum Vers. tempore Paschali desumi posse ex altera Missa jam adprobata.*"

1838. 1 Sept. n. 4694. Eysteten.

„2. Quum in nuptiis benedicendis perraro in Bavaria Missa pro Sponso, et Sponsa celebrari valeat, ac proinde benedictio nuptiarum, in Missali praescripta intra Missam, extra ipsam Missam ut plurimum impertiatur; quaeritur utrum liceat hunc Ritum a Missa abstrahere, et quatenus negative, utrum Episcopis, et Parochis jus sit adigendi Sponsos ad benedictionem in Missae celebratione recipiendam?"

R. „Ad 2. *Nihil obstat quoad primam partem; negative quoad secundam.*"

1840. 11 Apr. n. 4731. Barchinonen.

„6. Sacra Rituum Congregatio decrevit die 12 Nov. anni 1831, celebrante Sacerdote in Aliena Ecclesia, Missam concordare debere cum Officio, quod quisque recitavit, dummodo cum colore Ecclesiae, in qua celebrat, aptetur; quaeritur nunc utrum debeat etiam conformari in recitatione Symboli Nicaeni sui Officii, vel Officii Ecclesiae?"

R. „Ad 6. *Poterit in Officio proprio; dummodo non sit addendum ratione Corporis, vel Reliquiae: debet si celebret de Officio Ecclesiae.*"

1840. 12 Sept. n. 4750. Brugen.

„1. In multis locis hujus Dioecesis viget consuetudo ut in exequiis pauperum, qui solvere non valent expensas Missae cantatae, Missa privata de Requie legatur praesente Corpore in Festis etiam duplicibus majoribus, non tamen primae, vel secundae Classis, neque infra Octavas privilegiatas, neque in Dominica, neque in iis diebus, quae excludunt Festa duplicia. Haec consuetudo ex opinione Cavalieri, qui ita explicat decretum Sacrorum Rituum Congregationis de die 19 Jun. 1700. Quaeritur an praedicta consuetudo servari possit?"

„2. Sacerdos celebrans in Oratorio publico, vel privato quod non habet Sanctum Patronum, vel Titularem, an debeat in Oratione *A cunctis* ad litteram N. nominare Sanctum Patronum, vel titularem Ecclesiae Parochialis intra cujus limites sita sunt Oratoria, vel Sanctum Patronum Ecclesiae cui adscriptus est, vel potius omnem ulteriorem nominationem omittere?"

„7. In variis Dioecesibus Belgii juxta doctrinam in

Seminariis traditam usus invaluit, ut his diebus, quibus per Rubricas licet Missas de Requie, et Votivas celebrare, Sacerdotes, Missas privatas oblato manuali stipendio pro uno, vel pluribus Defunctis, vel Votivam in honorem alicujus Mysterii, vel Sancti habentes, celebrent conformes Officio, quod illa die recitarunt ad satisfaciendum susceptae obligationi: dummodo Fideles expresse non rogaverint dici Missas de Requie, vel Votivas. Usus iste nititur in primis Rubricae Missalis art. IV de Missis votivis n. 3 quae praescribit, ut quoad fieri potest Missa cum Officio conveniat; deinde autoritati Sancti Alphonsi Mariae de Ligorio, qui in *Theologia Morali, lib. 6, tract. 3, n. 422,* dicit communissimam, et probabilem esse hanc sententiam. Petitur ergo an praefati Sacerdotes satisfaciant suae obligationi? et quatenus negative, ut dignentur Eminentissimi Patres condonationem impertiri pro Missis tali modo exoneratis."

R. „Ad 1. *Servari posse juxta decretum in una Curien. diei 19 Jun. 1700 ad dubium IX.*" Cf. *p. 89.* — „Ad 2. *Patronum Civitatis, vel Loci nominandum esse.*" — „Ad 7. *Affirmative quoad Missas pro Defunctis juxta generale decretum diei 5 Aug. 1662; in reliquis negative, et quoad praeteritum unusquisque consulat conscientiae suae.*" Cf. *p. 56, 75 sq.*

1841. 22 Mai. n. 4779, Trecen.

Parochus Civitatis Bar-sur-Aube, Dioecesis Trecensis, quaerit: „An in administrandis Ecclesiae Sacramentis Rituali Romano uti queat?"

R. „Ad 3. *In casu affirmative.*" Notanda est limitatio, *in casu (p. 477).*

1842. 24 Sept. n. 4801. Tertii Ord. S. Francisci.

„3. An in Communione Fidelibus ministranda, post Versum, *Panem de caelo* etc., dici omnino debeant ante Orationem alii versus, *Domine exaudi,* et *Dominus vobiscum?*"

R. „Ad III. *Affirmative, ut praescribitur in Rituali Romano.*"

1842. 24 Sept. n. 4804. Neapolitan.

„3. An Sacerdos pergens ad explendam Communionem extra Missam debeat per se, vel per alium ministrum deferre Bursam, in qua Corporale recluditur?"

R. „Ad III. *Decere ut a Sacerdote deferatur.*"

1844. 7 Dec. n. 4840. Narnien.

De ostiolo ubi Feria V in Coena Domini reconditur SS. Sacramentum, quaeritur „2. Utrum, ut communiter appellatur, nominandum sit Sepulchrum?“

„4. Cuinam tradenda sit clavis Ostioli supradicti?“

„5. Utrum lumen Christi expleta Sabbati S. functione, removendum sit ab Ecclesia?“

R. „Ad 2. *Juxta consuetudinem.*“ — „Ad 4. *Juxta alias decreta, Canonico, vel Sacerdoti in crastinum celebraturo.*“ Cs. dec. 14 Jun. 1845, n. 4884, non obstante immemoriali consuetudine contraria. — „Ad 5. *Affirmative.*“

1844. 7 Dec. n. 4843. Reatin.

Sacerdos Seb. Ricci a S. R. C. exquirit „An removere debeat Stemma gentilitium Familiae suae impressum tam Ostensorio, quam nobilibus aliis Suppellectilibus a se donatis Cathedrali ipsi Ecclesiae, ut expositio Sanctissimi Sacramenti in Cathedrali ipsa solemniori apparatu fiat, quam quidem remotionem indixit RR. Episcopus?“

R. „*Quum non obstent decreta, nihil esse innovandum.*“

1846. 23 Mai. n. 4890. Bisinianen.

In Parochia Ecclesiae loci vulgo *Acri,* inducta est (propter viarum asperitatem, ac ventorum, nivium, glacierumque incommoda) consuetudo deferendi S. Viaticum equitando, et capite pileolo cooperto. Et hujusmodi consuetudinis petitur confirmatio.

S. R. C. „rescribendum censuit: *Detur decretum in Lauden. diei 23 Jan. 1740, n. 3951,* nimirum commisit Reverendissimo eidem Episcopo, ut pro suo arbitrio, et prudentia indulgeat quod deinceps Parochus, et Oeconomi Acrii, hujusmodi in circumstantiis equitantes ac capite pileo cooperto Sacrum Viaticum deferre valeant, comitante saltem uno homine, si fieri potest, accensam laternam deferente.“ Cf. *p. 500.*

1846. 23 Mai. n. 4904. Tuden.

„X. In sepultura Defunctorum dum cadaver e sua domo defertur ad Ecclesiam cum assistentia Parochi, et Ministris sacris cum Pluviali, Dalmatica, et Tunicella indutis, Ministri sacri sine amictu, neque alba, neque cingulo superimponunt Dalmaticam, et Tunicellam soli Cottae, vel Superpelliceo. Quaeritur an talis consuetudo possit sustineri,

vel cogendi sint Ministri sacri, ut simul cum Dalmatica, et Tunicella, induant amictum, albam, et cingulum?"

R. „Ad X. *Servandam dispositionem Ritualis Romani, quod in casu excludit sacras Vestes ibi non memoratas.*"

1847. 27 Feb. n. 4915. Cong. Cler. Reg. SS. Crucis etc.

„1. An semper adhibenda sit Bursa cum Corporale, supra quod reponenda sit Sacra Pyxis toties quoties administratur Communio Christifidelibus extra Missam, uti innuitur in Ritualis Romani Rubrica, et clare docetur a Gavanto aliisque Sacrorum Rituum expositoribus?"

„2. An Rituale Romanum prout in casu, intelligendum sit, quod assumi debeat Bursa cum Corporali tantum quando Sacrum Viaticum defertur ad Infirmos, an toties quoties extra Missam Sacra praebetur Synaxis?"

„3. An Rubrica Ritualis Romani sit, prout in casu praeceptiva, vel tantum directiva, et ad libitum?"

„4. Quum expletur Communio extra Missam, quaeritur an tolerari debeat consuetudo utendi Palla, qua Calix tegitur in Missae Sacrificio, semper super altaris mensa ante tabernaculum manente?"

R. „Ad 1. *Affirmative juxta Rituale.*" — „Ad 2. *In administranda Eucharistia intelligendum.*" — „Ad 3. *Praeceptivam esse.*" — „Ad 4. *Jam provisum in superioribus.*"

1847. 27 Feb. n. 4919. Massen.

RR. Episcopus Massen., „exponebat quod in Principatu Carrariensi mos vigeat ut Clerus universus, ne exceptis quidem parvulis Clericis, Rochetto utatur, et hoc fortasse quia olim jurisdictioni Canonicorum Regularium Sancti Frigdiani subjectae erant Ecclesiae omnes Principatus ipsius; ac proinde hujus Sanctae Apostolicae Sedis oraculum exquirebat, num adhuc sibi super hoc usu silentio insistendum sit ne turbas excitet, siquidem admodum antiqua consuetudo isthaec perhibetur; vel potius teneatur hunc usum tollere, deficiente privilegio?"

R. *„Non esse inquietandos"*. Cf. dec. *in Cenomanen. pag. 593.*

1847. 27 Feb. n. 4922. Rhemen.

S. R. C. in Rescripto ad RR. DD. Ep. Rhemensem, loquendo de Sacerdotibus qui utuntur Breviario et Missali Romano, docet „vetitum omnino esse se conformare colori

convenienti Officio, quod recitant juxta Breviarium Romanum, dum in publicis Ecclesiis diversus est color, quia in Calendario Rhemensi Officium Ritus duplicis occurrit; ac proinde tunc solum teneri ad expetendum colorem Officio Romano respondentem quum Semiduplicia occurrunt in Calendario Rhemensi.“

1847. 27 Feb. n. 4936. VIGLEVANEN.

„1. An in forma absolutionis ante verba — *Ego te absolvo a peccatis tuis* — dicendum sit, vel omittendum verbum — *Deinde* —?“

„2. Quum in Rituali Romano in eadem absolutionis forma legatur — *In confessionibus autem frequentioribus et brevioribus omitti potest* — Misereatur — *et satis erit Dicere* — Dominus noster Jesus Christus — *usque ad illud* — Passio Domini — quaeritur an sit intelligendum exclusive, vel inclusive?“

R. „Ad 1. *Detur decretum in Veronen. diei 11 Mart. 1837.*“ — „Ad 2. *Intelligendum exclusive.*“

1848. 22 Jul. n. 4965. FLORENTIN. SEU ORD. MIN.

„2. An liceat in Dominicis sacri Adventus, et Quadragesimae, pulsare Organa in Missis solemnibus, praeter Dominicas a Rubrica exceptas? et quatenus hic usus in aliqua Ecclesia vigeat, an sit eliminandus?“

R. „Ad 2. *Abusum esse eliminandum.*“

1848. 22 Sept. n. 5026. BITURICEN. [1]

„1. Utrum altaria portatilia consecrationem suam amittant quando fractum est sigillum, quod Reliquiis in Sepulchro inclusis apponitur: an tantum quando ut loquuntur Theologi, fractum est Sepulchrum?“

R. „Ad 1. *Quoad primam partem negative, nisi fractum sit Sepulchrum, vel ejus operculum, aut etiam solummodo si hoc amotum fuerit: quoad secundam partem, provisum in prima.*“ Notandum est hoc rescriptum referri sub n. 5026, ad 5 Dec. 1851, quia hac die data est approbatio Sanctitatis Suae, quoad 3.

1) Nuperrime prodiit continuatio Collectionis Gardellinianae (cf. *tom. I, p. 490*): incipit a n. 5007, scilicet a decreto 10 Aug. 1849, dato *tom. I, p. 428,* et perducitur usque ad n. 5094, nimirum usque ad dec. 29 Nov. 1856. *Congreg. Cleric. Regular. S. Pauli Barnabitarum.*. Ex ea depromuntur et hic exscribuntur decreta ad hunc tomum spectantia.

1851. 27 Mart. n. 5016. ADRIEN.

„5. An sacra paramenta coloris aurei inservire possint pro coloribus albo, viridi, rubro?"

R. „Ad 5. *Negative.*" Cf. *pag. 177.*

1852. 10 Jan. n. 5029. CENOMANEN.

„4. Etiamsi Ecclesia Cenomanensis sibi de Breviario iterum atque iterum, ut libuerit, providere queat, an istiusmodi facultas extendenda sit ad Pontificale, Caerem. Ep., Martyrologium et Rituale Romanum...?"

Dubium 5 est de usu Rochetti, in administratione Sacramentorum etc. adhibiti loco superpellicei.

R. „Ad 4. *Negative et amplius.*" — „Ad 5. *Rochettum non esse vestem sacram adhibendam in administratione Sacramentorum, ac proinde tum ad ea administranda, tum ad suscipiendam primam Tonsuram, et Minores Ordines necessario superpelliceo utendum.*" Cf. *p. 478, 1,* et *591, n. 4919.*

1853. 16 Apr. n. 5047. ORD. MIN. S. FRANC.

„21. In Duplici majori vel minori possuntne pro uno eodemque Defuncto in Dioecesis Ecclesiis celebrari Missae cantatae *de Requiem* in die obitus, tertia, septima, et trigesima, ac Anniversaria, uti fit apud Regulares in cunctis conventibus ad nuntium mortis alicujus religiosi: quam gratiam Autores communiter, teste Cavalieri, ad quascumque Ecclesias et personas extendunt?"

„21. An quoties Missas *de Requiem* quotidiana decantatur cum Diacono et Subdiacono, una tantum Oratio in ea dicenda sit (excepta prima die Mensis et Feria secunda), vel requiratur etiam concursus et pompa exterior, uti opinatur Cavalieri explicans illud *solemniter* Rubricae Missalis *Tit. V, n. 3?*"

R. „Ad 21. *Absque Indulto non licere.*" — „Ad 22. *Affirmative ad primam partem, negative ad secundam.*"

1853. 9 Jun. n. 5052. COCHINCHINAE.

„2. Plures Theologi, inter quos Sanctus Alphonsus Maria de Ligorio, sentiunt veniale esse omittere vocem *Amen* in fine formae Baptismi, quae tamen vox non reperitur in Rituali Romano: quaeritur ergo utrum adhibenda sit vel omittenda?"

R. „Ad 2. *Strictim in casu servetur Rituale Romanum.*“ Cf. *p. 480.*

1854. 12 Aug. n. 5072. Briocen.

„VII. Utrum in Exequiis v. g. pauperum Cerei accensi in altari pauciores esse possint numero quam sex, et in Missis quotidianis cantatis pro Defunctis quam quatuor?“

„X. Utrum in Missis quotidianis sive cum cantu, sive lectis teneatur Sacerdos recitare 1 loco Orationem pro Defunctis Episcopis seu Sacerdotibus ut fert Missale Romanum? Potestne primo loco recitare Orationem: *Inclina Domine* pro Defuncto, vel Orationem: *Quaesumus Domine,* pro Defuncta, cujus ad intentionem eleemosyna data est: secundo loco pro Defunctis Episcopis etc. tertio loco *Fidelium?* et supposito quod negative.“

„XI. Utrum secunda Oratio semper mutari possit, et ejus loco dici Oratio pro Defuncto aut Defuncta? Ratio dubitandi est, quia decretum Aquen. fert aliquando pro illa *Deus veniae largitor,* impune subrogabitur alia v. g. pro Patre et Matre?“

„XII. Utrum in Missis quotidianis sive Solemnibus sive absque cantu Sequentia *Dies irae,* semper et dici a Celebrante et cantari in Choro debeat? Ratio dubitandi est quia fert Missale: Sequentia *Dies irae* ad arbitrium Sacerdotis? Et quatenus negative pro speciali gratia postulat Reverendissimus Episcopus Briocen. et Treconen. dispensationem super Sequentia *Dies irae* cantanda ob angustiam temporis, et defectum Cantorum, praesertim in Ecclesiis ruralibus.

R. „Ad 7. *In Missis de Requiem cum cantu saltem quatuor.*“ — „Ad 10. *In Missis quotidianis standum Missali et juxta decreta aliquando loco secundae Orationis ibi adnotatae substitui posse Orationem pro Patre et Matre.*“ — „Ad 11. *Unicam Orationem dicendam in Missa de Requiem cum cantu pro anima illius quam designat eleemosynam exhibens.*“ — „Ad 12. *Sequentiam* Dies irae *semper dicendam in Missis de Requiem quae cum unica tantum Oratione decantantur, verum aliquas strophas illius Cantores praetermittere posse.*“

1855. 21 Jun. n. 5079. Suessionen.

„1. Juxta decretum cl. em. Cardinalis Caprara si Solemnitas *translata* Festi Patroni, et Anniversarium Dedicationis omnium Ecclesiarum consecratarum occurrant eodem

die, faciendum est de Solemnitate Dedicationis. Hinc quaeritur. 1. An ita faciendum sit si in istam Dominicam Dedicationis incidat non Solemnitas translata, sed Festum Patroni? 2. An in isto casu cantari possit Missa votiva Solemnis Patroni juxta Rubricas Missalis Romani de Translatione Festorum? Hic enim Articulus Missalis enumerans dies privilegiatos, qui excludunt Missam votivam Festi, quod transferri debet, non recenset inter eos Anniversarium Dedicationis?" Cf. *p. 99 sqq.*

R. „Ad 1. *Quoad quaestionem primam affirmative: quoad quaestionem secundam affirmative, non exclusa tamen alia Missa Solemni de Festo Dedicationis, si sermo sit de Ecclesia ubi est obligatio cantandi Missam quotidie juxta decretum in una Bergomen. diei 17 Aug. 1709.*"

DECRETA EXTRA COLLECTIONEM GARDELLINIANAM.

Praeter decreta in continuatione dictae Collectionis relata, alia fuerunt in ephemeridibus et diariis publicata, tanquam emanata a S. R. C. Ex his quaedam hic traduntur, indicatis fontibus unde sunt deprompta, ut innotescat quam fidem mereantur, juxta dicta *tom. I, p. 25 sq.*

1849. Rupellen.

„Utrum retineri possit usus quatuor vel sex cereorum tantum in expositione SS. Sacramenti?" R. „*Servandam esse Instructionem Clementis PP. XI, quae octodecim praescribit in publica expositione.*" Ap. *Revue Théol. cah. 1, 1856, p. 150.* Cf. dicta supra *p. 362.*

1854. 12 Aug. Lucionen.

Haec causa, quae 81 habet dubia, refertur, tacito Dioecesis nomine, apud *Analecta juris Pontificii, Ser. II, col. 2188 sqq.* Dicta dubia proposita fuerunt occasione instaurandae Liturgiae Romanae in dicta Dioecesi Lucionen.

Dubia 5 et 7 versantur circa Missam Solemnitatis quatuor Festorum suppressorum anno 1802 *(pag. 45 supra).* „5. .... Quaeritur utrum in hac Missa votiva solemni fieri debeat Commemoratio Festi occurrentis et Dominicae, etiam in Ecclesiis ubi aliae Missae de praedictis Festis, vel Dominica leguntur? Vel Missae lectae de Festo, aut de Dominica, sint motivum omittendi ejusdem Festi vel Domi-

nicae Commemorationem in supradictis Missis votivis solemnibus?«

„7. Pro iisdem Missis votivis solemnibus nonnulla Directoria, quando in eis fit Commemoratio de Dominica, indicant etiam Evangelium Dominicae dicendum in fine: talis dispositio nonne repugnat regulae generali Rubricarum *p. I, tit. XIII, n. 2. — In Missis votivis numquam legitur in fine aliud Evangelium nisi S. Joannis?«* Advertendum autem est hanc Missam non esse proprie Votivam, sed *de Festo, more Votivo (p. 149).*

„20. Adsunt dispositiones Caeremonialis Episcoporum, *lib. 2, c. 29, n. 3,* de Patena, a Diacono tenenda sub mento communicantium quando Communio in Missa solemni ab Episcopo administratur: adest etiam decretum diei 3 Sept. 1661 *in Adrien.* declarans licitam esse Patenae suppositionem per Sacerdotem Cotta indutum in Communione generali quae per dignitates agitur. Sed quaeritur utrum in aliis casibus, liceat ubi talis est consuetudo, dum Celebrans ministrat sacram Communionem Patenam a Diacono supponi sub mento communicantium, prout suadetur a nonnullis praeclaris liturgistis Merati et Bauldry... Vel potius eo tempore, quo distribuitur Sacra Communio, Diaconus debeat ministrare Clericis purificationem prout indicat Rubrica Missalis, *part. 2, tit. X, n. 9?«*

„21. Propter eadem motiva ad praecavendam sacrorum fragmentorum perditionem, potestne Sacerdos Sanctam Communionem sive intra Missam sive extra Missam administrans, tenere Patenam inter digitos manus sinistrae, quae sacram Pyxidem gestat, ut eam sic mento communicantium supponat, quamvis Rubrica sileat de hoc Ritu?«

„28. Plurimi Autores, inter quos Gavantus... Merati, suadent Sacerdoti lavare manus in fine Missae postquam exuerit vestes sacerdotales. Alii e contra, cum Diana.. Hippol. a Portu... hanc lotionem esse faciendam negant, sive quia jam Sacerdos lavit digitos in ablutione post Communionem, ac sic ejus manus illud esse sacrum quod habebant ex contactu Sacramenti deposuerunt; sive quia Rubricae, quibus nil addendum videtur, prorsus silent de hoc Ritu. Hinc quaeritur an occasione instaurationis S. Liturgiae Romanae, expediat inducere hanc praxim in nostram Dioecesim, in qua non est in usu?« Cf. *p. 336, not.*

„34. An decretum diei 10 Dec. 1740 *in Salisburgen.* de

omittendo *Alleluia* in Officio votivo SSmi Sacramenti, spectet etiam Antiphonas, *Ego sum panis* — ad Benedictus — *O sacrum convivium* — ad Magnificat, vel istae duae Antiphonae a praedicto decreto eximi debeant, sicut quidam putant et ipsis applicandum sit aliud decretum 29 Nov. 1708 *in Carthaginen.* ad IV de retinendo *Alleluia* in fine Antiphonarum quarum verba exprimunt gaudium, victoriam et similia?"

In data posterioris decreti habetur mendum: quaestio enim est de dec. 29 Nov. 1738, n. 3931, 4, de quo *tom. I, p. 351.* Notandum est non eamdem lectionem, quoad *Alleluia* in fine praedictarum Antiphonarum, exhiberi in omnibus Breviariis. In antiquioribus, v. g. editis a *Plomteux* an. 1780 apponitur; in recentioribus, ut *Mechlinien.* an. 1845 et 1854, necnon *Namurcen.* 1856, omittitur. *Pag. 366, 10°*, recentiores secuti editiones, illud docuimus esse omittendum.

„36. In Vesperis solemnibus Acolythi accedentes ad altare ut sua candelabra sumant, debent quidem genuflectere, sed quaeritur utrum tunc quando ab altari recedant, ut adeant Hebdomadarium, genuflexio ab ipsis candelabra gestantibus, iterum facienda sit in hoc recessu? Similiter utrum quando cantato Capitulo, iterum accedunt ad altare, ab ipsis Acolythis in accessu genuflectendum sit, sive antequam, sive postquam deposuerint sua candelabra?"

Dubio 45 exponitur apud AA. non convenire circa oscula omittenda in Missa solemni coram SS. Sacramento exposito, et a Tetamo et Gardellini, *Inst. Clem. §. 30, n. 14,* sequentem statui regulam. „Illa tantum omitti debent oscula, quando faciendum aliquid est, quod specialiter Sacramentum expositum dumtaxat respiciat, non illa, quae ad Ritum Missae solemnis proprie pertinent." Et de expositis opinionibus, „quaeritur quaenam sit in praxi sequenda? v. gr. an coram Sacramento exposito Diaconus ministrans Celebranti aspersorium, ad aspersionem aquae benedictae faciendam, debeat vel non osculari aspersorium, et manum Celebrantis?" Cf. *p. 379.*

„48. In eadem functione (expositionis et repositionis SS. Sacramenti quando a Processione, Missa aut Vesperis est sejuncta), licetne adhibere Diaconum absque Subdiacono, nempe hoc modo: Diaconus superpelliceo tantum indutus cum stola pendente sub bracchio dextero, toto tempore functionis assistit Celebranti, extrahit SSmum Sacra-

mentum e tabernaculo et in Ostensorio ponit; illud super thronum collocat etc., inservit ad impositionem incensi in thuribulum? Vel potius quoties in hac functione adhibetur Diaconus, iste debetne Dalmatica parari; simulque adesse Subdiaconus Tunicella indutus?"

„61. Juxta Rituale, dum in Officio dicuntur Laudes, Sacerdos cum Ministris paratur ad celebrandam Missam solemnem pro Defuncto. Exinde autem oriuntur dubia de modo concludendi Laudes, nempe: 1. Ubi sunt duo vel plures Presbyteri, alius debetne concludere Laudes dum Celebrans qui Officium inchoavit paratur in Sacristia? 2. Ubi unicus est Presbyter debetne iste relinquere Officium Laudum sine Praeside et adire Sacristiam, ut paretur ad Missam et deinde opportuno tempore redire in Chorum, vel ante Altare Alba, Cingulo, et Stola indutus ut concludat Laudes?" Cf. *p. 507*.

„62. An in administratione Baptismi interrogationes, quibus respondere debet Patrinus infantis, vel catechumenus baptizandus, fieri debeant lingua vulgari, prout ipsum Rituale innuere videtur de Baptismo Adultorum, §. *Catechumenus instructus?*" Cf. *p. 486*.

„66.... Quid intelligendum sit per novas Cruces, quarum benedictio est Episcopis reservata? An simplex Presbyter possit benedicere Cruces usui privato, v. g. ut ponantur in domibus Fidelium, destinatas? et in hoc casu adhibere formulam benedictionis novae Crucis a Rituali Traditam?"

„78. Ex parte Sacerdotum Dioecesis Massae et Populoniae anno 1832 Sacra Rituum Congregatio consulta de consuetudine in Sabbato Sancto benedicendi aquam in alio vase separato, ex quo ante infusionem Sacrorum Oleorum aqua extrahitur et mittitur in fontem, die 7 Apr. respondit: *Ex speciali gratia servari posse consuetudinem.* Quum autem haec consuetudo in hac Dioecesi vigeat, quaeritur similiter utrum servari possit, ut fideles de more pio possint ex hoc vase separato haurire aquam, et in domos suas asportare?"

Dubium 79 versatur circa duo decreta citata p. *456*, videlicet: dec. 23 Sept. 1837, *in Oriolen.*, et dec. 12 Apr. 1755, *in Lucana.* Vid. resp. *supra.*

„80.... Utrum accepta nova Olea infundi debeant in Aquam, quae cum infusione veterum Oleorum fuit bene-

dicta? An potius ad infundenda haec nova Olea exspectandum sit usque ad aliam benedictionem Fontis, quae fiet in Vigilia Pentecostes?"

R. „Ad 5. *Affirmative ad primam partem. Negative ad secundam: Missae enim ejusmodi per speciale Indultum concessae ordinantur ad Solemnitatem in populo recolendam.*" — „Ad 7. *Non repugnare ob rationem adductam superius ad dubium quintum.*" Cf. *p. 150*. — „Ad 20. Quoad primam partem, *licere*. Quoad secundam, *juxta consuetudinem, sed purificationem etiam Clericos subministrare posse.*" — „Ad 21. *Negative.*" — „Ad 28. *Arbitrio et prudentiae Ordinarii, sed non per modum praecepti.*" — „Ad 34. *Officium votivum SSmi Sacramenti recitandum ut in Breviario, nihil addito vel dempto.*" — „Ad 36. *Acolythos genuflectere tantum debere in transitu ante medium altaris.*" — „Ad 45. *Sequendam regulam in Collectione authentica decretorum Sacrorum Rituum Congregationis a Gardellini indigitatam, quum aspersio proprie non spectet ad Ritum Missae, sed sit tantum actio praeliminaris.*" — „Ad 48. *Deficientibus Ministris Dalmatica et Tunicella indutis, Sacerdos vel ejus loco Diaconus, in casu assistens superpelliceo indutus, stolam assumet tantum, quando occurrit; nam semper eam retinere non licet.*" — „Ad 61. *Affirmative ad primam partem. Quoad secundam, debet concludere Laudes, et postea Sacristiam petere, ut sese vestiat pro Missae celebratione.*" — „Ad 62. *Negative.*" — „Ad 66. Quoad primam partem. *Intelligendas Cruces Caemeteriorum aliasque publice exponendas.* Ad secundam partem. *Affirmative.*" — „Ad 78. *Ex speciali gratia utrumque servandum.*" — „Ad 79. *Pro diversitate circumstantiarum in praxi utrumque decretum servari posse; nam in Lucana supponitur quod in aliquo fortuito casu Olea Sacra ad breve tempus retardentur; et in Oriolen. loquitur de omnimoda impossibilitate habendi Olea Sacra a propria Cathedrali, vel a viciniioribus Dioecesibus.*" — „Ad 80. *In sensu praecedentis responsionis: Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam.*"

1857. 12 Sept. Dubia Liturgica.

„*Dubium II.* Utrum in Missa coram Episcopo cantata, Diaconus cessare debeat ab osculis manus Celebrantis a Rubrica praescriptis, v. g. Patenam vel thuribulum porrigendo?"

R. „Ad II. *Servetur Caeremoniale Episcoporum.* „Sensus hujus responsi, attento voto Consultoris, hic est: oscula in casu sunt omittenda, juxta Caer. Ep. *l. 1, c. 18, n. 16;* cum enim ibi ordinentur fieri *absente Episcopo*, sequitur omittenda esse, illo praesente. Notandum autem est hic non agi de Missa cantata per alium Episcopum. Apud *Analecta juris Pontif. Novemb. 1857, Col. 331 sqq.* Cf. supra *pag. 349.*

INDEX GENERALIS

SEU

ALPHABETICUS UTRIUSQUE TOMI.[1]

A.

1) In hoc indice non exhibetur integra materia totius operis, sed ea solummodo cujus mentio videtur utilis aut necessaria, quia v. g. non est manifestum quo loco tractetur. E cujusmodi brevitate, duplex exsurgit commodum. 1. Sic datur occasio accuratiorem acquirendi notitiam titulorum Rubricarum, et librorum liturgicorum. 2. Quo brevior est index et ab inutilibus magis immunis, eo citius reperiuntur quaesita. Unde 1° silentio praetermitti solent quaestiones, quae sedem ita propriam habent, ut pateat eas ibi esse requirendas. Sic v. g. nulla fit mentio de concurrentia, neque de casula aut dalmatica, quia obvium est de iisdem agi ad titulos *de concurrentia*, et *de qualitate paramentorum*. 2° Summaria, in decursu operis data, hic non repetuntur, sed tantum citatur locus, ubi habentur. Sic v. g. ad verbum, *consuetudo*, citatur pagina, ubi traditur summa doctrinae de consuetudine in Liturgia.

2) Numerus romanus designat tomum, arabicus vero paginam.

B.

C.

D.

E.

F.

G.

H.

I.

J.

K.

L.

M.

N.

O.

P.

Nota ad quam remittitur *pag. 347.* „Cum vero novus Praelatus primo ad Ecclesiam suam veniens recipitur, loco Orationis praedictae, *Omnipotens sempiterne Deus*, etc., dicitur sequens Oratio:

„*Oremus. Deus omnium fidelium pastor et rector, famulum tuum N., quem Ecclesiae tuae praeesse voluisti propitius respice: da ei quaesumus, verbo et exemplo, quibus praeest, proficere, ut ad vitam una cum grege sibi credito perveniat sempiternam. Per Christum Dominum nostrum.* Resp. *Amen.* Pont. Rom. *l. c.*

CORRIGENDA.

Pag.	*lin.*	*loco*	*lege:*
4	20	omium	omnium
12	1	INTRODUCTIONE	INTRODUCTIO
—	13	Vinitior	Vinitor
350	31	simul	alternatim
352	2 a f.	Si Episcopus sit paratus (p. 351) ei	Episcopo
384	8 a f.	Diaconum	Subdiaconum
407	3	Hujusmodi	Reliquus